8
9/7 I
13

MAG 216

Digitized by Google

BI c 43

Digitized by Google

MORALIS EPITOME

UNA CUM

CONSCIENTIÆ MORALI ANATOME;

SIVE

OPUS POLEMICUM,

DOGMATICO-MORALE, JURIDICO-THEOLOGICUM,

Summorum Pontificum Conſtitutionibus,
nec non Sacrarum Congregationum
Decretis roboratum,

Ad majus legentium commodum per modum REPERTORII ordine alphabetico coordinatum,

Poſitis ultrò in calce cujuslibet materiæ Propoſitionibus damnatis
ab Alex. VII., Innoc. XI., & Alex. VIII.
ad eaſdem materias ſpectantibus,

Ob brevitatem claritati unitam ſingulare.

DICATUM

SANCTISSIMÆ,

ET IMMACULATÆ DEIPARÆ

VIRGINI MARIÆ,

AB EJUSDEM VIRGINIS

Indigniſſimo Famulo Fratre FERNANDO FRASCONO à Variſio
Strictioris Obſervantiæ Seraphici Patris S. FRANCISCI
in Ticinenſi Provinciâ S. Didaci Concionatore,
atque Lectore.

MEDIOLANI, MDCCXXXV.

Ex Typographiâ Joſephi Pandulphi Malateſtæ. *Superiorum permiſſu.*
CUM PRIVILEGIO.

[illegible]
[illegible]

LECTORI BENEVOLO.

*V*Eteres *Philoſophi Morales*, *&* *Ethnici RATIONEM*, *quæ Homines à Brutis diſtinguit*, *rectè dirigendam curarunt*, *ut paſſionibus imperans*, *vitia fugeret*, *virtutes inſectaretur*: *At Nos*, *qui nedum* rationales, *ſed* *&* Catholici *ſumus*, *duplex* (*Dei gratiâ*) *lumen habemus*, rationis, *ſcilicet*, *&* Fidei: *quo ſit*, *ut nobis non ſola* Moralis Philoſophia *ſufficiat*; *ſed*, *&* Dogmatico-Moralis Theologia *congrua ſit*, *ut ſi illa* rationem dirigit, *inſtruat iſta* conſcientiam. *Plùs verò* (*abſit verbo jactantia*) *Tibi dicere auſim Lector Benevole*: Dogmatico-Moralis Theologia, Moralem *quoque* Philoſophiam continet. *Veritatem hanc meliùs cognitam cupis? Opus hoc lege*, *quo tutum iter habebis ad ita orthodoxè credendum*, *&* *moraliter benè vivendum*, *ut in Terris taliter tranquillâ gaudeas conſcientiâ*, *ut in Cœlis æterna perfruaris Beatitudine*. *Vale*.

Digitized by Google

Cenſorum Ordinis Approbatio.

DE mandato Adm. Rev. Patris Fr. Thomæ à Papiâ hujus Reformatæ Provinciæ S. Didaci olìm Miniſtri Provincialis per ſpeciale mandatum ſibi factum à *Reverendiſſimo Patre Fr. Joſepho Mariâ ab Eborâ* totius Ciſmontanæ Familiæ Commiſſario Generali: Opus, cujus titulus eſt: *Moralis Epitome* unâ cum *Conſcientiæ Morali Anatome*, ſivè, *Opus Polemicum Dogmatico-Morale*, *Juridico-Theologicum*, *Summorum Pontificum Conſtitutionibus*, nec non *Sacrarum Congregationum Decretis roboratum &c.* Patris Fr. Fernandi à Variſio Lectoris, & Concionatoris ejuſdem Provinciæ Alumni, ſtudio, & labore contextum, omnis ſolertiæ (cum ſingulari animi noſtri oblectamento) libravimus lance: Et nedùm Orthodoxæ fidei, bonorumque morum pondere, verùm etiam doctrinæ ſanæ, ſapidæ, & proficuæ gravitate pollens, deprehendimus. Quare, ne ſtudioſi ejus lecturâ priventur, ut publicâ luce fruatur, dignum cenſemus.

Dat. in Conventu S. Crucis Papiæ die 3. Octobris anno 1733.

Ego Fr. Joſeph Franciſcus à Papiâ Sacræ Theologiæ Lector, Ex Provincialis.

Ego Fr. Carolus Alphonſus a Papiâ Sacræ Theologiæ Lector, Ex Provincialis.

FR.

FR. JOSEPH MARIA AB EBORA

Ordinis Minor. Regul. Obſer. S.P.N. Franciſci Lector Jubilatus, & in hac Ciſmontana Familia tàm Obſervantium, quàm Reformatorum, & Diſcalceatorum Commiſſarius Generalis, & Servus.

Dilecto Nobis in Chriſto Patri Fratri Fernando à Variſio, Concionatori, atque Lectori noſtræ Reformatæ Provinciæ S. Didaci ſalutem, & Seraphicam benedictionem.

CUm juxta Apoſtolicas noſtrique Ordinis Conſtitutiones reviſum, & approbatum fuerit Opus quoddam à te compoſitum, cujus titulus eſt: *Moralis Epitome, una cum Conſcientiæ Morali Anatome, ſive Opus Polemicum Dogmatico-Morale, Juridico-Theologicum, Summorum Pontificum Conſtitutionibus, nec non Sacrarum Congregationum Decretis roboratum*. Tenore præſentium ad ſalutaris obedientiæ meritum facultatem Tibi impartimur, quatenùs ſervatis ſervandis, illud Typis mandare poſſis, & valeas. Vale &c. Dat. Romæ ex Aracœli die 5. Dec. 1733.

Fr. Joſeph M.ª ab Ebora Commiſs. Gen. Ord.

Locus ✠ Sigilli.

De mandato P. S. Reverendiſſimæ
Fr. Joannes Antonius de Taurino Secret. Generalis.

De

Digitized by Google

DE mandato Reverendiſs. P. Magiſtri Silveſtri Martini Mediolanenſis Dominii Inquiſitoris Generalis Librum, cui Titulus: *Moralis Epitome, uná cum Conſcientiæ Morali Anatome, ſivè Opus Polemicum Dogmatico-Morale, Juridico-Theologicum, Summorum Pontificum Conſtitutionibus, nec non Sacrarum Congregationum Decretis roboratum* ab Admodum Reverendo Patre Fraſcono à Variſio Strictioris Obſervantiæ Seraphici Patris Sancti Franciſci in Ticinenſi Provincia S. Didaci Concionatore, atque Lectore elaboratum, libentiſſimè vidi, ac perlegi, nec in eo aliquod Catholicæ Fidei, ac bonis operibus diſſonum animadverti, ſed omnia Divinæ Legi conſona, ſaluti animarum congrua, ac mira eruditione referta, ut Auctor ergo dignam laudem, & Lector ſingularem utilitatem conſequantur, typis mandandum eſſe cenſeo.

Dat. Mediolani in Conventu S. Franciſci die 18. Maji 1734.

Frater Joannes Baptiſta Carena
Minorita Conventualis.

Die 21. Maji 1734.

IMPRIMATUR

Fr. Sylveſter Martini Ord. Prædic. Inquiſitor Generalis Mediolani &c.

Dominicus Criſpus Parochus SS. Victoris, & 40. Martyrum pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Cardinali Odeſcalco Archiepiſcopo.

Carlius pro Excellentiſſimo Senatu.

PRI-

PRIVILEGIUM.

EXcellentiſſimus Mediolani Senatus, ſuis patentibus Litteris diei 4. Septembris 1734. ſtatuit, & inhibet Impreſſoribus, Bibliopolis, aliiſque omnibus, & ſingulis, nè imprimere, aut imprimi facere, alibique impreſſum in hoc Dominium aſportare, aut venale habere, aut vendere audeant hunc Librum, qui inſcribitur *Moralis Epitome unà cum Conſcientia Morali Anatome, ſivè Opus Polemicum, Dogmatico-Morale, Juridico-Theologicum, Summorum Pontificum Conſtitutionibus, nec non Sacrarum Congregationum Decretis roboratum, ad majus legentium, commodum per modum Repertorii ordine alphabetico coordinatum, ob brevitatem claritati unitam ſingulare poſitis ultrò in calce cujuslibet materia Propoſitionibus damnatis ab Alex. VII., Innoc. XI., & Alex. VIII. ad eaſdem materias ſpectantibus &c. Authore Patre Fr. Fernando Fraſcono à Variſio Strictioris Obſervantia Seraph. Patris S. Franciſci in Ticinenſi Provinciâ S. Didaci Concionatore, atque Lectore,* abſque licentiâ Joſephi Pandulphi Malateſtæ, per decennium incipiendum ab ejus editione, & ut fuſiùs in dictis Litteris, & hoc ſub pænis in ipſis contentis.

PA-

Digitized by Google

PAGINA.	LINEÆ.	ERRATA:	CORRIGE:
Pag. 4	lin. 26	*vitio gula*	*vitium gullæ*
Pag. 6	lin. 21	*ad tit. Juſtit.*	*ad tit. Inſtit.*
Pag. 8	lin. 22	fieri potes;	fieri poteſt;
Pag. 13	lin. 28	*Idolatria*	*Idololatria*
Pag. 19	lin. 13	tremeſceret	tumeſceret
Pag. 19	lin. 26	Quinquagerium	quinquagenarium
Pag. 38	lin. 20	quod habeat	quod habeant
Pag. 46	lin. 21	articulus	articulis
Pag. 49	lin. 6	laicis collectas	Laici, collectas
Pag. 55	lin. 14	*Chriſt. Theol.*	*Criſt Theol.*
Pag. 71	lin. 36	*receptatricis*	*receptatrices*
Pag. 84	lin. 15	vel minentes	vel minuentes
Pag. 142	lin. 9	priſæ	priſcæ Eccleſiæ
Pag. 143	lin. 21	*toto Orbi*	*toti Orbi*
Pag. 144	lin. ult.	Luthero,	Lutherum,
Pag. 164	lin. 20	differendo	defferendo
Pag. 229	lin. 3	ex ſcriptum:	eſt ſcriptum:
Pag. 230	lin. ult.	*ut pareant*	*ut appareant*
Pag. 231	lin. ult.	inſuſiſtens	inſubſiſtens
Pag. 243	lin. 9	*ſuſceptionis Sacramenta,*	*ſuſcipientis Sacramentum,*
Pag. 260	lin. 18	Pattiarca	Patriarca
Pag. 283	lin. 2	ſint	ſit
Pag. 286	lin. 17	Berrâ	Bertâ
Pag. 288	lin. 21	ſuſceptos	ſuſceptus
Pag. 296	lin. 14	ut ex	ut eſt
Pag. 309	lin. 21	reddere	redire
Pag. 313	lin. 14	transfortum	transfertur
Pag. 329	lin. 34	quia ſi nullum fuit	quia ſi *nullum fuit* TEMPUS
Pag. 330	lin. 6	*qu*	*qui*
Pag. 342	lin. 13	ſivè in	ſivè ex
Pag. 343	lin. 22	ipſis Pænitentes	ipſi Pænitentes
Pag. 346	lin. 36	*Quam*	*Quem*
Pag. 354	lin. 32	tullit	tollit
Pag. 358	lin. 26	cum non ſit	cum non ſint
Pag. 360	lin. 22	interſureunt	interfuerunt
Pag. 361	lin. 7	*Baptiſmum,*	*Baptiſmus,*
Pag. 377	lin. 33	*ſibipiſi*	*ſibi ipſi*
Pag. 383	lin. 37	aquiſita	acquiſita
Pag. 402	lin. 12	Ut ſic	Ut ſit
Pag. 406	lin. 17	conſentiente	conſentienti
Pag. 436	lin. 5	nominarim	nominatim
Pag. 438	lin. 1	aliquo	aliquod
Pag. 439	lin. 38	ſpetie	ſpecie

Errata minutiora hic annotare nolui, confidens, quod benevolus Lector; illos in mente ſuâ, corrigere dignabitur.

Abor-

Digitized by Google

A

ABortus tripliciter procurari poteſt: 1. eijciendo ſtudioſè ex utero Matris fœtum inanimatum; 2. animatum, ſed immaturum; 3. impediendo, ne fœtus concipiatur, ſivè potionibus, ſivè quocumque alio modo illicito.

Quilibet abortus ſtudioſè factus, eſt mortaliter peccaminoſus, & ſi eſt fœtus animati committitur *homicidium*, non tamen *proditorium*, ut aliqui opinantur, & ratio eſt, quia ibi non datur *ratio proditorii*, quæ in hoc conſiſtit, quod, vel *occidatur homo rationis compos, qui hic, & nunc impotens eſt, ad ſe præcavendum*; *vel ſub ſpecie amicitiæ*; cum autem utrumque, quod eſt de *eſſentia proditorii* deſit, ut conſideranti patet; indè ſequitur *tale homicidium* nullo modo dici poſſe *proditorium*: Adv. tamen eſt, quod ſi abortus animati fœtus, eſt quocumque modo *ſtudioſè* factus a *Patre*, vel *Matre*; tale *homicidium* dicitur *qualificatum*, quod, ſicuti opponitur duplici virtuti, ideſt, *juſtitiæ*, ac *pietati*; conſequenter importat duo peccata mortalia, ac proindè eſt circumſtantia neceſſariò exprimenda in confeſſione.

Pœnæ contrà procurantes *abortum fœtus animati*, *& ſecuto effectu* ſunt ſequentes: 1. Excommunicatio major ipſo facto de Jure incurrenda, non tamen Papæ reſervata. 2. Pœnæ in utrôque Jure, homicidis inſtitutæ; 3. Si ſunt Clerici; privatio omnium privilegiorum Clericalium, Dignitatum, & Clericalium Beneficiorum cum inhabilitate ad prædicta impoſterum conſequenda; immò, & degradationis actualis pœnâ cum traditione Curiæ ſæculari: *Ita Barbo. part. 3. de Offic., & poteſt. Epiſc. alleg. 51. num. 136., & ſeqq.* Si poſteà fœtus eſt *conceptus*, ſed *nondùm animatus* juxtà *Jus Civile in l. Si quis aliquid §. Qui abortionis ff. de pœnis* pœnâ extraordinariâ puniri debet, & ratio eſt, quia cum *fœtus conceptus*, & *nondùm animatus* non ſit homo; conſequenter in ejus abortu non committitur homicidium, ac proindè neque pœnâ ordinariâ pro homicidii crimine puniri poteſt: ergo extraordinariâ.

Olìm nonnulli opinabantur, *licitum eſſe abortum fœtus inanimati, ne Puella deprehenſa gravida occideretur, vel infamaretur*: ſed nunc talis opinio, ut erronea, ſcandaloſa, & temeraria ad minùs haberi debet, cum fuerit damnata ab Innoc. XI.

Paulus V. conceſſit privilegium Regularibus, ut in foro interno conſcientiæ abſolvere poſſint a prædictis pœnis, & cenſuris, quod

tamen ſic intelligendum eſt: niſi ſit caſus reſervatus in Diæceſi, ut patet ex propoſitione damnata ab Alex. VII. quæ eſt 12. in ordine.

Innoc. XI. propoſ. dam. 34. in ordine: Licet procurare abortum antè animationem fœtus, ne Puella deprehenſa gravida occidatur, vel infametur, & prop. 35.

35 *Videtur probabile omnem fœtum quamdiù in utero eſt, carere anima rationali, & tunc incipere primò eandem habere, cum paritur, ac proindè dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Adv. eſt, quod ſicuti propoſitiones damnatæ a Summis Pontificibus non ſunt DD. opiniones, ſed dogmata Catholica, ſic in contrarium eſt prohibitum ſub pœnâ excommunicationis latæ, Papæ reſervatæ; idque non ſolùm ſi per modum contradictionis, ſed etiam ſi per modum diſputationis non ſolùm publicè, ſed etiam privatim, ut patet ex Decretis *Alex. VII.*, *Innoc. XI.*, & *Alex. VIII.* Cum autem ſint dogmata Catholica, eſt ſimpliciter neceſſarium, quod Confeſſarii illas benè ſciant, ſaltem quo ad ſubſtantiam, ne eſſentialiter errent circà ſpectantia ad officium proprium.

Abrogatio legis differt a derogatione, & irritatione in hoc, quod *abrogatio* tunc fit, quando totaliter caſſatur, & tollitur lex: *derogatio* autem fit, quando ex una parte tantùm caſſatur, & tollitur lex: irritatio poſteà fit, quando lex ab uno inferiore condita, nullius roboris a Superiore declaratur.

Abſolutio Sacramentalis eſt *Sententia diffinitiva a Confeſſario data, abſolvens pœnitentem a peccatis*, & conſiſtit eſſentialiter in his verbis: *Abſolvo te* &c. ita *Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 4. §. Ex hoc ſequitur*, & concordat cum *Conc. Florent. in Decreto Union.*, & etiam cum *Trid.* Omiſſio horum verborum; nempè, *a peccatis tuis*, ſecluſo contemptu, non eſt niſi veniale, ut cum commu. *Buſemb. lib. 6. tract. 4. cap. 1. dub. 1.* Valet etiam abſolutio per alia verba æquipolentia, ſufficienter exprimentia actum judicialem ſententiæ abſolventis, & hoc deſumitur ex *Rituali Romano*, cujus verba referuntur *num. 32.*

Abſolutio Sacramentalis duplex eſt; nempè: *directa*, atque *indirecta*: prima eſt, quando in pœnitente nulla remanet obligatio iterum confitendi peccata jam confeſſa; ſecunda eſt, quando in pœnitente remanet obligatio confitendi iterum peccata jam confeſſa, ſive etiam omiſſa ob inſtans periculum vitæ, vel ex oblivione inculpabili, vel ex ignorantia invincibili, vel ex quâcumque alia juſta causâ.

Abſo-

Digitized by Google

Abſolutio data ſub conditione de præſenti, vel de præterito, ſi verè ita ſit, vel fuerit, eſt licita, & valida; de futuro contingenti effectum Sacramenti ſuſpendente, eſt illicita, & invalida; de futuro neceſſario, v. g., abſolvo te, ſi Deus ſcit te craſtina die facturum reſtitutionem, ſicuti nunc promittis eſt illicita, & invalida.

Quando Confeſſarius incæpit alicujus confeſſionem audire, in quâ jam expoſita fuit aliqua materia neceſſaria: Si ſinè prævia proteſtatione non ſequendi opinionem probabilem pænitentis, licèt minùs probabilem illâ Confeſſarii, tenetur ſub mortali ſequi illam pænitentis, & eum abſolvere (cæteris tamen concurrentibus) Quod teneatur ratio eſt, quia pænitens integrè confeſſus eſt (ut ſupponi debet) peccata ſua, & aliàs eſt ſufficienter diſpoſitus, & conſequenter Confeſſarius tenetur illum abſolvere: Quod poſteà teneatur ſub mortali, ratio eſt, quia denegando illi abſolutionem, ei infert graviſſimam injuriam, illum obligando bis peccata ſua confiteri, quod neque Ecclesia, neque ipſemet Deus præcipiunt, Adv. tamen eſt, quod hæc doctrina ſic intelligenda eſt, ideſt, quando eſt ſermo de probabilitate *in materia Juris*, non autem *in materiá facti*, ubi poſſit ſequi damnum tertio, ut dicetur in compendio tractatus de *conſcientia probabili* inferiùs loco proprio.

Quando Confeſſarius invalidè abſolvit pænitentem ab aliqua cenſura, tenetur poſteà petere facultatem eum abſolvendi, & illum poſtea abſolvere, licèt etiam abſentem: ſi invalidè abſolvit a peccatis mortalibus, tenetur illum advertere de invaliditate abſolutionis, ut Animæ ſuæ providere poſſit (ſi tamen licito modo advertere poteſt) In caſu mortis tenetur abſolutè, ne pereat illa Anima.

Hic duo adv. ſunt: 1. Quod *Eugenius Papa* ſancivit, quod omnia Sacramenta perficiantur verbis propriis, non autem impropriis, puta, *nutu*, *ſigno*, *ſcripto* &c. 2. quod *Clem. VIII.* declaravit impartiri non poſſe abſolutionem Sacramentalem *abſentibus abſentia phyſica*, ideſt, quod verificari nequeat per ſignum demonſtrativum illud: *Abſolvo te* &c. Ex hoc autem infertur, quod quando pænitens eſt ſolummodo moraliter abſens (quia eſt moraliter præſens) abſolvi poteſt: Per ly *moraliter* abſens intelligitur, quando Confeſſarius non ſolùm audit, & videt pænitentem, & quando illum audit, licèt non videat, ſed etiam

 quando

quando videt, licèt non audiat in caſu tamen neceſſitatis, puta, ſi quis exiſtens in extremis, peteret confeſſionem; & aliquis Sacerdos a longè illum videret, ſed nullatenùs audire poſſet, & aliqui; vel aliquis illi diceret, quod ille in extremis exiſtens petivit confeſſionem: in tali caſu Sacerdos ſic a longè exiſtens; abſolvendo licitè, & validè abſolveret, dummodo etiam vox Confeſſarii communicetur pænitenti ad hoc, ut verificetur illud: *Abſolvo te*.

Alex. VII. propo. dam. 12. in ordine: Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis ſinè illorum facultate;

Innoc.XI. prop.dam.29.in ordine: Urgens metus gravis eſt cauſa juſta ſimulandi adminiſtrationem Sacramentorum; & prop.59.

59 Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus pænitentium, qualis, v. g., poteſt contingere in die alicujus magnæ feſtivitatis, aut Indulgentiæ; & propo. 60.

60 Pænitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etiam ſi emendationis nulla ſpes appareat, non eſt deneganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, ac proponere emendationem; & prop.64.

64 Abſolutionis capax eſt Homo, licèt laboret ignorantiâ myſteriorum fidei; & etiam ſi per negligentiam etiam culpabilem, neſciat myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C.

Abſtinentia, ut ſpecies Temperantiæ, *eſt virtus, quæ ſecundùm rectam rationem moderatur appetitum uſumque ciborum, & potationum oblectantium*: Si finis, & circumſtanciæ ſunt rectæ, eſt meritoria: *Abſtinentiæ* opponitur peculiariter *vitio gulæ*, quod conſiſtit in immoderato appetitu, & uſu ciborum, & potabilium ob ſolam voluptatem.

Acceptatio perſonarum *eſt injuſtitia, quâ præfertur perſona perſonæ ob indebitam cauſam*: ita in *6. & l. 5. Cum dies* ſi talis prælatio eſt cauſa cujuſcumque gravis damni ſivè ſpiritualis, ſivè temporalis in quocumque; præferens, ut cauſa (ultrà peccatum) tenetur in ſecundo ad omnia damna in utrôque foro: *In judiciis prohibetur a Jure cap. in judiciis de Reg. Jure in 6., & l.5. cum dies §. 5. Arbiter §. de Arbitris.*

Acceptilatio *eſt habitio rei pro recepta*, quæ juxtà *Tamb.* dupliciter contingere poteſt: 1. per *remiſſionem*, vel *donationem*; 2. per *ſecuritatem*: claritatis gratiâ de utrâque ſit exemplum, & priùs de *remiſſione*, aut *donatione*: Titius eſt creditor contrà Sem-

pro-

pronium centum aureorum, & habens determinatam voluntatem remittendi, vel donandi Sempronio illos centum aureos, jurat coràm Notario, ſe recepiſſe illos centum aureos: In hoc caſu non eſt neque perjurus, neque mendax, & conſequenter licitè jurat, & ratio eſt, quia ex communi acceptatione, talia verba non ſumuntur, ut ſignificant *propriè*, ſed ſumuntur, ut ſignificant *impropriè*, quatenùs, ſcilicet, pro receptis habet, & hæc Acceptilatio æquivalet veræ receptioni, ac proinde Titius ſic jurando, non eſt neque perjurus, neque mendax: immò poteſt antequam juret paciſci cum debitore de non acceptandâ donatione, aut etiam, quod ex poſt redonet, dummodo tamen exindè nulli damnum ſequi poſſit. Exemplum de *ſecuritate:* Titius certus de fidelitate Sempronii, licèt non receperit illos centum aureos, jurat coram Notario, ſe illos centum aureos recepiſſe a Sempronio: in hoc caſu *licitè* jurat, & conſequenter non eſt neque perjurus, neque mendax, & ratio eſt, quia in tali caſu non requiritur *certitudo phyſica*, ſed ſufficit *certitudo moralis*, cum autem Titius ſit *moraliter certus*, ſe habiturum ſuos centum aureos, conſequenter *licitè* jurare poteſt, tamquam ſi eos jam recepiſſet.

Accidia ſeptimum peccatum capitale *eſt qua homo triſtatur de bono ſpirituali, quatenus pertinet ad ipſum hominem*: ita in re communiter. In accidia triplex inveniri poteſt triſtitia de bono ſpirituali, & quælibet eſt contra charitatem: Prima eſt, qua diligendus eſt Deus; ſecunda eſt, qua quis tenetur diligere ſe ipſum propter Deum; tertia eſt, qua diligendus eſt proximus in ordine ad Deum: prima triſtitia eſt, qua homo triſtatur de bono ſpirituali; ut a Deo eſt, quaſi nolens ipſius manifeſtationem, & gloriam, & licèt vix talis triſtitia dari poſſit, attamen ſi daretur oriretur ex odio Dei, quod inter omnia peccata eſt graviſſimum; ſecunda triſtitia eſt, qua homini diſplicet bonum ſpirituale, quatenus ad ipſum hominem pertinet, quaſi faſtidiens, & nolens ſe eſſe capacem talis boni ſpiritualis, & hæc triſtitia dicitur *propriè accidia*, quæ oritur ex duplici capite; nempè: ex nimio affectu rerum temporalium, & ex terrore laborum, & ſtudiorum, quibus ſpiritualia ſunt conſequenda; tertia triſtitia eſt, qua quis triſtatur de bono ſpirituali, ut eſt in proximo, & hæc eſt peccatum grave in Spiritum Sanctum, & appellatur *invidentia fraternæ gratiæ*.

Accidia ex genere ſuo eſt peccatum mortale, niſi excuſet parvitas materiæ, vel indeliberatio actus, & ex illâ oriuntur alia ſex vitia;

vitia; nempè: deſperatio, puſillanimitas, torpor, malitia, rancor, & mentis evagatio, de quibus loco proprio.

Actio judicialis *eſt jus, quod quis habet proſequendi in judicio, quod ſibi debetur*: dividitur in realem, & perſonalem; *realis* eſt illa, quæ adhæret rei, ipſamque inſequitur, adeo ut in cujuſcumque poſſeſſionem res nobis obligata devenerit, ab eodem repoſci, & vindicari poſſit, ut ſi v. g. probaverimus rem eſſe noſtram, etiam in judicio neceſſitatem habeat poſſeſſor, eam nobis reſtituendi: ita communiter juriſprudentes: ſecunda eſt illa, quæ proximè tendit in perſonam nobis obligatam ex aliquo contractu, vel delicto: *Tex. & DD. ad tit. Juſtit. de Actionibus*.

Actus *humanus* eſt ille, qui procedit ab homine *reduplicativè* ſumpto, quatenus, ſcilicet, ab illo producitur cum *advertentia*: Actus *hominis* eſt ille, qui producitur ab homine *ſpecificativè* ſumpto, quatenus, ſcilicet, ab illo producitur *ſine ulla advertentia*: ita in re communiter: primus ſi eſt bonus eſt meritorius, & ſi eſt malus, eſt demeritorius; ſecundus, ſicuti eſt factus ſine ulla advertentiâ, ita neque bonus eſt, neque malus, & conſequenter neque meritorius, neque demeritorius.

Bonitas poſteà, vel malitia actus humani in genere moris ſpectati ex triplici capite deſumenda eſt; 1. ex bonitate, vel malitiâ objecti, circa quod verſatur actus humanus; 2. ex fine bono, vel malo operantis; 3. ex circumſtantiis bonis, vel malis: Ita *Scotus in 2. diſt.* 40. Ex hoc autem ſequitur, quod ad hoc, ut actus humanus in genere moris ſpectatus ſit *bonus*, ac proindè *meritorius*, prædicta tria copulativè ſumpta concurrere debent, cujus potiſſima ratio eſt, quia *Bonum ex integrâ causâ*; & ad hoc, ut ſit *malus*, ac proindè *demeritorius*, ſufficit defectus cujuſcumque ex prædictis, & ratio eſt, quia *Malum ex quocumque defectu*.

Porrò bonitas, vel malitia actus humani in genere moris ſpectati ex *objecto* deſumpta (regulariter loquendo) eſt *primaria, & eſſentialis actus humani* in genere moris ſpectati; ex *intentione* autem *operantis*, & ex *circumſtantiis* eſt *ſecundaria, & accidentalis*, ut docet *Scotus in quæſt. 4. Prologi*, quem ſui, & plures alii ſequuntur: dixi *regulariter* loquendo, quia aliquando *finis, & circumſtantiæ* tribuere poſſunt actui humano in genere moris ſpectato etiam *primariam, & eſſentialem ſpeciem* bonitatis, vel malitiæ, ut dum quis actionem ex ſe indifferentem elicit ad honorem Dei, puta, ſtudium ad honorem Dei; vel actionem ex ſe bo-

nam

Digitized by Google

nam ob finem pravum, puta, ire ad Eccleſiam ad audiendum Sacrum pro captanda delectatione in iſpicienda Amaſia, in quibus caſibus intentio bona, vel mala operantis confert actui humano in genere moris ſpectato primam omnino, & eſſentialem ſpeciem bonitatis, vel malitiæ: adv. tamen eſt, quod licèt ſola intentio operantis malitiam medii pravi diminuere poſſit, ut furtum pro erroganda eleemoſinâ; auferre tamen non poteſt omnimodam medii malitiam, ut patet ex *Apoſt. ad Rom. cap.3. Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*.

Regula deindè ex quâ derivatur *bonitas*, vel *malitia* actus humani in genere moris ſpectati, juxtà *D. Thom.* 1. 2. *q.* 19. *a.* 4. duplex eſt; nempe: *proxima*, & *remota*; iſta, eſt lex intrinſeca nobis præſcribens quid ſit proſequendum, vel fugiendum; illa eſt ipſum-met rectæ conſcientiæ dictamen, nobis dictans, quid ſit conforme, vel difforme legi extrinſecæ, & conſequenter, vel bonum proſequendum, vel malum fugiendum.

Ad hoc poſteà, ut actus humanus in genere moris ſpectatus ſit *malus*, ſufficit quodcumque voluntarium, ſive in ſe, ſive in ſua causâ, & ratio eſt, quia *malum ex quocumque defectu*; & ad hoc, ut ſit *bonus*; requiritur, quod ſit *directè* volitus ſaltem *intentionaliter*, eo quia præcognitus ſaltem *virtualiter*: Ita *Scotus quodlib.* 18. cum pluribus aliis, & ratio eſt, quia *bonum ex integrâ causâ*.

Hic pro complemento compendioſo hujus, diffuſi tractatus, tria ſunt advertenda; 1. quod actus voluntatis alii ſunt *eliciti*, qui, ſcilicet, ab ipſammet voluntate eliciuntur, ut ſunt volitiones, nolitiones, & hujuſmodi; & alii ſunt *imperati*, qui, ſcilicet, ex imperio ipſius voluntatis producuntur, ut quando voluntas imperat potentiæ locomotivæ, ut pergat ad Eccleſiam; 2. quod in actibus humanis duplex conſiderari poteſt bonitas; nempe: naturalis, & moralis: *naturalis* conſiſtit in integritate eorum omnium, quæ in entitate actus naturalis requiruntur, ut cantus benè conſonans, & juxtà regulas muſicas factus, qui dicitur *naturaliter bonus*, licèt forſitan *moraliter malus*, quia laſcivus; *moralis* verò conſiſtit in integritate eorum omnium, quæ actui humano ſecundùm rectam rationem conveniri debent, ut: *Objectum, finis*, & *circumſtantiæ*, ſicuti è contra *malitia moralis* conſiſtit in defectu etiam unius ſolummodo ex prædictis, ut ſuprà dictum eſt; 3. quod triplex aſſignatur bonum; nempe: *utile*, *delectabile*,

&

& *honeſtum*, ideſt, *moraliter bonum*, & hoc eſt illud, de quo hìc eſt ſermo, quod, ſcilicet, eſt conforme dictamini rectæ rationis, ideſt, conſcientiæ rectæ, proponentis quidnam ſit conſentaneum legi Divinæ extrinſecæ, vel humanæ, ac proindè, vel bonum moraliter proſequendum, vel malum fugiendum.

Alex. 8. *in Cong. Gener. habita die* 24. *Auguſti* 1690. *damnavit ſequentem Propoſitionem, ut hæreticam*: *Bonitas* objectiva *conſiſtit in convenientiâ objecti cum naturâ rationali*; formalis *verò, in conformitate actus cum regulâ morum*: *Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem interpretativè*: *HINC HOMO non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis*.

Actus voluntatis quando interrumpantùr, ità quod multiplicent numerum peccatorum ejuſdem ſpeciei, ex quatuor cognoſci poteſt: 1. ex pluribus actibus, qui ſucceſſivè fiunt contrà plura diverſæ ſpeciei objecta; 2. quando poſt unum elicitum, de illo elicitur dolor, aut contraria voluntas, & poſtmodum elicitur alius actus ſimilis; 3. ex tempore interpoſito inter unum, & alium actum; 4. ex ſomno, vel aliâ interruptione materiali.

Adjuratio ut actus religionis, *eſt conteſtatio rei Sacræ, cujus reverentiâ intendimus alium promovere ad aliquid præſtandum*: dupliciter fieri potes; nempè: *præcipiendo*, ut fecit D. Paulus: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epiſtola hæc*. *Theſs*. 1. *cap. ult.*, & *deprecando*, ut habetur in Eccleſiæ precibus *per Chriſti adjurationem* ſupplicantes exaudiri, dum in earum fine ſubjungi ſolet: *Per D. N. J. C.* &c. In adjuratione tria eſſe debent; nempè: *veritas, juſtitia, & neceſſitas*, licèt aliàs quâcumque deficiente poſſit eſſe veniale tantùm, undè juxtà malitiam rei, quæ præcipitur, vel petitur eſt peccatum mortale, vel veniale.

Admiratio *eſt quidam ſtupor de perſonâ, aut de facto*. Differt a *ſcandalo*, quia iſtud conſiſtit in quâcumque actione, vel omiſſione, quæ ſit cauſa ruinæ ſpiritualis in proximo; hinc quodlibet, quod ſit cauſa *peccati*, dicitur *ſcandalum*; & quod eſt cauſa *ſtuporis*, dicitur *admiratio*, quæ licèt ex genere ſuo ſit tantùm peccatum veniale, attamen poteſt eſſe mortale, ſi exindè ſequitur ſcandalum, vel grave damnum; undè in illis communitatibus, quæ *mendicando*, *communibus eleemoſinis vivunt*, admiratio ab aliquo ex illis data in materiâ gravi, eſt peccatum mortale, licèt non ſit cauſa ruinæ ſpiritualis in aliis, & ratio eſt, quia talis admi-

admiratio cædit in detrimentum notabile ſuæ communitatis, eo quia malo exemplo frigeſcit charitas.

Quæritur an ſit licitum patrare minus malum, *ut medium ſimpliciter neceſſarium* pro evitando majori malo? Reſp. cum diſtinctione, & 1. *affirmativè*, loquendo tamen de illis malis, quæ ſolummodo ſunt *mala*, quia *prohibita*, & *negativè* de illis malis, quæ ideò ſunt *prohibita*, quia *mala*, & ratio diſparitatis eſt, quia quæ ſolùm ſunt mala, quia prohibita, aliquando cohoneſtari poſſunt; ſed quæ ſunt prohibita, quia mala, numquam cohoneſtari poſſunt, ut firmiter tenent omnes Theologi, & conſequenter &c.

Adoratio genericè ſumpta, *eſt exhibitio reverentiæ alicui rei propter ipſius excellentiam*: Ita in re communiter, ſed quia varia ſunt excellentiarum genera, variæ quoque ſunt adorationum ſpecies, & una eſt merè *civilis*, ſeù *politica*, qualis exhiberi ſolet Regibus, atque Principibus propter eorum ſtatus excellentiam; alia eſt *Sacra*, ſeu *Religioſa*, cujus ſpecies ſunt tres; nempè: *Latria*, quæ convenit *ſoli Deo*; *Hyperdulia*, quæ competit *SS. Deiparæ ſemper Virgini Mariæ*; & *Dulia*, quæ competit *cæteris Sanctis*.

Deus, & tota SS. Trinitas; quælibet Perſona Divina; Jeſus Chriſtus; SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſub utrâque ſpecie adorandi ſunt *adoratione Latriæ abſolutâ*: Tres Perſonæ Divinæ adorandæ ſunt *una adoratione abſolutâ*, non quidem hoc ſic intelligendum eſt, quaſi una nequeat diſtinctè ab aliis duabus adorari; ſed ſic intelligi debet, quod aliæ duæ explicitè non excludantur, ut eſt communis Theol. ſententia, & præſertim *Maſtrii diſp. XI. Theo. Moral. num.* 18. Sanctiſſima Dei Genetrix Virgo Maria eſt adoranda *adoratione abſolutâ Hyperduliæ* ob ſingulariſſimam dignitatem Maternitatis Divinæ, atque excellentiſſimam ejus præ cunctis puris creaturis Sanctitatem, & gloriam. Sancti cum Chriſto in Cælo regnantes adorandi ſunt *adoratione Duliæ abſolutâ*. Sanctorum Imagines, eorumque Reliquiæ venerandæ ſunt *cultu Duliæ*, non tamen *abſoluto*, ſed *reſpectivo*, ideſt, non propter ſe, ſed propter id, quod repreſentant: idem reſpectivè, & proportionaliter dicendum eſt de Imaginibus Dei, SS. Trinitatis, Divinarum Perſonarum, Jeſu Chriſti, Sacræ Jeſu Chriſti Crucis, & Sanctiſſimæ Virginis Mariæ: ita *Trid. ſeſſ.* 25. *in Decreto de invocatione Sanctorum*. Homines vitæ ſanctitate præclari; vel martyrii famâ inſignes, ſed nondum canonizati, vel beatifi-

 cati

Digitized by Google

cati honorari nequeunt *cultu publico*, & *ſolemni*, benè tamen *cultu privato*: ita communiter DD., & deſumitur *ex cap.* 1., *& ult. De Reliquiis, & veneratione Sanctorum*: Cultus poſteà *publicus*, ſeu *ſolemnis* non ideò dicitur *publicus ſolemnis*, eo quia coràm aliis exhibeatur, ſed ideò dicitur *publicus ſolemnis*, quia deſertur nomine Eccleſiæ, & tamquam ab eâ inſtitutus; & per *cultum privatum* intelligitur ille, qui non exhibetur tamquam inſtitutus ab Eccleſia, neque nomine Eccleſiæ, ſed fit ex devotione colentis, ſivè in privato, ſivè in publico loco.

Hæretici moderni, *Cultum abſolutum, Sanctis debitum*, negant; Sacram Scripturam, habere pro fundamento propriæ perverſitatis, ſe adulantes: adducunt ergo duos Sacræ Scripturæ teſtus ex *Apocal. cap.* 10., *&* 19. erutos, in quorum primo legitur, quod S. Petrus (ſuper cujus petram Chriſtus fundavit Eccleſiam ſuam) recuſavit adorationem, ſibi a Cornelio exhibitam; & in ſecundo; quod Angelus, honorem, ſibi a Joanne exhibitum, reſpuit, & conſequenter, ajunt, quod ſicuti Angelus, & Petrus recuſarunt adorationem ipſis a Joanne, & Cornelio exhibitam, ſignum evidens eſt, quod ſolus Deus (cui ſoli juxtà *Apoſt. in* 1. *ad Cor. cap.* 1. *eſt bonor, & gloria in ſæcula ſæculorum*) colendus, & adorandus eſt, ac proindè, quod cultus, & adoratio, quæ cuicumque creaturæ exhibetur, non ſit Religioſa, & Sacra, ſed Idolatrica.

Verùm cum in eâdem Sacra Scripturâ, pluribi inveniatur, quod Angeli acceptarunt Hominum adorationes, ut legitur in *lib. Gen. cap.* 18., *& cap.* 19., & in *lib. Num. cap.* 5., *& cap.* 22., per neceſſariam conſequentiam concludendum eſt, quod neceſſaria ſit aliqua Sacræ Scripturæ interpretatio, niſi velimus dicere, quod Deus, qui utriuſque Teſtamenti eſt author, in novo Teſtamento retractare voluerit, quod priùs in veteri dictaverat, quod ſolùm excogitare, pluſquam diabolicum eſſet.

Exponunt ergo Sancti Hieronymus, & Auguſtinus, Orthodoxi illorum ſæculorum Patres, in quibus etiam juxtà hæreticos, vera floruit Religio, & ſyncerior viguit doctrina, quod ideò S. Petrus recuſavit adorationem, ſibi a Cornelio exhibitam, quia agnovit, quod eum adorare volebat, eo quia in Petro aliquam divinitatem credebat; ideòque ad tollendum tàm grandem errorem in Cornelio, prædictam adorationem recuſavit. Quod hæc expoſitio, quam facit *S. Hieronym. in epiſt. contrà Vigilantium*, ſit germana, & legitima, ex hoc evidenter patere debet, quod etiam *Paulus*,

&

& Barnabas, ideò recuſarunt adorationem, ipſis a Gentilibus exhibitam, quia Gentiles eos adorare volebant ut Deos; nempè: ut *Jovem*, & *Mercurium*, ut legitur in *Act. Apoſt. cap.* 14; de Angelo poſteà, qui honorem, ſibi a Joanne exhibitum, reſpuit; exponit *S. Auguſt. in quaeſt.* 61. *in Gen.*, & dicit; quod ideò Angelus recuſavit honorem, ſibi a Joanne exhibitum, quia a multis Angeli reputabantur Dii; ideòque ad tollendam ab Hominibus talem credentiam, recuſavit Angelus honorem, ſibi a Joanne exhibitum.

Cum autem juxtà legitimam, & germanam Sanctorum Auguſtini, & Hieronymi expoſitionem *textuum Apocal.* appareat cauſa, ob quam Angelus, & Petrus recuſarunt honorem, & adorationem ſibi ipſis a Joanne, & Cornelio exhibitam, ne, ſcilicet, crederentur, vel reputarentur Dii; per neceſſariam conſequentiam concludere debent etiam hæretici, quod *textus Sacræ Scripturæ ex Gen., & lib. Num.* ſuprà citati, intelligi debeant, ſicuti ſonant ad litteram, ideſt, juxtà purum ſenſum litteralem, niſi temerariè, & execrabiliter dicere velint, quod Deus in Teſtamento novo deleverit, quod priùs dictavit in veteri; ac proindè credere, & confiteri debent, quod ille cultus ſivè *hyperduliæ*, qui ſcilicet exhibetur SS. Deiparæ ſemper Virgini Mariæ, ſivè *duliæ*, qui, nimirùm, exhibetur cæteris Sanctis, verè ſit Sacer, & Religioſus. Per hunc cultum poſteà, qui Sanctis exhibetur, non minuitur ille *cultus latriæ*, qui ſolius Dei eſt proprius (ut falsò dicunt hæretici), quin potiùs extollitur, & augetur, dùm talis cultus Hyperduliæ, & Duliæ terminativè tendit in Deum eòdem modo, quo honor, qui ſervis exhibetur, terminativè tendit ad eorum Dominos; quapropter ad propoſitum ſic ſuadet *S. Hieronym. in epiſt. ad Riparium*: *Honoremus Servos, ut Servorum honor redundet in Dominos.*

Sicuti Hæretici negant cultum, & venerationem ergà Sanctos, ſic etiam *eorundem invocationem, & interceſſionem reijciunt*, erroneè, falsòque credentes, quod quando Jeſus Chriſtus dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, ut legitur in *Matt. cap. xi.* tàm abſolutè locutus fuerit de ſua primariâ, abſolutâ, & independenti mediatione hominis ad Deum, quod ſecundariam, & dependentem, omninò excluſerit. At toto Cælo falluntur, nam præter primariam, abſolutam, & independentem mediationem, & interceſſionem, quæ ſo-

Digitized by Google

lius Jeſu Chriſti eſt propria, cum propriis ſuis meritis exoret, & obtineat, datur etiam alia mediatio, & interceſſio, ſecundaria, ſcilicet, & dependens a Jeſu Chriſto, cujus merita, cum ſint infiniti valoris; Sanctorum precibus, & meritis, totum valorem tribuunt.

Hanc veritatem agnoſcens Apoſtolus; & immemor non exiſtens *epiſtolæ ſuæ ad Tim. cap.2.*, in qua ſcripſerat, quod *unus eſt mediator Dei, & hominum, Homo Jeſus Chriſtus*, quia tamen ſciebat, quod præter primariam, abſolutam, & independentem Jeſu Chriſti mediationem, altera Servorum Dei, ſecundaria, ſcilicet, & dependens dabatur, ideò non omiſit interponere mediationem Theſſal. Coloſs. & Romanorum, eos exorando, ut pro ſe orarent ad Deum, ut legitur in *epiſt. ad Theſſ. cap. 3., ad Coloſs. cap.4., & ad Rom. cap.15.*

Hanc innegabilem veritatem agnoverunt omnes primitivæ Eccleſiæ Orthodoxi Patres, inter quos S. Hieronymus ſic in *epiſt. adversùs Vigil. cap.3.* ſcribendo: *Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti* poſſunt orare pro cæteris, *quanto magis* poſt victorias, coronas, & triumphos? *S. Ambroſius in lib. de Viduis ſic dicendo*: Obſecrandi ſunt Angeli pro vobis, *qui pro nobis dati ſunt ad præſidium*: Martyres obſecrandi ſunt ... poſſunt pro peccatis noſtris rogare. *S. Auguſtinus*, (quem Calvinus appellat fideliſſimum, & optimum teſtem inter omnes Orthodoxos primitivæ Eccleſiæ Patres) pluribi dat irrefragabile teſtimonium irrefragabilis hujus veritatis,& præſertim in *lib. meditat. cap.4., & cap.5.* ſic ſe exprimendo: *Fælices Sancti Dei, qui pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis* ... obſecro vos per veſtram charitatem *qui ſecuri eſtis de vobis*, ſoliciti eſtote de nobis: *ſecuri eſtis de veſtrâ immarceſſibili gloriâ* ſoliciti eſtote *de noſtrâ multiplici miſeriâ*. Et in lib. de Sanctis ſic: *Inter hæc igitur Fratres cum toto mentis affectu* Beatiſſimæ Virginis patrocinia omni niſu imploremus... *Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium*, poſſe plùs omnibus liberatis impendere ſuffragium. *Horſmida* in indiculo, ideſt, inſtructione in ſcriptis data quatuor Legatis, ab ipſo Conſtantinopolim miſſis ad Anaſtaſium Imperatorem, in §. 2. hæc verba poſuit: *Salutat vos Horſmida Pater veſter, Deum quotidie rogans*, ut interceſſionibus Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, *veſtrum Regnum &c.*, & brevitatis gratiâ plures alios præteriens, *Sanctum Bernar-*

Digitized by Google

Bernardum Abbatem Claravalenſem referam, qui licèt infrà prima quinque ſæcula, ideſt, in ſæculo 12. vixerit; ut tamen teſtem omni exceptione majorem, tenentur hæretici illum auſcultare, illique ſinè ullâ licèt minimâ contradictione pleniſſimam fidem præſtare, dum *Lutherus in colloq. convival.* dicit S. Bernardum, omnes Eccleſiæ Doctores viciſſe; & *Calvinus in lib.* 4. *Inſtit. cap.* x. aſſerit, quod S. Bernardus in *lib. de Conſiderat.* ità loquitur, ut veritas ipſa loqui videatur; & in *cap.* x1., eum vocat pium, & Sanctum Scriptorem; & *Daniel Heiſenſis in orat.* 3. dicit, quod opera, quæ S. Bernardus ſcripſit, ſunt: Rivus Paradiſi; Ambroſia animarum; Pabulum Angelicum, & Medulla pietatis. Sic autem ſcribit S. Bernardus in ſermone 1. de Sancto Victore: *Gaudete in Domino dilectiſſimi, qui inter continua ſuæ pietatis beneficia, indulſit hominem mundo, cujus multi ſalvarentur exemplo. Iterum dico gaudete*, quod factus de medio, appropriavit Deo, ut multò plures ejus interceſſione ſalventur. *In terris apparuit, ut eſſet exemplo*; in Cælis levatus eſt, ut ſit patrocinio... *Sedet veteranus miles, debita jam ſuavitate, & ſecuritate quietus; ſecurus quidem ſibi*, ſed noſtri ſolicitus.... *Eja ergo fortis Athleta, dulcis Patrone*, Advocate fidelis exurge in adjutorium nobis, ut, & nos de noſtra ereptione gaudeamus, *& tu de plena victoria glorieris*. Quid clarius, & evidentiùs ſcribere poterat Divus Bernardus ad ſolatium credentium mediationem, & interceſſionem Sanctorum apud Deum, & æternam confuſionem non credentium?

Aſſerunt poſtremò Hæretici, quod illa reſpectiva adoratio, ideſt, Cultus, qui a Romano-Catholicis *exhibetur Jeſu Chriſti, & Sanctorum Imaginibus, ſit vera Idolatria*. Verùm, ſi Hæreticorum aſſertio, alicujus, licèt minimæ fidei, eſſet digna; talia ſequerentur abſurda, quod procul omni dubio, ab ipſis Hæreticis deteſtarentur, ut diabolica inventa: Sequeretur 1. quod Deus creando hominem, ſibi feciſſet Idolum, ut evidenter conſtat ex *lib. Gen. cap.* 1., ubi eſt ſcriptum, quod Deus ſic dixit: *Faciamus hominem ad* Imaginem; *& ſimilitudinem noſtram*; & quod poſtea de facto hominem creavit ad imaginem ſuam, nam ibidem inferiùs ſic legitur: *Et creavit Deus hominem* ad imaginem ſuam; ad imaginem Dei *creavit illum*. Sequeretur 2., quod ipſemet Deus Idolatriam præcepiſſet, Moyſi præcipiendo, ut duos Cherubim aureos ſuper Arcam fœderis conſtrueret, quæ Arca Imago Dei erat, quam-

que

quæ adorandam ab omnibus, præceperat, ut eſt ſcriptum in *Pſal.* 98. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt*; quod quidem ſcabellum eandem fuiſſe Arcam fœderis, teſtatur Sacra Scriptura in *lib.* 1. *Paralip. cap.* 28., ubi ſic legitur: *Cogitavi, ut ædificarem Domum, in quâ requieſceret Arca fœderis Domini*, & ſcabellum *Dei noſtri*. Sequeretur 3., quod Jeſus Chriſtus dediſſet cauſam proximam idolatrandi, mittendo Imaginem ſuæ Divinæ faciei in velo impreſſam, Regi Abagaro, ut referunt *Evagrius lib.* 4. *cap.* 26., *&* *Damaſcenus in lib.* 1. *Imaginum*; idemque feciſſet etiam S. Lucas Evangeliſta, pingendo, venerationis causâ, Imaginem SS. Deiparæ ſemper Virginis Mariæ, ut teſtatur *antiquiſſimus Metaphraſtes in vitâ S. Lucæ*: ne ergo prædicta tria abſurda deteſtabilia verificentur, debent Hæretici credere, & confiteri, quod *Sacræ Imagines non ſunt Idola*, & conſequenter, quod ille cultus reſpectivus, qui a Catholico-Romanis exhibetur Sacris Imaginibus, nullo modo ſit Idolatricus, ſed verè ſit Sacer, & Religioſus.

Primus, qui negavit hanc infallibilem veritatem, fuit *Zenajas Hierapolenſis Antiſtes*, ut narrat *Nicephorus in lib.* 16. *cap.* 27., hujus Hæreſiarchæ hæreſes fuerunt individuatæ in *ſecundo Concilio Niceno* his præciſis verbis: *Zenajas dicebat non eſſe decens, Angelos exiſtentes incorporeos, corporea formâ effigiare, & in humanâ effigie incorporeos repreſentare: Chriſto dandum non eſſe honorem, aut laudem dicendam, picturâ, arte hominum elaboratâ; eſſe autem illi ſolummodo acceptam adorationem in ſpiritu, & veritate* — *O audacem animum!* hìc exclamat Nicephorus, *O os impudicum!* Sciebat enim Nicephorus, (ut arbitrandum eſt) quod Deus, licèt puriſſimus ſpiritus, corporali tamen ſpecie, pluries apparuit: Iſajæ apparuit ſedens in Throno, ut legitur in *lib. Iſajæ cap.* 6., Patriarchæ Jacobo apparuit in ſummitate ſcalæ, ut eſt ſcriptum in *lib. Gen. cap.* 28., Spiritus Sanctus, ſub columbæ ſpecie deſcendit in Jordane, ut refert *Matt. in ſuo Evang. cap.* 3., Angeli, qui ſunt puri Spiritus, pluries ſub hominum figurâ apparuerunt, ut conſtat ex *lib. Gen. cap.* 18., *&* 19., ex *lib. Num. cap.* 22., & ex *Apocal. cap.* 5., *&* 7. Ex his autem liquet, quod propoſitiones Zenaidis jure-merito a Patribus *cit. Concil. Nic.* 2. damnatæ fuerint, ut hæreticales, & Zenajas execratus ut Hæreſiarca, & conſequenter, quod juſtè Nicephorus contrà Zenaidem ſic exclamaverit: *O audacem animum! O os impudicum!*

Or-

A

Orthodoxi Patres primitivæ Eccleſiæ, ſicuti Divino afflante Spiritu, agnoverunt hanc veritatem, ſic eam oretenùs, & in ſcriptis publicaverunt. *S. Auguſt.* ſequentibus verbis eam publicavit *lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 9. Signa utilia divinitùs inſtituta veneranda eſſe, quia honor eorum ad Prototypum tranſit.* S. Athanaſius, Antiochenis per Epiſtolam publicavit, ſic ſcribendo: *Abſit, ut quemadmodum Græci faciunt*, nos Chriſtiani tanquam Deos Imagines adoremus: *affectionem dumtaxat, & charitatis noſtræ ſtudium* ergà figuram Perſonæ per Imaginem expreſſæ *declaramus*. Orthodoxi tandem Patres (alios brevitatis gratiâ prætereo) *cit. Conc. Nic. 2.* eam publicarunt in *fine act. 4.* tali anathemate: *Excommunicamus contradictores inimicos Sacrarum Imaginum.*

Zenaidis hæreſis, anathematis mucrone repreſſa remanſit uſque ad tempus impiiſſimi Leonis Iſaurici, in quo Iconoclaſti eam ſuſcitarunt, & duravit per centum viginti annos, & finem poſteà habuit ſub Religioſiſſima Imperatrice Theodora; Albigenſes primò poſteà, & deindè Lutherani, Zuingliani, & Calviniani eam diſſipelientes multas Provincias infeſtarunt.

Impenetrabilem clypeum in eorum defenſionem, habere ſe jactant Hæretici, Sacram ſcilicet Scripturam, in quâ pluribi, & præſertim in *Exodo cap. 21.* legitur, quod Deus prohibuit tales Imagines, & figuras: *Non facias tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in Cælo deſuper, & quæ in terra deorſum*; ſed illis benè congruit illa ſententia Divi Auguſtini in tract. 18. in Joannem: *Neque enim natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata perverſitatis, illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia*, niſi dùm Scripturæ bonæ, non benè intelliguntur, & quod in eis non benè intelligitur, *etiam temerè, & audacter aſſeritur.* Non benè ergo Hæretici illum Exodi textum intelligunt, ideòque temerè, & audacter dicunt, quod nos Catholico-Romani venerando Sacras Imagines, idolatramus: non benè intelligunt replico, ut clarè patet ex eâdem Sacra Scriptura, nàm ideò Deus præcepit Hebræis, ut non facerent ſibi ſculptile, neque ſimilitudinem &c. quia illis cultum adhibebant non tanquam Imaginibus, ſed tanquam Idolis, vt legitur in cit. ab hæreticis Exodo cap. 32. *Videns autem Populus, quod moram faceret deſcendere de Monte Moyſes, congregatus adverſùs Aaron ait*: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant... *fecit Populus, quæ juſſerat* (ideſt Aaron)

deſe-

deferens inaures ad Aaron; quas cum ille accepiſſet, formavit opere fuſorio, & fecit ex eis Vitulum conflatilem, dixeruntque: Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. *Quod cum vidiſſet Aaron, ædificavit Altare coràm eo, & Præconis voce clamavit dicens*: Cras ſolemnitas Domini eſt: *Et ſurgentes manè obtulerunt Holocauſta, & Hoſtias pacificas.* De iſtis ergo, & ſimilibus ſculptibilibus, atque ſimilitudinibus, ideſt, Idolis fuit præceptum Divinum, & non de Sacris Imaginibus, nam aliud eſt Idolum, & aliud Imago: Idolum enim repreſentat falſam imaginem objecti non veri, aut ſi veri, nullo modo tamen venerationis digni, ut: *Jovis, Junonis, Martis, Veneris*, & hujuſmodi, qui numquam in rerum naturâ extiterunt, aut ſi extiterunt, cum fuerint vitioſi, & propter eorum vitia, deteſtabiles, conſequenter cujuſcumque cultus, aut honoris indigni; undè *Apoſt. ad Cor. cap.* 8. ſic dicit: *Idolum nihil eſt in mundo*, & in cap. X. ſic: *Quid ergo? Dico, quod Idolum eſt aliquid?* Et S. Auguſt. in lib. de vera Innocen. cap. 213. ſic ait: *Sic ſunt*, qui Idola colunt, *quomodo qui in ſomniis vident vana.* De hujuſmodi ergo locutus eſt Deus, & fecit prohibitionem, & non de Imaginibus objectorum verè ſubſiſtentium, ut de ſupraſcriptis duobus Cherubim; de Arcâ; de Propitiatorio; de Templo; de Sacris libris, de quibus omnibus *S. Auguſt. in lib.* 3. *de Trinit. cap.* 10. ſic dicit: *Honorem tamquam religioſa, habere poſſunt; ſtuporem tamquam mira, non poſſunt*: Vel de Imaginibus Perſonarum, cultus, & venerationis dignarum propter excellentiam gratiæ habitæ, & gloriæ, quæ perfectiori modo, illas unit Deo, atque eidem Deo eas refert, ut ſunt Imagines Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, & Sanctiſſimæ Virginis ejus Matris, aliorumque Sanctorum, quibus cum ſignis exterioribus tribuitur cultus, *non abſolutè tamen ipſis Imaginibus*, ut ſuperiùs dixi, *ſed unicè per relationem ad illa Originalia quorum ſunt Imagines*; quatenùs, ſcilicet, habent gloriam a Deo, *cui terminativè refertur eorum cultus, & veneratio*: quapropter *Divus Auguſt. in lib. contrà Fauſtum cap.* 12. ſic dicit: *Populus Chriſtianus* memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, *& ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur*, ità tamen, ut nulli Martyrum conſtituamus Altaria: *Quis enim Antiſtitum in locis Sanctorum Corporum aſſiſtens Altari, aliquando dixit*; Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offer-

offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, *ut ex ipſorum locorum admonitione, major effectus exurgat*: Et S. Ambroſius, qui ſuâ doctrinâ, & piis exhortationibus Jeſu Chriſto peperit Divum Auguſtinum clariſſimum Eccleſiæ lumen, in epiſt. ad Gratianum Imperatorem ità ſcripſit: *Numquid quando* Deitatem, & carnem adoramus *dividemus Chriſtum? Aut quando in ipſo*, & Dei Imaginem, & Crucem adoramus, dividimus eum? *Abſit*: Et Sanctus Gregorius in lib. 7. epiſt. 54. ad Abbatem Secundum, qui ab eo flagitaverat effigiem Salvatoris ſic ſcripſit: *Imagines, quas tibi per Dulcidium Diaconum rogaſti, miſimus; undè valdè nobis tua poſtulatio placuit, quia illum toto corde, totâ intentione*, cujus Imaginem præ oculis habere deſideras, ut te viſio corporalis quotidiana, reddat excitatum, ut dùm picturam illius vides, ad illum animo inardeſcas, cujus Imaginem habere deſideras. *Ab re non facimus, ſi per* viſibilia, inviſibilia *monſtramus*... *Scio quidem, quod* Imaginem Salvatoris noſtri, non ideò petis, ut quaſi Deum colas, *ſed ut recordatione Filii Dei, in ejus amore recaleſcas, cujus te* Imaginem *videre deſideras. Et nos quidem non quaſi* antè Divinitatem, antè illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per Imaginem, aut natum, aut paſſum, aut in throno ſedentem recordamur, *& dùm nobis ipſa pictura, quaſi ſcriptura in memoriam Filium Dei reducit, animum noſtrum, aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet. Ideò direximus tibi Sartarias duas*, Imaginem Dei Salvatoris, & SS. Dei Genetricis Mariæ, Beatorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli continentes *per ſupradictum Filium noſtrum Diaconum*, & unam Crucem, Clavem etiam pro benedictione, à Sancto Corpore Petri Apoſtolorum Principis; ut per ipſum à maligno defenſus permaneas, cujus ſigno munitum te eſſe credis: *Aloem verò, Thymiama, Styracem, & Balſamum* Sanctorum Martyrum Corporibus offerendo, *latore præſentium deferente, tranſmiſimus*.

Nullus inter Hæreſiarcas, & Hæreticos modernos fuit, qui ſcribendo de Sancti Petri legitimis ſucceſſoribus, non incluſerit Sanctum Gregorium primum hujus nominis Romanum Pontificem, licèt addant, ultimum fuiſſe, qui ſinè uſurpatione in Petri Cathedra ſederit. Si ergo Lutherus, Calvinus, & inſigniores inter Hæreticos, oretenùs, & ſcriptis, Terrarum Orbi publicarunt, veram Dei Eccleſiam, fidemque Apoſtolicam immaculatam exiſtiſſe uſquè ad Sanctum Gregorium incluſivè; & hunc Sanctum Pontificem ultimum

mum fuiſſe inter illos Pontifices, qui per legitimam ſucceſſionem in Petri Cathedrâ ſederit; & aliàs ille Sanctus Pontifex cum tantâ evidentià aſſeruerit, quod reſpectivus cultus, qui Sanctorum Sacris Imaginibus exhibetur, verè ſit Religioſus, & Sacer: quâ fronte atritâ, horum temporum Hæretici impugnari audent hunc fidei articulum, & dicere, quod ſit Idolatricus? Vel ergo deteſtari debent ſuos Magiſtros tamquam falſarios, vel abjurare proprios errores.

Eôdem modo, quo Hæretici negant venerationem Sanctorum Imaginibus debitam, negant etiam venerationem, quæ *Sanctorum Reliquiis debetur*; ſimulantes ſe inſcios (ut arbitror) illius miraculi, quod Deus ad ſui gloriam, & Eliſæi Prophetæ honorem, revocando de morte ad vitam hominem jam mortuum, ità ut ſtaret ſuprà pedes ſuos, ſolo tactu Reliquiarum, ideſt, oſſium prædicti Prophetæ, ut legitur in *lib.* 4. *Regum cap.* 13. Si enim Deus non voluiſſet, ut Sanctorum Reliquiæ debitam haberent venerationem; tantum non patraſſet miraculum, dando regreſſum à privatione ad Habitum; aliter totâ cum fiduciâ exclamare poſſemus cum Ricardo à Sancto Victore in *lib.* 1. *de Trinitate cap.* 2. *Domine, ſi eſt error*, (loquitur de Sanctarum Reliquiarum veneratione) *à Te decepti ſumus, nàm tantis ſignis eſt confirmatus, quod non niſi per Te, fieri poſſet*. Quapropter *Eliàs* non alio modo, quàm miraculi evidentiâ, inconſtantiam Populi, qui duas in partes claudicabat circà veri Dei adorationem, figgere potuit, ut legitur in *lib.* 3. *Reg. cap.* 18. Et *S. Auguſtinus contrà epiſt. fundam. cap.* 40. ait, quod miracula ſunt evidentia teſtimonia, quibus Eccleſia demonſtratur; per quæ juxtà eundem Sanctæ Eccleſiæ Doctorem in *tract.* 1. *in Joannem*, poſſumus digito demonſtrare Eccleſiam; & quod ſunt cæci, qui eam non vident, cum per illa ex eôdem Orthodoxo Patre *contrà Hæreſeos lib.* 1. *cap.* 36. extet Eccleſia cunctis clara, atque conſpicua, ita quod omnium etiam infidelium oculis exhibeatur, ut claudat ora Paganorum.

Si ergo Elias per miraculi evidentiam, Populi fixit inconſtantiam, circà veri Dei adorationem; & D. Auguſtinus ait, quod miracula ſunt evidentia teſtimonia, quibus Eccleſia demonſtratur, & per quæ, digito Eccleſiam demonſtrare poſſumus; & quod cæci ſunt, qui eam non vident, cum per miracula extet Eccleſia cunctis clara, atque conſpicua, ita quod omnium etiam infidelium oculis exhibeatur, ut claudat ora Paganorum &c. Plùs inconſtantes erunt moderni

demi Hæretici, quàm veteres Hebræi, & plùs cæci, quàm infideles Pagani, ſi ex corde non credent, & ore non confitebuntur, quod præſens Eccleſia Romana ſit vera Dei Eccleſia Jeſu Chriſti Sponſa, & conſequenter, quod ille cultus, qui ab eâdem præcipitur, ut exhibeatur Sanctorum Imaginibus, ac Reliquiis, ſit Sacer, & Religioſus, in cujus confirmationem legant primò Hæretici Sacram Scripturam in veteri, & novo Teſtamento, & invenient magnalia, quæ fecit Deus ad ſui gloriam, & Servorum ſuorum honorem in vitâ, & poſt obitum.

Invenient in veteri Teſtamento, quod in virtute Dei *Moyſes* præcepit, ut dividerentur aquæ Maris Rubri, ut ipſe cum Populo ſuo, ad aliam partem ſiccis pedibus tranſfretare poſſet: *Et diviſæ ſunt aquæ:* Voluit poſteà, ut Mare denuò tremeſceret ad mergendum Pharaonem cum Exercitu ſuo; *& Mare obedivit*: imperavit lapidi, ut virgâ purcuſſus, non igneas ſcintillas, ſed fluentes, emitteret aquas; *& perennes fluxerunt aquæ*. Soli mandavit *Joſuè*, ut curſum ſiſteret, donec Populus plenam conſequeretur victoriam; *Et Sol factus eſt immotus:* Voluit *Iſajas*, ut Sol curſum faceret retrogradum; *Et Sol obtemperans, curſum fecit retrogradum*: Præcepit *Eliàs* morti, ut ad vitam reſtitueret filium Viduæ Sareptanæ, quem ſua falce de mundo abſtulerat; *& hic inter vivos diſcurrebat*: Prohibuit e Cælo pluere aquas; *& Cælum ſe fecit æneum:* Voluit poſteà, ut optatas emitteret aquas; *& ecce pluvias*: Bis præcepit igni, ut de Cælo deſcenderet, & ad conſumendum holocauſtum; & ad devorandum Principem Quinquagerium, cum quinquaginta ſuis; *& ignis deſcendit, & præcepta* Eliæ *adimplevit*: Optavit *Eliſæus*, amaras Gerici aquas pugno ſalis dulceſcere; *& meliſluæ factæ ſunt aquæ*: multiplicari oleum in vaſis miſeræ Viduæ; *& vaſa impleta ſunt*: de umbrâ mortis ad lumen vitæ redire ejus Filium; *& hic vivus apparuit coram Rege Iſrael; quando Giezi illi narrabat tantum miraculum*. Quid plura? Deus, cui omnia ſunt præſentia, ad ſui gloriam, & Servorum ſuorum etiam mortuorum honorem; ut Mundo palàm faceret, quod etiam poſt obitum omnia poſſunt in eo, qui eos confortabat, quando in hàc lacrymarum valle ad Cœlum versùs peregrinabantur; & ad confuſionem Hæreticorum, qui Reliquiis Sanctorum cultum negant, dedit tantam virtutem aridis oſſibus Servi ſui Eliſæi, ut ad ſolum eorum tactum; qui in Sepulchrum projectus fuerat extinctus, redivivus e Sepulchro egre-

deretur, & ſuprà pedes ſuos ſtaret rectus.

Invenient in Teſtamento novo, quod per manus Apoſtolorum ſiebant ſigna, & prodigia multa in plebe, per quæ magis augebatur multitudo credentium in Domino virorum, & mulierum, ità ut eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, & grabatis, ut veniente Petro, *ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & ſanarentur ab infirmitatibus ſuis*, ut legitur in *Act. Apoſt. cap. 5.*, & ibidem *cap. 15.* invenient, quod *Paulus*, & *Barnabas* narrabant quanta ſigna, & prodigia Deus per ipſos fecerat in Gentibus.

Legant poſteà Hæretici Hiſtorias Eccleſiaſticas primorum quinque ſæculorum, & invenient, quod Deus ad ſui gloriam per interceſſionem Sancti Gregorii Neoceſarienſis, & ad ejuſdem honorem, tot patravit miracula, ut jure merito ab antiquitate fuerit antonomaſticè appellatus Thaumaturgus; & inter alia invenient, quod Deus, mediis hujus Servi ſui orationibus, montem de loco ad locum tranſtulit; Palludem, quæ inter duos Fratres, erat cauſa diſcordiarum, exicavit; quod Lycum fluvium pernicioſè agros inundantem (defixo ad ripam baculo, quo ſuſtentabatur, qui etiam ſtatim virentem crevit in arborem) coercuit, taliter quod poſteà, ultrà eum terminum non efluxerit: Invenient, quod per interceſſionem S. Martini Turonenſis Epiſcopi, tres mortuos ad vitam revocavit; ad preces S. Laurentii Levitæ, & Martyris, plures cæcos illuminavit; quod *Tyaſpe, Urbe in Mauritania majori poſita*, cum de mandato *Unerici Imperatoris Arriani*, radicitùs evulſæ fuiſſent linguæ omnium in ea habitantium, eo quia laudes in honorem Conſubſtantialitatis Divini Filii cum Patre, cecinerant; adhuc tamen tam benè, & expeditè loquebantur, ac ſi ſanas, & expeditas linguas habuiſſent: & quod omnem tranſcendit admirationem; Juvenis quidam à nativitate mutus, cum & ipſi radicitùs ſimul cum aliis evulſa fuiſſet lingua, tàm benè loquebatur, tamquam ſi à nativitate expeditiſſimam habuiſſet linguam, ut referunt S. Victor Uticenſis *in lib. 3.*, Procopius *de bello VVandalorum*; Juſtinianus Imperator *in conſtit. de Offic. Præf.*, Æneas Garzeus *in Dial. Theph. tom. 9. Bibl. Sanct.*, Comes Marcellinus *Scriptor Chron. tempore Juſtiniani Imperatoris*; & tandem, quod ſicuti Deus ad glorificandum Servum ſuum Eliſæum fecit, ut ejus Reliquiæ redivivum facerent mortuum, ſic etiam ad glorificandum Servum ſuum Chryſoſtomum fecit, ut ejus exangue

corpus,

Digitized by Google

A

corpus, tàm immobilitèr perſiſteret in loco, ubi jacebat *Cucuſi in Arabia*, (in quo loco, pane tribulationis ſuſtentatus, tandem ærumnis confectus, e ſua Sede expulſus, quia honorem, & gloriam Dei zelaverat, ibi objerat) ut nullâ vi, & arte humanâ dimoveri potuerit, donec ſuper ejus ſacrum pectus poſita fuit epiſtola manu propria à Theodoſio Juniore Imperatore ſcripta, quâ pius Imperator humilimè, & cum tota reverentiâ, eum piiſſimis ſupplicationibus exorabat, ut ejus Sacrum Corpus, Conſtantinopolim transferri dignaretur; in quâ tranſlatione Deus ad ſui gloriam, & Servi ſui honorem, talia patravit miracula, ut cum tota veritate omnes dicere poterant: *Gloria, & honore coronaſti eum Domine*, ut *narrat Nicephorus in lib.* 4.

Legant denique Hæretici illas Eccleſiaſticas Hiſtorias, quæ licèt ſcriptæ infrà prima quinque ſæculà, illas tamen reijcere, aut magnæ temeritatis, aut ſummæ ſtoliditatis eſſet argumentum, cum miracula ab eis referta, licèt de præſenti conſtare nequeant ut certa certitudine phyſica, negari tamen non poſſunt, quia certa certitudine morali ſummâ: In eis invenient, quod Deus per interceſſionem Sancti Dominici Prædicatorum Fundatoris, tres mortuos ad vitam revocavit; per merita Sancti Antonii Ulyſipponenſis, vulgò *de Padua*, penè innumerabilia patravit miracula; ad preces Sancti Franciſci Xaverii in Indiis Orientalibus, plures ad vitam revocavit mortuos; quod idem ſimiliter fecit in Occidentalibus per interceſſionem Sancti Franciſci Solani; quod in Conventu Villerealis Regni Valentiæ in Hiſpania, frequenter ex Arcâ, in quâ S. Paſchalis Baylon Sacrum Corpus conſervatur, & veneratur; miri aliquando audiuntur pulſus, qui ſi placidè, & ſuaviter ſonant, fælices prænuntiare ſolent eventus; at ſi ſtrepitu perſonant graviori, futura infortunia portendunt: quod quidem aliquando miraculum in cartaceis Imaginibus evenire ſolet. Et ne ulteriùs procedam non ſinè legentium tædio, concludam cum miro illo portento, cui ſimile, nec priùs fuit auditum, nec poſtmodùm viſum in quocumque alio Dei famulo, quod ipſemet Jeſus Chriſtus operari dignatus eſt in humili ſuo Servo Franciſco Minorum Fundatore, illius Corpus inſigniendo cum Sacris Stigmatibus in manibus, pedibus, & dextro latere; quodque, ut lectori clarè innoteſcere poſſit; iiſdem verbis referam Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ in legenda Sancti Franciſci cap. 13. de Sacris Stigmatibus: ibi ergo Seraphicus Doctor ſic dicit: *Quâdam mane circà*

feſtum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis, in latere Montis) ideſt Alvernæ) *orans vidit quaſi ſpeciem unius Seraphim, ſex alas, tàm fulgidas, quàm ignitas habentem, de Cœlorum ſublimitate deſcendere, qui volatu celerrimo ad aeris locum viro Dei propinquum perveniens, non ſolùm alatus, ſed, & Crucifixus apparuit, manus quidem, & pedes habens extenſos, & crucifixos; alas verò ſic miro modo hinc, indè diſpoſitas, ut duas ſuprà caput erigeret; duas ad volandum extenderet; duabus verò reliquis, totum corpus circumplectendo velaret. Hoc videns vehementer obſtupuit, mixtumque dolori gaudium mens ejus incurrit, dùm, & in gratioſo ejus aſpectu, ſibi tàm mirabiliter, quàm familiariter apparentis, exceſſivam quamdam concipiebat lætitiam, & dira conſpecta Crucis affixio, ipſius animam compaſſivi doloris, gladio pertranſibat. Intellexit quidem, illo docente interiùs, qui & apparebat exteriùs: quod licèt paſſionis infirmitas cum immortalitate Spiritus Seraphici, nullatenùs conveniret; ideò tamen talis viſio, ſuis fuerat præſentata conſpectibus, ut amicus ipſe Chriſti prænoſceret, ſe non per martyrium carnis, ſed per incendium mentis, totum in Chriſti Jeſu Crucifixi expreſſam ſimilitudinem transformandum. Diſparens itaque viſio, poſt arcanum, ac familiare colloquium, mentem ipſius Seraphico interiùs inflammavit ardore*, Carnem verò Crucifixo conformi exteriùs inſignivit effigie, *tamquam ſi ad ignis liquefactivam virtûtem præambulam ſigillativa quædam impreſſio ſubſecuta eſſet*. Statim namque in manibus, & pedibus ejus apparere cæperunt ſigna clavorum, ipſorum capitibus in inferiori parte manuum, & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex adverſo. Dextrum quoque latus, quaſi lanceâ transfixum, rubrâ cicatrice obductum erat, *quod ſæpè ſanguinem Sacrum effundens*, tunicam, & femoralia, reſpergebat.

Si poſteà Hæretici adamantinâ cordis duritie, voluntariè cæci eſſe volunt, non videndo, quæ credendo, videre poſſunt, quæ ſumma certitudine morali certa ſunt; videant ſaltem, quæ certa ſunt certitudine phyſica, & credant ſaltem experientiæ rerum magiſtræ: Pergant ad Marchiam Anconitanam, ubi propriis oculis videre poterunt, & propriis manibus tangere illam Sanctam Domum, in quâ Verbum Caro factum eſt, Angelorum miniſterio à Civitate Nazaret in Galilæâ poſitâ, priùs in Sclavoniam, & poſtmodùm in locum, ubi nunc eſt ſita, Divinitùs aſportatam. Eandein-

deindè Neapolim in Campaniâ, & poſteà Barium in Appuliâ, & in primâ propriis oculis aſpicere po terunt ſtatutâ die in ampullâ vitreâ ſanguinem congelatum S. Januarii, ad præſentiam capitis ejuſdem Sancti, ſe liquefacientem, & ebulientem: In ſecundâ autem propriis oculis videre, & propriis manibus tangere poterunt illum miraculoſum liquorem, e genibus S. Nicolai Miræ Epiſcopi, divinitùs poſt tot ſæcula emanantem. In regreſſu poſteà pergant ad Cancellos Urbis Fori-Livii, vulgò *Forlì in Umbriâ*, ubi quòcumque tempore (data occaſione) propriis oculis aſpicere poterunt laborantes inſanabili morbo Iſchiaticæ, ad perfectam ſanitatem reſtitutos ſolo Crucis ſigno, facto ab aliquo cujuſdam familiæ, in cujus domo oſpitaliter recepti fuerunt Sancti Petrus, & Paulus per dictum locum tranſeuntes. Quod ſi poſteà Hæretici, nec etiam ea, quæ certa ſunt certitudine phyſica, quæ ſcilicet ſenſibus ſubijciuntur, credere volunt, nil aliud mihi ſupereſt dicendum, niſi illud *Hieremiæ cap.* 51. *Curavimus Babilonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam*.

Sicuti Hebræi calumniabantur Jeſum, dicentes, quod in Belzebub Principe Dæmoniorum eijciebat Dæmonia, & Apoſtolos vituperabant ut ebrios, quando Spiritu Sancto repleti, prædicando, variis linguis loquebantur; ita Hæretici, Catholico-Romanos calumniantur dicentes, quod narrata miracula ſunt fraudes, & dæmoniorum præſtigia. Hæreticorum nequitia ex hoc patere debet, quia cum miracula ſint evidentia teſtimonia, quibus vera Dei Eccleſia demonſtratur, & nullibi invenire poſſunt, quod Deus ad preces unius ſaltem ex ipſis, ſivè vetuſtis, ſivè modernis aliquod patraverit miraculum, niſi ex eo genere, de quo *Tertullianus* mentionem facit *in lib. de Præſcript.*, ideò tales calumnias Catholico-Romanis imponunt. Qualia poſteà ſint miracula, quæ Hæretici faciunt, Tertullianus ſic explicat: *Volo virtutes Hæreticorum proferre: Apoſtolos in perverſum æmulantur; iſti de mortuis ſuſcitabant; Illi de vivis mortuos faciunt*, ut inter tot alios fecit *Cyrola Arrianorum Patriarca*, teſte *S. Gregorio Turonenſi Epiſcopo*, qui vixit in quinto ſæculo *in Hiſt. Franc. lib.* 2. *cap.* 3. — *Calvinus*, teſte *Bolſeco* Calvini ſocio *in vita Calvini cap.* 3. — Et *Lutherus*, teſte *Staphilo, in lib.* cujus titulus eſt: *Abſoluta reſponſio contrà Jac. pag.* 404.

Cum autem Elias ad confirmandum Iſraeliticum Populum in duas partes claudicantem circà adorationem veri Dei, evidentiam

mira

miraculi propoſuerit, & Auguſtinus dicat, quod miracula ſunt evidentia teſtimonia, quibus vera Dei Eccleſia demonſtratur; & Deus per interceſſionem illorum Sanctorum, qui in Eccleſiæ Romano-Catholicæ gremio vixerunt, innumerabilia pænè miracula patraverit; nullumque prorsùs licèt ex minimis ad interceſſionem illorum, qui extrà gremium Eccleſiæ Romano-Catholicæ vixerunt,& vivunt; concludendum eſt, quod Eccleſiâ Romano-Catholica ſit vera Dei Eccleſia, & conſequenter, quod cultus abſolutus Hyperduliæ, & Duliæ SS. Virgini Deiparæ, & cæteris Sanctis; & reſpectivus eorum Imaginibus, & Reliquiis; ſicuti etiam eorundem invocatio, & interceſſio modis ſuprà explicatis tenenda ſint de fide Divina.

Adulatio *eſt exceſſus delectandi alios verbis laudis, vel factis*: Ita in re communiter: Si adulator prævidet, quod ex causâ ſuæ adulationis ſecuturum ſit quodcumque malum mortaliter peccaminoſum, ſivè contrà juſtitiam,ſivè contrà charitatem,peccat mortaliter in eo genere peccati, circà quod verſata fuit adulatio, & conſequenter ſi contrà juſtitiam, tenetur in ſecundo loco ad reſtitutionem, aut compenſationem.

Adulterium *eſt violatio proprii, vel alieni thori*: triplex eſt; nempè: conjugati cum conjugatâ, quod eſt duplex adulterium; conjugati cum liberâ, & ſoluti cum conjugatâ: Si adulter ſcit certò, quod ex ſemine ſuo procreati fuerint filii, tenetur ex juſtitiâ compenſare omnia damna, ſi ſinè periculo vitæ, vel famæ (præſertim adulteræ) compenſare poteſt.

Innoc. XI. propo. dam. 50. *in ordine*: *Copula cum conjugatâ conſentiente marito, non eſt adulterium; ideòque ſufficit dicere in confeſſione, ſe eſſe fornicatum.*

Advocati munus, *eſt patrocinari cauſam ſui Clientis*, quæ cauſa in quadruplici differentiâ eſſe poteſt; nempè: juſta, injuſta, dubia ex utrâque parte, & taliter dubia, quod juſtitia magis inclinet ad unam partem, quàm ad aliam: *Si verè exiſtimata juſta*; licitè patrocinari poteſt, licèt forſan *non ſit juſta*: Si *exiſtimata injuſta*, eam patrocinari illicitum eſt, licèt etiam Cliens admonitus de injuſtitiâ cauſæ, incipere vellet litim, ut eſt communior DD. opinio: ſi *exiſtimata* ex utrâque parte *æquè dubia*, licitè patrocinari poteſt (monito tamen priùs Cliente de dubietate cauſæ) attamen, ſi ex poſt comperit eſſe injuſtam, tenetur ex juſtitiâ deſiſtere à patrocinio, licèt lis ſit conteſtata, non tenetur tamen in tali caſu

mani-

manifeſtare parti contrariæ punctum injuſtitiæ, niſi in caſu, quò pars adverſa ex hoc ſilentio, notabile damnum pati deberet, quia tunc teneretur ex charitate: Si *taliter dubia*, quod juſtitia magis inclinet ad partem adverſam; dico cum *Toleto lib. 5. de inſtruct. Sacerd. cap. 4. §. Dico quartò*, quod, quando defenditur Reus aliquis, vel Actor, qui notabile damnum patitur; in tali caſu licitum eſſe patrocinari, dummodò pars, quæ minùs juſtam cauſam ſequitur, de hoc certior ſit facta, ſi fortè deſiſtere velit. Adv. tamen, quod non debet cauſa eſſe *tàm minùs juſta*, quod dici poſſit *injuſta*, ſed quod ſit *juſta*, licèt *cum aliquo dubio etiam opinativo*.

Differentia, quæ verſatur inter *Advocatum*, & *Judicem* hæc eſt, quod *Judicis* officium eſt, *definire*, & *Jus dicere inter partes litigantes*; ſicque causâ priùs ritè diſcuſsâ; tenetur Judex ex officio ſuo, pro parte probabiliori ſtare, & ſententiam ferre: *Officium* verò *Advocati*, non eſt definire, neque Jus dicere inter partes, ſed *ſolummodo uni parti aſſiſtere*, *& patrocinium ferre*, donec lis, per deffinitivam ſententiam Judicis ſit deciſa, & conſequenter Advocatus poteſt ſequi (in patrocinando ſuum Clientem) *opinionem verè probabilem*, licèt *minùs probabilem*, quia nullatenus ſe exponit periculo damnificandi partem oppoſitam, cum ad eum non ſpectet deffinire, & Jus dicere, ſed ſolùm rationes pro parte ſui Clientis afferre.

Advocatus peccat, & utrique parti reſtituere tenetur, ſi deffendit *articulum juſtum* cauſæ *injuſtæ* ad hunc finem, ut contrariam partem *impediat*, *vexet*, *pervertat*: eòdem modo peccat, ſi utramque partem *circà eandem* numerò *cauſam* patrocinatur; vel ſi in eâdem numerò causâ, in qua eſt Judex, aut Aſſeſſor, Advocati munus gerit; vel, ſi ſuprà vires acceptat cauſas, quas expedire non poteſt, niſi Cliens monitus ſit contentus: ita *Buſemb. de Officio Advocati*; & multo magis peccat, & utrique parti reſtituere tenetur, ſi defendit cauſam, quam ſcit eſſe injuſtam, ut ait *D. Tho. 2. 2. q. 71.*

Advocatus tenetur ſcire ea, quæ communiter ad officium ſuum pertinent; undè ſi propter imperitiam ſuam, Cliens patitur damnum grave, peccat mortaliter contrà juſtitiam: idem dic. eſt circà diligentiam, ſi tantam non adhibet, quantam adhibere tenetur.

Patrocinandi cauſas pauperum *gratis* habet Advocatus illam obligationem, quam quiſque juxtà ſtatum ſuum habet erogandi

eleemoſinam, ſivè in extremâ, ſivè in quaſi extremâ neceſſitate, ſivè in gravi, ſivè in communibus neceſſitatibus, quod tamen intelligendum eſt diſtributivè, & proportionaliter.

Advocatus non poteſt paciſci de *Quotâ litis*, ut communiter cum Theologis tenent Juriſprudentes, & inter Theologos Angelus à Clavaſio in *ſua Summâ* ℣. *Advocatus num.* 15. Sylveſter à Prierato in *ſua Summâ* ℣. *Advocatus num.* 12. Dominicus Soto *lib.* 5. *de Juſt.*, & *Jure q.* 8. *art.* 9. *col.* 2., & *tex. Civ. l. Sumptus in fine ff. de pactis*, & *l. Si remunerandi §. fin. ff. Mandati*; & *l.* 1. *§. Cui ff. de variis*, & *extraordin. cognitionib. Si quis C. de poſtulando*, & *ibi Bartolus*.

Circà pretium: *ſi eſt legale*, & plùs exigit, peccat mortaliter contrà juſtitiam, ſi eſt de re gravi; *ſi eſt naturale*, ſtandum eſt arbitrio prudentis, & periti Viri, habitâ conſideratione ad qualitatem cauſæ, dignitatem, & ſcientiam Advocati, atque conſuetudinem Locorum, & Provinciarum.

Affinitas *eſt vinculum aliquarum perſonarum, cauſatum ex carnali copulâ ſivè* licitâ, *ſivè* illicitâ *conſanguineorum*: Tunc dicitur *licita*, quando reſultat ex legitimo Matrimonio unius ex Sponſis conſanguinei; & tunc dicitur *illicita*, quando quis copulam habuit cum conſanguineâ illius, cum quâ fornicatus eſt, vel è contrà: prima dirimit Matrimonium faciendum uſque ad quartum gradum incluſivè; ſecunda tantummodo uſque ad ſecundum incluſivè.

Ad hoc, ut oriatur Affinitas ex copulâ ſivè licitâ, ſivè illicitâ, debet copula eſſe perfecta, ideſt, cum ſeminatione prolificâ viri intrà vas naturale mulieris; licèt aliàs hujus ſeminatio juxtà communiorem cum Peripateticis contrà Galeniſtas, non ſit neceſſaria: Notanter dixi ly *prolifica*, quia copula *Eunuchi*, *Spadonis* &c. non parit Affinitatem, eo quod; horum ſemen, non eſt aptum ad generationem.

Afflictio in proſperis proximi, quæ oritur ex invidiâ *eſt triſtitia, quam invidus habet de bono proximi*; Invidus enim duas habet triſtitias; unam de bono proximi, prout per ipſum, ſibi videtur, quod propria minuatur excellentia; altera eſt prædictæ conſequens; nam Invidus deſiderat impedire tale bonum; cumque impedire nequeat, ideò affligitur, & triſtatur: Si bonum proximi, de quo Invidus triſtatur, eſt grave, & eſt cum plenâ deliberatione, eſt peccatum mortale contrà charitatem.

Innoc.

Digitized by Google

Innoc. XI. propo. dam. 10. in ordine: Non tenemur diligere proximum actu interno, & formali, & propo. XI.

XI. Præcepto diligendi proximum poſſumus ſatisfacere per ſolos actus externos, & propo. 13.

13 Si cum debitâ moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vitâ alicujus triſtari... nonquidem ex diſplicentiâ perſonæ, ſed ob aliquod emolumentum temporale.

Alienatio eſt actus, per quem transfertur dominium alicujus rei: *l. 1. ff. de fundo dotali.*

Aliena res, tripliciter poſſideri poteſt; nempè: *bonâ fide, dubiâ fide, & malâ fide*: Quicumque *bonâ fide* rem alienam poſſidet; tutâ conſcientiâ, eam tenere poteſt, & illâ uti, quamdiù durat bona fides, immò etiam poſtquam advenerit mala fides, ſi tamen hæc ſupervenit poſt juſtam uſucapionem, aut præſcriptionem: Si *malâ fide* poſſidet; non ſolùm tenetur reſtituere rem, vel pretium (in caſu, quo res perierit, vel alienata fuerit), ſed etiam tenetur reddere indemnem dominum rei de quôcumque damno, & quôvis modo ſecuto: Si *dubiâ fide*, & nullam fecit diligentiam ad cognoſcendum, an talis res ſua ſit nec ne, *malâ fide* poſſidet; & conſequenter tenetur, ut ſuprà: Si adhibuit diligentiam debitam, & adhuc remanet dubius; eam retinere poteſt, & illa uti; & ratio eſt, quia in dubio æquali ſemper major ratio ſtat pro poſſidente, ut cum Juriſprudentibus communiter tenent Theologi.

Altare privilegiatum. Solent à Romanis Pontificibus concedi Indulgentiæ pro Altaribus privilegiatis cum clauſolâ: *dummodò in Eccleſiâ tot Miſſæ* (explicatur numerus) *celebrentur*: Cùmque excitata fuerint nonnulla dubia, & propoſita fuerint *Sac. Congr. Conc.*, ideò ad tollenda quæcumque dubia, hìc ponuntur non ſolùm tres declarationes factæ à *prædicta Sac. Cong. Conc.*, ſed etiam quatuor Conſtitutiones Summorum Pontificum.

1 An abſentibus Religioſis ex causâ prædicationis tempore Quadrageſimæ, & Adventus; vel quando occaſione feſtivitatum, vel funerum, aut ſimilium à Superioribus ad celebrandum alibi tranſmittuntur; Indulgentiæ conceſſæ cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, *prorsùs ceſſent*; vel pro eo tempore, quo dictus numerus Miſſarum non fuerit adimpletus, ſint *ſuſpenſæ*; vel potiùs *remaneant in ſuo robore?*

2 An idem ſit ſtatuendum, deficiente præfixo numero Miſſarum, ob infirmitatem Sacerdotum, tàm Regularium, quàm Sæcularium?

3 An pariter idem ſit ſtatuendum, deficiente præfixo numero Miſſarum, ob abſentiam ab Eccleſiis ſæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquos dies, & menſes?

Horum trium dubiorum reſſolutionem *Summus Pontifex* remiſit *Sac.Cong. Conc.*, quæ *anno Domini* 1701. *die* 30. *Julii* reſpondit, ut ſequitur.

Ad primum: quo ad primam partem pro tempore *Adventus*, & *Quadrageſimæ* remanere *ſuſpenſas*, non autem in reliquis, *dummodò rarò contingat*.

Ad ſecundum: *non remanere ſuſpenſas*.

Ad tertium: *proviſum in primo*.

Alex. VII. *in ſuâ Conſtit.*, quæ incipit: *Credita &c.*, & eſt *in Bullario tom.* 5. declaravit, quod Miſſæ, quæ celebrantur ad *Altare privilegiatum*; licèt non ſint *de Requiem* propter quodcumque impedimentum Feſti ritus duplicis, habeant eandem vim pro ſuffragio Defunctorum, ac ſi eſſent de *Requiem*; & *Clem. IX.* per *Conſtit.*, quæ incipit: *Cum fælicis recordationis &c.* confirmavit prædictam Conſtitutionem, & declaravit; quod *prædicta Conſtitutio Alex. VII.* intelligi debeat non tantùm pro *Altaribus privilegiatis quotidianis, & in perpetuum*; ſed etiam pro illis, quæ non in perpetuum, & ſolùm pro aliquâ, vel aliquibus hebdomadæ diebus, ſunt privilegiata; & hoc non ſolùm pro illis Sacerdotibus, qui ad Altaria privilegiata celebrant *ex obligatione*, ſed etiam *ex ſola devotione fidelium*; & *Innoc. XI. per unam ſuam Conſtitut.*, quæ incipit: *Aliàs poſtquam &c.* non ſolùm confirmavit *prædictas Conſtit. Alex. VII., & Clem. IX.*, ſed etiam addidit; idem intelligendum eſſe in diebus Dominicis infrà *Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus*, in quibus; licèt à feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ Defunctorum juxtà ritum, & morem Eccleſiæ celebrari nequeunt; & in *aliâ Conſtit. datâ ſub die* 16. *Martii* 1677. declaravit, quod ſub illâ clauſulâ (*quæ Indulgentiarum Brevibus apponi ſolet*), ideſt: *Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint*; non contineantur *Altaria privilegiata pro Defunctis*.

Quod declarationes S. Congr. Conc. Trid. habeant vim legis in utrôque foro; nemo dubitare debet, nam tales declarationes non

fiunt

ſiunt, niſi priùs conſulto Summo Pontifice, aut de ejus mandato, traditâ Emin. Dominis Cardinalibus ejuſdem Congregationis authoritate interpretandi Decreta Concilii Tridentini, ut conſtat ex *Bullâ Pii IV.*, quæ incipit: *Benedictus Deus* &c., & ex *Bullâ Xiſti V.*, quæ incipit: *Immenſa &c.* Cum autem declaratio legis, facta ab illo, qui à legis conditore habet jus interpretandi legem, illamque declarandi, non differrat à lege declaratâ, ut conſtat ex *l. Hominis, & Rei §. Verbum: ex legibus; ff. de verb. ſignif.*, *& ex l. Qui Teſtam. §. Mulier, V. argum., ff. de teſtam. &c.*, indè ſequitur, quod declarationes S. Cong. Conc. habeant vim legis in utrôque foro.

Confirmatur ex authoritate quamplurium DD., aſſerentium declarationes Sac. Congreg. Concilii habere vim legis in utrôque foro, inter quos DD. *Fagnanus lib. 1. Decret., Cap. Quoniam 13. de Conſtit. n.6., Caſtropalaus tom. 1. tract. 3. diſp. 5. part. 3. nu. 6., Miranda in Man. tom. 2. q. 26. art. 11*

Cum autem declarationes, quæ fiunt à Sac. Congr. Conc. habeant vim legis in utrôque foro; indè ſequitur, quod ſi contrà prædictam declarationem; aliquis Rector alicujus Eccleſiæ, acceptaret Miſſas, ad Altare privilegiatum celebrandas, in cujus Eccleſiâ non celebrarentur quotidie illæ, numericè Miſſæ, quæ celebrari deberent juxtà clauſulam in Indulto conceſſionis poſitam, puta: ſeptem, ſi Altare eſt privilegiatum pro unâ ſolâ die in hebdomadâ: talis Rector, quo ad forum internum peccaret non ſolùm contrà fidelitatem; defraudando intentionem dantis eleemoſinam; ſed etiam contrà juſtitiam defraudando animas in Purgatorio exiſtentes, debito ſuffragio; & in foro externo puniendus eſſet, ut tranſgreſſor legis Conc. Trid. in materiâ gravi.

Ambitio, quæ oritur ex ſuperbiâ, *eſt appetitus inordinatus honorum, & dignitatum*: ita in re communiter: Licèt ex genere ſuo, ſit tantùm peccatum veniale; in quatuor tamen caſibus eſt mortale: 1. quando appetitur honor, vel dignitas modo illicito; 2. quando appetitur honor de re, mortaliter peccaminoſa; 3. quando appetitur honor, vel dignitas propter finem mortaliter peccaminoſum; 4. quando ponitur ultimus finis in illo honore, vel dignitate.

Amicitia *eſt amor mutuæ benevolentiæ fundatus ſuper aliqua communicatione*.

Amor Dei duplex eſt; nempè: *amicitiæ*, & *concupiſcentiæ*: primus eſt proprius *Charitatis*; ſecundus eſt proprius *Spei*, ut ſunt virtutes Theologicæ.

Apo-

Apoſtaſia triplex eſt; nempè: *à Fide*, *ab Ordine*, *& à Religione*: Apoſtaſia à Fide *eſt totalis diſceſſio à fide Chriſtianâ*, ut fuit illa Juliani Apoſtatæ, qui deſerendo totaliter fidem Chriſtianam, tranſivit *ad Paganiſmum*: idem dic., quando tranſitus eſt *ad Judaiſmum*. Quod dicetur loco proprio *de Hæreſi, & Hæreticis*; idem intelligendum eſt *de Apoſtaſiâ*, *& Apoſtatis*; & licèt qui ſe *Hæreticum* facit, dicatur *apoſtatare à fide*; hæc tamen locutio, eſt im propria.

Apoſtaſia *ab Ordine* dicitur, quando; quis *Sacris Ordinibus* initiatus, ad ſtatum *conjugii*, vel *laicalis converſationis*; dimiſſo Habitu Clericali *propriâ temeritate* tranſitum facit: eſt peccatum mortale, & pluribus pœnis *in Jure Can.* ſubjectum.

Apoſtaſia à Religione, *eſt criminoſa*, *ac mortifera receſſio ab* inſtituto *Ordinis Religioſi ſinè animo revertendi*: Dicitur *ſinè animo revertendi*; quia ſi aliquis Regularis ſinè licentiâ ſui Superioris; extrà Religionem ad tempus vagaretur; etiam dimiſſo (pro eo tempore) habitu proprii Inſtituti, *fugitivus* potiùs, quàm *apoſtata* appellari deberet *ſpectato tamen Jure communi*, nàm aliter dicendum eſt, de illis, in quorum Religione juxtà propriæ Religionis Conſtitutiones, vel Statuta, Apoſtatæ appellantur, & ut veri Apoſtatæ puniuntur; & jure merito, quia Eccleſia judicat de exteriori, & conſequenter juxtà qualitatem *delicti exteriùs* commiſſi, puniri debet.

Appellatio *eſt ab inferiori Judice*, *ad ſuperiorem facta provocatio*: ita in re communiter: Dividitur in Judicialem, & extrajudicialem; *Judicialis* eſt, quæ interponitur *in Judicio*, poſtquam cæptum eſt, eo quia interponitur à *definitivâ*, vel *interlocutoriâ ſententiâ*, continente verum gravamen *irreparabile*: *Extrajudicialis* eſt illa, quæ *ab actibus extrajudicialibus* interponitur, dùm quis gravatur, vel gravari timet, puta, in *proviſionibus*, *electionibus*, *& hujuſmodi*, ut habetur *ex cap. Concertationi hoc tit. in 6.*, & talis appellatio noncupari ſolet: *Provocatio ad cauſam*, ut conſtat *ex cap. Cum ſit hoc tit.*, quia pertinet ad cauſam inchoandam.

Appellatio duos effectus producit: ſuſpenſivum ſcilicet, & devolutivum: *Suſpenſivus* eſt, quo ſententia ipſa, & ejus effectus inferioriſque Judicis juriſdictio ſuſpenduntur, ut patet *ex cap. Paſtoralis §. Verùm de appell.* Ille autem dicitur *Devolutivus*, per quem cauſa, ſuper quâ appellatur, & ejus cognitio cum omnibus acceſſo-

acceſſoriis, ad Superiorem devolvitur, ut liquet *ex cap. Dilectis hoc tit.*

A ſententiâ *definitivâ*; licitum eſt appellare; ſecùs dic. de *Interlocutoriâ*, niſi ex causâ neceſſitatis; puta, pro evitando vero, & gravi damno irreparabili; ut ſunt *actualis excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, tortura, carceratio*, & hujuſmodi.

Sententia poſteà *definitiva* eſt illa, quæ decidit cauſam principalem deductam in judicium; ſeù eſt illa, quâ Judex cauſam principalem definit, & toti controverſiæ finem imponit, ſuôque eſt functus officio; nec poteſt ampliùs, ſe ingerere in cognoſcendâ causâ, ſed ſolùm in executione ſententiæ, niſi per appellationem executio ſuſpendatur, & ad Superiorem Judicem cauſa ex integro devolvatur.

Interlocutoria eſt illa, quæ non de ſummâ controverſiâ, ſed de rebus ad eam definiendam pertinentibus, pronunciat; ut de *cognitione diferenda*; de *teſtibus producendis*; de *tortura*; de *carceratione*, & *ſimilibus*: In utrâque appellatione exprimi debet gravamen *in ſcriptis*, ut ex *cap. Cordi hoc tit. in 6.*; de illâ in *electionibus* faciendâ; legitur expreſsè in *tex. in cap. Ut citrà de electionibus in 6.* Appellatio tamen; *ne fiat electio*, non valet; valet tamen ſi interponatur ad hoc, ut non fiat, *niſi Canonica*.

In appellatione à *definitivâ*; non eſt neceſſe, ut *nominatim*, & in *ſpecie* cauſa gravaminis exprimatur *in terminis*, ut ex *Gloſs. ad cap. Cum in Eccleſia hoc tit. ℣. injuſta*; debet tamen ſemper continere *gravamen*, licèt *minimum*, & ex *juſtâ*, & *rationabili causâ* interponi; aliter *Judex à quo*, non tenetur ei defferre.

In appellatione ab *interlocutoriâ*; neceſſarium eſt, exprimere *nominatim cauſam in ſcriptis*; eo quia, non poteſt in novis actis juſtificari, ut in *Clem. cap. Appellavi hoc tit.*, undè non valet, ſi appellans per *clauſulam generalem*, & *in confuſo* cauſam exprimat; & hujus diſcriminis ratio eſt, quia Judex numquam revocare poteſt, aut mutare *ſuam ſententiam definitivam*, ut apparet ex *l. Judex poſteaquam ff. de re judic.*, bene tamen revocare, aut mutare poteſt *ſententiam interlocutoriam*, ut ex *cap. ceſſante hoc tit. cap. ſi ab Judice hoc tit. in 6.*

Licèt appellatio, ſemper *in ſcriptis* interponi debeat; hoc tamen non procedit, ſi appelletur à *definitiva illicò*, & *in continenti poſt ſententiam latam*; nam tunc vivâ voce oretenùs, & *ſine ſcripturâ* appellari poteſt: *Gloſſ. in dic. cap. cordi, verbo in-*

interlocutoria: Attamen ab *interlocutoriâ*, ſemper *in ſcriptis* appellandum eſt, ut ex *tex. in dict. cap.* expreſsè.

Tempus ad interponendam appellationem *poſt latam ſententiam*, ſunt decem dies, intrà quos appellandum eſt non ſolùm à *definitivâ*, ſed etiam ab *interlocutoriâ*, aut à quôcumque alio *gravamine*, niſi *gravamen* habeat tractum *ſucceſſivum*, ut *carceratio*, quæ habet tractum temporis *ſucceſſivum*.

Tempus petendi, & accipiendi *Apoſtolos* à Jure indultum, eſt triginta dierum, ut habetur *ex cap. Ab hoc tit, in 6.*, & debent ſæpè inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè peti: *Clem. Quamvis hoc tit.*

Ars notoria, eſt quando per quaſdam precationes verborum ignotorum, inſpectiones certarum figurarum, & alia ſimilia media, prorsùs inutilia, expectatur ſcientia infuſa quarumdam rerum abſque labore: eſt ſpecies ſuperſtitionis, & eſt peccatum mortale, niſi excuſet ignorantia invincibilis.

Articulus fidei *eſt indiviſibilis veritas de Deo arctans nos ad credendum*.

Articuli mortis nomine, venit ille ſtatus infirmitatis, in quo humanitùs deſperatur vita hominis: periculum verò mortis, eſt ille ſtatus infirmitatis, in quo plurimi ex hac vitâ decedunt; & hoc etiam intelligendum eſt de imminenti conflictu bellico, de longa navigatione, & etiam brevi, ſi eſt periculoſa, atque de imminenti mulierum partu, & præſertim primo, & hujuſmodi: ita *Barb. p. 2. de offi., & poteſt. Epiſ. alleg. 25. nu.81.*

Aſſecuratio *eſt contractus, quo rei periclitantis valor in tuto conſtituitur*: ita in re communiter: Pretium pro aſſecuratione, debet eſse juxtà qualitatem periculi, ita quod aſſecurator non plùs exigat, niſi quantum ipſe daret alteri ad ſe redimendum de tali periculo: fraudes ex parte aſsecurantis duæ eſse poſsunt: 1. ſi ſcit certò rem non periiſse; 2. ſi non habet bona ſufficientia ad ſolvendum: etiam ex parte aſſecurati, duæ fraudes eſſe poſſunt: 1. ſi ſcit certò rem periiſſe; 2. ſi locò rei aſſecuratæ, aliam ſupponit minoris valoris: ex utrâque parte, & utrôque modo; ſi eſt de re gravi, eſt peccatum mortale contra juſtitiam, & conſequenter reſtitutioni ſubjectum: ita communiter DD.

Aſtrologia duplex eſt; nempè: naturalis, & judiciaria; *naturalis* eſt, quâ ſitus aſtrorum, eorumque motus obſervantur; atque ex illis, effectus merè naturales, puta, eclypſes, pluviæ, ſiccitates,

tes, peſtes, ſalubritates, animalium morbi, & ſimilia colliguntur, & prædicuntur; & hæc non ſolùm licita eſt; ſed etiam humano generi valde utilis: *judiciaria* (quæ eſt ſpecies ſubalterna divinationis), eſt quâ; ex aſpectu, ſitu, & motu aſtrorum; eventus à libero hominum arbitrio pendentes; *quaſi certò eventuros* prædicit; vel præteritos, aut præſentes effectus occultos, revelat v. g. matrimonium celebrandum à Titio cum Berta tali die; fore uni, vel alteri, vel etiam utrique infauſtum; vel Cajum ſub tali conſtellatione natum; ſub ruinâ domus ſuæ, obiturum fore, & hujuſmodi; & *hæc aſtrologia judiciaria*, eſt ſub mortali prohibita.

Aſtutia, *eſt quoddam vitium inclinans, ad quærenda vera bona per media mala*: ita in re communiter: ſi talia media ſunt, ſivè mortaliter, ſivè venialiter peccaminoſa; & ipſe uſus eſt mortaliter, vel venialiter peccaminoſus juxtà mediorum qualitatem.

Attritio, *eſt quadam pœnitentia imperfecta, quam neque debita circumſtantia; neque debitæ qualitates ornant*: ita in re communiter: Convenit in omnibus, *cum contritione perfectâ excepto motivo*, nàm motivum contritionis, eſt *amor Dei perfectus*; attritionis verò, *imperfectus*; eo quia ſibi immiſceat aliquid utilitatis.

Attritio honeſta, ſed *naturalis* tantùm, eſt quando quis dolet de peccato ob malum temporale ut ſic: attritio honeſta, & *ſupernaturalis*, eſt quando, quis dolet de peccato propter malum temporale, ut à Deo inflictum, vel infligendum propter peccatum: à fortiori idem dic. eſt, ſi ſit propter gehennæ, vel purgatorii metum, cum ſint pœnæ infligendæ pro peccatis; & perfectiori modo, ſi provenit, ex conſideratione turpitudinis peccati; quatenus, ſcilicet, talis turpitudo opponitur, vel rectæ rationi elevatæ, vel alicui veræ virtuti; puta, juſtitiæ, obedientiæ, gratitudini, & hujuſmodi; elicitur autem ex impulſu Spiritus Sancti excitantis, & moventis hominem ad talem actum.

Ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, ideſt, ad *gratiam juſtificantem*; ſufficit attritio, etiam ut talis cognita; nam *Trid. ſeſs.* 14. *cap.* 4. aſſerit, quod attritio, quæ eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti, in Sacramento Pœnitentiæ diſponit ad gratiam recipiendam: hoc autem intelligendum eſt *etiam in articulo mortis*; quia quod Trid. non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Dolor de peccatis etiam venialibus, debet eſſe *efficax*, ideſt (ut explicant DD.) *ſummus*, non tamen *intenſivè*, cum hic non ſit

E in

in noſtra poteſtate; ſed debet eſſe *ſummus appretiativè*, qui eſt ille, quo quis taliter dolet de peccatis, ut potiùs vellet ſubijſſe omnia mala temporalia, quàm offendiſſe Deum; & paratus, firmiterque diſpoſitus,omnia pati mala temporalia, & etiam ipſam mortem, quàm de cætero offendere Deum: talis autem dolor (qui etiam in inſtanti temporis elici poteſt, cum ſit actus internus ſpiritualis) debet neceſſariò præcedere abſolutionem, ſaltèm antequam Confeſſarius illam perficiat.

Licèt non ſufficiat dolor, quem quis habet, ſe non poſse dolere de peccatis; cum hoc tamen dolore (regulariter loquendo), ſolet eſſe conjunctus dolor de peccatis, licèt pænitens illum non cognoſcat, & ratio eſt, quia, ideò dolet, quia putat, ſe non habere verum dolorem, eo quia illi diſplicet, ſe offendiſſe Deum, de cujus offenſa vellet ſentire dolorem; cum autem talis diſplicentia, oriatur ab *illâ nolleitate, quâ non vellet offendiſſe Deum*, & in quâ *juxtà Scotum*, conſiſtit verus dolor; ideò dic. eſt, quod talis diſplicentia ſufficiat pro validitate Sacramenti Pænitentiæ.

Propoſitum formale, vel etiam virtuale,non peccandi de cætero eſt ſimpliciter neceſſarium pro validitate Sacramenti Pænitentiæ; & debet eſſe *efficax*, ut habetur ex *Trid. loco cit.*, ubi non dicitur *abſolutè*, omnem attritionem ſufficere ad hoc, ut diſponat pænitentem ad recipiendam gratiam in Sacramento Pænitentiæ; ſed *addit conditionem*; nempè: *Si voluntatem peccandi excludat*: addo tamen, quod *timor* immò *credulitas* reincidentiæ, in nova peccata etiam ejuſdem ſpeciei (cum ſint *actus intellectus*), infirmare nequeunt *propoſitum*, quod eſt *actus voluntatis*; ex quo ſequitur,quod benè ſtare poteſt *propoſitum efficax* non peccandi de cætero cum *timore*; immò cum *credulitate* peccandi de cætero: ita inter alios *Petrus Marcantius tom. 1. Trib. tract. 4. tit. 3. qu. 3.*

Innoc. XI. propo. dam. 57. in ordine: Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam.

Alex. 8. propo. dam. 9. in ordine: Reverà peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum naturâ rationali ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu; & propo. 14.

14. Timor gehennæ, non eſt ſupernaturalis; & propo. 15.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pænarum metu, concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe; non eſt bonus metus, & ſupernaturalis.

Ava-

A

Avaritia ſecundum peccatum capitale, *eſt appetitus immoderatus divitiarum*: ita in re communiter: conſiſtit in tribus; nempè in *appetendo*; in *acquirendo*; & in *retinendo* divitias inordinatè; & data debita quantitate, eſt peccatum mortale.

Avaritia aliquando verſatur *circà proximum*; non dando illi de proprio avari, quando exigit neceſſitas; vel ab illo ſurripiendo, quod ſuum eſt; & aliquando verſatur *circà ipſum avarum*; ſibi ipſi denegando ſumptus neceſſarios propter affectum immoderatum divitiarum.

Avaritia habet unum vitium ſibi oppoſitum; nempe: *prodigalitatem*, quæ conſiſtit in dando, pluſquam quis poteſt, non ſolùm aliis, ſed etiam ſibi ipſi; nam victus, & veſtitus ſuperflui, ad *prodigalitatem* ſpectant; & ſi eſt cum notabili damno proprio, vel alieno, eſt peccatum mortale: In medio poſteà ſtat virtus, ideſt, *liberalitas*, quæ conſiſtit in amore moderato divitiarum; homo enim liberalis dat, & retinet quando, & quomodo expediens, & conveniens eſt.

Avaritia opponitur duplici virtuti; nempè: *Juſtitiæ*, & *liberalitati*; *juſtitiæ*, auferendo, vel retinendo alienum invito Domino rationabiliter; & ſi eſt de materiâ gravi, eſt peccatum mortale contrà juſtitiam; *liberalitati*, propter immoderatum affectum ad res proprias; & hòc etiam eſt peccatum mortale contrà charitatem, quando avarus non erogat eleemoſinam, quando erogare tenetur (ut dicetur in tractatu de eleemoſinâ) idem dic. de *prodigalitate*: contrà *juſtitiam*, quando, ſcilicet, quis *eſt prodighus de alieno*; & contrà *liberalitatem*, quando licèt conſumit de proprio; *immoderatè* tamen conſumit.

B

Baptiſmus triplex eſt; nempè: *fluminis*, *flaminis*, & *ſanguinis*: Baptiſmus *fluminis*, qui ſolus eſt Sacramentum, *eſt ablutio corporis exteriùs facta, ſub præſcriptâ formâ verborum à Chriſto Domino inſtituta in ſpiritualem regenerationem*: ita in re communiter: eſt ſimpliciter neceſſarius *neceſſitate medii*, ſingulis, & omnibus in re; vel ſaltem in voto, quando adeſt impoſſibilitas illud ſuſcipiendi in re, pro conſequendâ æternâ beatitudine: ſupplet martyrium, ut evidenter conſtat ex promiſſione Jeſu Chriſti in *Matt. cap. 10. Qui perdiderit animam ſuam propter*

me, inveniet eam. Adultis eſt etiam neceſſarius *neceſſitate præcepti*; eo quod eſt janua cæterorum Sacramentorum.

Baptiſmus *fluminis*, & *ſanguinis* confert primam gratiam, etiam cum ſolâ attritione cognitâ; ſecus dic. de *baptiſmo flaminis*; nam in hoc requiritur vera contritio perfecta de mortalibus.

Materia *remota* hujus Sacramenti, *eſt aqua naturalis*, quæ debet eſſe *fluida* ad excluſionem *nivis*, & *glaciei*; proxima eſt *ipſa ablutio corporis*, quæ debet eſſe *ſucceſſiva* per aliquam corporis partem integralem; capilli, & ungues non ſunt partes corporis integrales, ſed ſuperfluæ.

Forma conſiſtit in his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Si quis baptizando omitteret *ly* ET, quod in prædicta formâ eſt duplicatum; & ſic diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti*; illicitè baptizaret, ut deſſumitur ex *prima propo. dam. ab INNOC. XI.*; & tali modo baptizatus rebaptizari deberet ſub conditione: Error linguæ; puta, ego te baptizo in nomine *Patria, & Filio, & Spiritu Sancta*, non invalidat Sacramentum, ut declaravit *Zaccarias Papa*.

Cum forma Sacramenti Baptiſmi conſiſtat in his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* juxta illud *Matt. cap. 28*. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quæritur: quâ ratione baptiſmus collatus in *nomine Jeſu Chriſti*, ut apparet ex *Actis Apoſt. cap. 8. 9.*, & 10. fuerit validus? Reſp. *Angelicus Doctor in quæſt. 66. art. 6. ad primum &c.*, hoc factum fuiſſe ex *ſpeciali revelatione Dei*, ut nomen Jeſu Chriſti, quod tunc erat odioſum Judæis, atque Gentilibus, honorabile redderetur: Verùm; cum de tali revelatione nullatenùs conſtet; ita talis reſponſio, non videtur eſſe quietativa intellectus; quapropter juſtè credendum eſt, quod Apoſtoli baptizarent *in nomine Jeſu Chriſti*, hoc eſt, *cum illa authoritate, & poteſtate*, quam illis dedit Jeſus Chriſtus, quando illis dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in *nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; accedente in hujus comprobationem, authoritate D. Auguſt., qui in *lib. 8. contrà Donatum cap. 25.* ſic ſcripſit: *Certa ſunt verba Evangelica, ſinè quibus Baptiſma conferri non poteſt*.

Miniſter hujus Sacramenti duplex eſt; nempè: ex *officio*; & ex *neceſſitate*; primus, eſt proprius Parochus, vel alius Sacerdos de-

ex-

Digitized by Google

expreſsâ ejus licentiâ; ſecundus, eſt quilibet homo, licèt infidelis, vel Judæus; dummodo habeat uſum rationis in actu exercito; & aliàs habeat intentionem, ſaltem virtualem explicitam faciendi, quod Eccleſia intendit, & vult, quod fiat: Si intentio eſt perverſa; baptiſmus eſt invalidus, ut patet ex *propo. dam. ab Alex. VIII.*, *quæ eſt* 28. *in ordine*: Angelus, & anima ſeparata, non ſunt miniſtri apti pro conficiendis Sacramentis, niſi ex diſpenſatione Divina.

Subjectum hujus Sacramenti, eſt quilibet homo, jam natus, tàm infans, quàm adultus, etiam ſi ſit amens, & amens perpetuus; modo tamen non habuerit lucidum temporis intervallum cum uſu rationis in actu exercito, & non petierit Baptiſmum, ab eo, tali tempore ſufficienter cognitum.

Surdi, & muti, qui nutibus, & ſignis petunt Baptiſmum, inſtrui debent in Fide eo meliori modo, quo fieri poteſt; & poſteà baptizari ſaltem ſub conditione.

Filius unius, qui ſit fidelis, & alterius, qui ſit infidelis; in eorum diſſidio circà proprium filium baptizandum; baptizari debet: Si Pater eſt infidelis, ſed mancipium alicujus Chriſtiani; ejus filius etiam contrà ejus voluntatem, baptizari debet: idem dic. eſt de illis filiis, quorum Parentes fuerunt Chriſtiani, & poſteà à fide apoſtataverunt: Filius parentum infidelium morti proximus baptizari debet; & ſi convaleſcit, auferri debet à Parentibus, & chriſtianè educari: In articulo mortis; adultus baptizari debet ſub conditione, licèt non ſciat *expreſſè* myſteria fidei principalia: ità communiter DD.

Monſtrum generatum ab homine, & beſtiâ eſt capax Baptiſmi; ſecùs dic., ſi eſt generatum à bruto, & muliere: Si eſt monſtrum generatum ab homine, & muliere; baptizari debet abſolutè: in articulo mortis, ſemper baptizari debet ſub conditione, quando adeſt dubium de capacitate ſubjecti, vel de materiâ aptâ: ita communiter DD.

Laicus baptizando extrà neceſſitatem, ſemper peccat mortaliter, licèt privatim baptizet; excuſat tamen ignorantia invincibilis; idem dicendum eſt de quôcumque alio, qui extrà neceſſitatem, in peccato mortali baptizat: ſecùs dic., ſi in caſu neceſſitatis; & ratio eſt, quia in tali caſu non baptizat ut miniſter Eccleſiæ.

Si quis baptizando, adderet *formæ* aliquid aliud; puta, ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Sancti

Joan-

Digitized by Google

Joannis Baptiſtæ; quæritur an validè baptizaret? Reſp. *affirmativè*, ſi tamen adderet ly *& Sancti Joannis Baptiſtæ* ex quâdam devotione in cordis ſimplicitate; & *negativè*, ſi ex credentiâ, quod eodem modo, ad Baptiſmum concurrat S. Joannes Baptiſta, ſicuti concurrit Sanctiſſima Trinitas; & ratio eſt; quia ſicuti talis error verſatur circà ſubſtantiam formæ, ità conſequenter talis Baptiſmus eſſet invalidus.

Quilibet licèt Paganus, vel Judæus poſt ſufficientem Evangelii promulgationem, tenetur de præcepto recipere Baptiſmum, ut eſt communis Theologorum ſententia, & præſertim *D. Thom. p. 3. quæſt. 68. art. 1.*, & Scoti in *4. diſt. 3. q. 4.*, & ratio eſt; quia omnis homo, tenetur ex præcepto procurare æternam ſalutem, quæ aliàs ſinè Baptiſmo obtineri non poteſt juxtà illud *Salvatoris in Joann. cap. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.*

Rebaptizare *ſcienter* eſt ſacrilegium, quià confertur Sacramentum ſubjecto incapaci; incurritur etiam irregularitas ex delicto, quod idem dic. eſt de *ſcienter* rebaptizato.

Adulti ad *validè* recipiendum Baptiſmum, ideſt, cum *charactere*, ſufficit, quod habeat intentionem, illud ſuſcipiendi; ad recipiendam verò gratiam juſtificantem, emundantem à peccato originali, & actualibus commiſſis alia duo requiruntur; nempè: Fides explicita myſteriorum principalium fidei, & attritio ſupernaturalis de mortalibus commiſſis: Non eſt tamen neceſſarium examen conſcientiæ, ſed ſufficit, quod dolor eliciatur ex motivo univerſali omnium mortalium.

Licèt Baptiſmus, ſinè attritione in peccato mortali receptus, non conferat gratiam juſtificantem; ablato tamen per confeſſionem, vel contritionem peccato mortali, producit ſuum effectum, conferendo primam gratiam.

Baptiſmus ſubijcit baptizatum poteſtati Eccleſiæ, & tollit quamcumque irregularitatem provenientem ex delicto; illâ exceptâ, quæ contrahitur, differendo Baptiſmum uſque ad ſenectutem.

Cognatio ſpiritualis, quæ oritur ex Baptiſmo (qui aliàs debet eſſe ſolemnis) reſtricta fuit à *Trid.* ad duos gradus: *Paternitatis*, ſcilicet, & *Compaternitatis*: *prima* contrahitur inter baptizantem, baptizatum, & parentes baptizati; *ſecunda* contrahitur inter Patrinos, baptizatum, & parentes baptizati, diverſi tamen ſexus. Ut contrahatur *iſta cognatio Compaternitatis*; ſeptem conditiones

con-

concurrere debent, quæ videri poſſunt ſub verbo ly *Matrimonium* §. *Cognatio ſpiritualis*.

Patrini: licèt non ſint neceſſarii *de ſubſtantia Baptiſmi*, ſunt tamen neceſſarii *Jure Eccleſiaſtico*; & ſecundùm *Trid.* nequeunt eſſe plùſquam duo; nempè: maſculus, & fæmina; & ſi Parentes ſubjecti baptizati, ſunt infideles; non contrahitur cognatio ſpiritualis, eo quia infideles ſunt incapaces cognationis ſpiritualis, quæ alias eſt relativa.

Licèt infideles in neceſſitate poſſint baptizare; nequeunt tamen eſſe Patrini in Baptiſmo.

Zuvinglius, & Calvinus aſſerunt, quod animæ Parvulorum, qui moriuntur ſinè Baptiſmo, ingrediuntur in Regnum Cœlorum; & fruuntur æterna Beatitudine, quod eſt contrà textum Evangelicum in Jo. c. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu Sancto* (ſunt verba Jeſu Chriſti), *non poteſt introire in Regnum Dei*. Lutherus, & Melančton eas ponunt in Inferno, igne ſempiterno comburendas, licèt à Chriſto ſolùm excludantur ab introitu in Regnum Cœlorum; undè *Divus Auguſtinus in Enchirid. cap. 93.* ſic ait: *Non dico parvulos ſinè Chriſti baptiſmo morientes, tantâ pœnâ plectendos eſſe, ut eis non naſci potiùs expediret*. Ecce quomodo iſti Hereſiarchæ, qui in proditione Chriſti, facti ſunt adinvicem amici, ſunt autem adinvicem, circà orthodoxam fidem, inimici?

Circà Sanctum *Baptiſmi* Sacramentum quatuordecim extant *Trid. Canones*, & ſunt ſequentes: *Seſſ.* 7.

1. Si quis dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit.

2. Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi; atque ideò verba illa D. N. J. C. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu Sancto* ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.

3. Si quis dixerit, in Eccleſiâ Romanâ, quæ omnium Eccleſiarum Mater eſt, & Magiſtra non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam, anathema ſit.

4. Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit.

5. Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.

6. Si

6. Si quis dixerit, baptizatum non poſſe, etiam ſi velit, gratiam ammittere quantumcumque peccet, niſi nolit credere, anathema ſit.

7. Si quis dixerit, baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantùm fidei debitores fieri, non autem univerſæ legis Chriſti ſervandæ, anathema ſit.

8. Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, ita ut ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſuâ ſpontè illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.

9. Si quis dixerit, ita revocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut vota omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in Baptiſmo ipſo jam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea, & fidei, quam profeſſi ſunt detrahantur, & ipſi Baptiſmo, anathema ſit.

10. Si quis dixerit peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt ſolâ recordatione, & fide ſuſcepti Baptiſmi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema ſit.

11. Si quis dixerit, verum, & ritè collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles, fidem Chriſti negaverit cum ad pænitentiam convertitur, anathema ſit.

12. Si quis dixerit, neminem eſſe baptizatum, niſi eâ ætate, quâ Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo, anathema ſit.

13. Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habeant, ſuſcepto Baptiſmo, inter fideles computandos non eſſe, ac propтereà cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare, omitti eorum Baptiſma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in ſolâ fide Eccleſiæ, anathema ſit.

14. Si quis dixerit hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt; & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec aliâ interim pænâ ad chriſtianam vitam cogendos, niſi ut Euchariſtiæ, & aliorum Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, anathema ſit.

Alex. VIII. propo. dam. 28. in ordine. Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intùs verò in corde ſuo apud ſe reſolvit: Non intendo facere, quod facit Eccleſia.

B

Bellum *eſt armorum conflictus, authoritate Principis, Superiorem non cognoſcentis, indictus*: ita in re communiter: differt à *ſeditione*, & *rixa*; quia *bellum* eſt multitudinis, contrà multitudinem extraneorum; *ſeditio* multitudinis, contrà multitudinem ejuſdem communitatis; & *Rixa* paucorum, vel ſingulorum contrà paucos, vel ſingulos: Si debitis circumſtantiis eſt veſtitum, ut infrà; licitum eſt, ut patet ex multis Sacræ Scripturæ exemplis.

Bellum duplex eſt; nempè: defenſivum, & aggreſſivum: *Defenſivum*; ut ſit juſtum; unicam tantùm requirit conditionem, hoc eſt, quod aggreſſus bonâ fide poſſideat, quæ à contrariâ parte invaduntur: *Aggreſſivum*; ut ſit juſtum; tres conditiones habere debet: 1. *authoritatem judicantis*, tale bellum eſſe juſtum; 2. *juſtam cauſam*, quæ aliàs debet eſſe graviſſima, puta, neceſſitas boni communis, & pacis conſervandæ; recuperatio injuſtè ablatorum; refrenatio perduellium, & ſimilia; 3. *rectam intentionem*, quod ſcilicet, bellum fiat ex motivo boni communis, & non ex odio privato: ita communiter cum *D. Tho. 2. 2. qu. 40. art. 4.* Deficiente primâ, vel ſecundâ; Bellum opponitur *juſtitiæ*, & *charitati*, & conſequenter, reſtitutioni obnoxium; & omnium damnorum compenſationi; deficiente ſolùm tertiâ, eſt tantummodo contrarium charitati.

Poteſt Bellum ex utrâque parte, eſſe juſtum *formaliter*, non tamen *materialiter*; puta, quando aggreſſor *bonâ fide* aggreditur, & defenſor bonâ fide defendit, ut inter alios docet *Maſtrius diſp. 10. The. Moral. num.* 109.

Injuria allata Principi, ſeu Reipublicæ; ſi eſt graviſſima, eſt cauſa ſufficiens indicendi Bellum; debet tamen priùs eſſe petita rationabilis ſatisfactio, & non obtenta: item auxilium præſtitum hoſti injuſtè bellanti eſt cauſa juſta, quia vim vi, repellere licet, quando eſt injuſtè illata; *l. ut vim 3. ff. de juſtitiâ, & jure*.

In dubio de *juſtitiâ belli*: Subditi parere poſſunt Principi, ſeu Reipublicæ, & militare: ita cum communi *Layman lib. 2. tract. 3. cap. 12. nu. 8.* Idem dicendum eſt de *conductitiis*, niſi maniſeſtè eis conſtet de *injuſtitiâ* belli: ſecùs tamen plerùmque dic. eſt de *extraneis*, & *voluntariis*: notanter dixi ly *plerùmque*, quia ſi *practicè* deponunt dubium, pro *ſtipendio* militare poſſunt: Milites parati ſequi quodcumque bellum, *licèt injuſtum*; & ut *injuſtum cognitum*; vivunt in peccato mortali, ut communiter tenent Theologi.

B

In Bello, licèt juſto: *innocentes*, quales ſunt de Jure naturæ *pueri*, & *mulieres*; & de Jure Can. *omnes Eccleſiaſtici*; occidere ex intentione, nunquam eſt licitum, niſi in caſu, quo, de eis conſtet in contrarium; vel etiam quando adeſt neceſſitas; cujus ratio eſt, quia ratio *boni communis* prævalere debet *bono privato*.

In Bello juſto: bona mobilia ab hoſtibus capta, regulariter loquendo, *Jure Gentium*, ſunt primi occupantis; immobilia, arma, & quæcumque ſunt Principis, vel Reipublicæ pertinent ad Principem, ſeù Rempublicam; Si Bellum eſt injuſtum, & ita cognitum, omnia reſtitutioni ſunt obnoxia.

Sex ſunt cauſæ juſtæ indicendi bellum, & bellandi contra Infideles: 1. Quando occupant Terras Chriſtianorum; 2. quando Chriſtianos à vera Fide Catholicâ ſeducunt, vel abducunt; 3. quando Chriſtianos injuriis afficiunt, & in ſervitutem redigunt; 4. quando impediunt prædicationem Evangelii, quia Papa habet tale jus in toto Mundo; 5. Si peccent contrà naturam, puta, comedendo carnes humanas; ſacrificando Idolis homines tàm infantes, quàm adultos; 6. quando ſubditi Principis, ſeu Reipublicæ Catholicæ incidunt in hæreſim.

Benedicendi proprias Eccleſias, Cæmeteria, Capitula, Oratoria, ubicumque exiſtentia, & etiam quocumque modo polluta, nec non omnia Eccleſiaſtica ornamenta (in quibus tamen non interveniat Chriſma) pro uſu propriarum Eccleſiarum, facultatem habent omnes Superiores Ordinis Minorum, ex ampliſſimo privilegio *Leonis Decimi*; & licet in tali privilegio ſic legatur: *pro veſtro uſu tantùm*; attamen *Miranda Manu. Prælat. tom. 2. qu. 40. art. 1. concl. 2.*, cum aliis extendit tale privilegium etiam ad uſum pro Eccleſiis Monialium ejuſdem Ordinis regimini, ſubjectarum. *Chriſma* intervenit ſolùm in conſecratione *Eccleſiæ*, *Altaris*, *Calicis*, *Patenæ*, *Campanarum*: *Aqua benedicta* pro reconciliatione Eccleſiæ, Altaris, Cæmeterii &c. fieri debet cum *aquâ*, *ſale*, *cinere*, *& vino*; licèt aliàs meliùs fit, illam petere ab Epiſcopo, maximè ſi non diſtat per duas dietas.

Beneficentia *eſt executio dilectionis internæ*; nam per Beneficentiam Proximo, re ipsâ bonum tribuimus, quod ei volumus ex interno charitatis affectu, ſivè dilectione; hinc *Joannes in 1. c. 3.* ſic dicit: *Filioli non diligamus verbo, neque linguâ; ſed opere, & virtute*.

Beneficium Eccleſiaſticum *eſt Jus percipiendi fructus ex bonis*

Deo dicatis, *competens Clerico propter Divinum Officium*: ita in re communiter: ejus ſpecies ſunt quatuor: 1. quæ habent curam animarum, & juriſdictionem exteriorem; 2. quæ neutram habent; 3. quæ habent curam animarum ſinè juriſdictione exteriore; 4. quæ habent juriſdictionem exteriorem ſinè curâ animarum.

In Beneficio Eccleſiaſtico tria inveniuntur: 1. Officium ſpirituale, ideſt, obligatio recitandi Horas Canonicas; 2. Jus percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, ideſt Eccleſiaſticis; 3. ipſi fructus; ſed iſti ſunt merè quid temporale, & dividuntur in collativos, patronatos, & electivos.

Beneficiarii ultrà obligationem recitandi quotidie Horas Canonicas; habent etiam obligationem *reſidendi perſonaliter*, ut patet ex *Trid.ſeſſ.23. de ref.c.1.*, & etiam ex *Jure Can.*, ut liquet ex *tot. tit. de Cleri. non reſiden.* Si habent curam animarum; tenentur *de Jure Divino, & naturali*, ut ſatis apertè deducitur ex *cit. Trid.*, ubi ſic legitur: *Cum* præcepto Divino, *mandatum ſit omnibus, quibus* cura animarum *commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere ... quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt*, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt; *ſed mercenariorum more deſerunt &c.* Si non habent curam animarum, tenentur ſolùm *de Jure Eccleſ.* reſidere, ut habetur *ex art. c.1. & ſeq. de Cleric. non reſident.*; & ſi Beneficia ſunt ſimplicia; ex generali conſuetudine totius Eccleſiæ *eadem perſonalis reſidentia* non ampliùs requiritur; & conſequenter poteſt Beneficiarius ſupplere per ſubſtitutum, niſi tamen fundator, diſertis verbis oppoſitum expreſſerit, ut eſt communis DD. opinio.

Beneficiarii de fructibus Beneficiorum, debent *congruè* ſuſtentari; ſub nomine poſteà *congruæ ſuſtentationis*; non ſolùm veniunt *neceſſaria ad victum, & veſtitum*; ſed etiam *decentia* juxtà conditionem ſtatus Perſonæ, & circumſtantiarum, ut benè probat *Bardi in Selectis lib.3. §. 10. ſect. 6. & ſeqq.* cum pluribus ibi citatis; *quæ decentia*, extenditur etiam ad *remunerationes*, *donationes* etiam *gratuitas*, & *liberales*; maximè ſi adeſt conſuetudo; quod totum tamen intelligendum eſt, quod fieri debeat *diſcretè* conſideratis qualitate Beneficii, loco, nobilitate, aut ignobilitate Beneficiarii, & aliis circumſtantiis.

Quando Beneficium eſt taliter tenue, quod detractâ congruâ ſuſtentatione, nihil ſuperſit pro erroganda pauperibus eleemoſinâ

poteſt Beneficiarius totos redditus expendere pro *ſuâ congruâ ſuſtentatione*, neglectis *pauperibus*; & ratio eſt, quia alimenta ex redditibus, debentur Beneficiario *ex juſtitiâ*, pauperibus verò *ſolùm ex charitate*, & conſequenter anteponenda ſunt: idem dic. eſt de *neceſſariâ reparatione Eccleſiæ*, quæ cum ſpectet ad Cultum Divinum, anteponenda ſunt *pauperibus occurrentibus*, non tamen illis, qui in *extremâ neceſſitate*, vel *quaſi extremâ*, aut *gravi* exiſtunt.

Quando Beneficiarius, *dando, peccat mortaliter*; etiam qui recipit peccat mortaliter; ſi tamen inducit Beneficiarium ad dandum: ſecùs, ſi non inducit, ut vult *Tambur. tom.1. lib.8. tom.1. c.2. §.4. n.2.* cum aliis; & ſi peccat inducendo; non tenetur tamen ad reſtitutionem, eo quia validè recipit.

Si Beneficiarius emit prædia, domus, vel alia immobilia ad ipſum pertinent, & ad ejus hæredes; ſi tamen habet *amplum patrimonium*, & beneficium eſt *tenue*, & ratio eſt, quia talis emptio cenſeri debet facta ex peculio patrimoniali, eo maximè, quia *delictum in dubio, numquam eſt præſupponendum*: excipitur tamen, ſi conſtaret, quod talis emptio fuit facta animo donandi Eccleſiæ; aut ſi fuit facta nomine Eccleſiæ: Si poſteà Beneficiarius nullum, vel tenue patrimonium habet; talia bona empta ſpectant ad Eccleſiam, quia ex fructibus Beneficii cenſeri debent empta, ut ait *Piring. lib.3 tit.26. §.3. in comp.*

Beneficium Eccleſiaſticum, conferri debet *gratis*, & *juſtè*, ſi non confertur *gratis* committitur ſimonia Jure Canonico prohibita; & ſi non confertur *juſtè*, ideſt, *digno*, immò *digniori*; eſt peccatum mortale contrà juſtitiam, obligans ad reſtitutionem Eccleſiæ, cujus fructus *injuſtè* locantur, ut deducitur ex infrà ponendis propoſitionibus damnatis.

Ad hoc poſteà, ut quis dici poſſit *dignus*; ſecundùm *Leſſium lib.2. cap.34. dub.17. & ſeqq.* decem conditiones habere debet: 1. Thorum legitimum; 2. Clericatum; 3. convenientem ætatem; 4. celibatum; 5. carentiam cujuſcumque cenſuræ, aut irregularitatis; 6. morum probitatem; 7. debitam ſcientiam; 8. corporis habilitatem; 9. Eccleſiaſtici ſtatus intentionem; 10. carentiam alterius Beneficii Eccleſiaſtici incompatibilis.

Qualis poſteà inter *plures dignos*, dici poſſit *aliis dignior*? colligitur ex *Trid.*, nempè: *ille, qui à Prælato conferente exiſtimabitur, quod Eccleſiæ præ aliis futurus ſit magis utilis.*

Alex.

Digitized by Google

Alex. VII. propo. dam. 22. in ordine : *Non eſt* contrà juſtitiam *Beneficia Eccleſiaſtica non conferre* gratis, *quia collator conferens illa Beneficia interveniente pecuniâ, non exigit illam pro Beneficii collatione, ſed veluti pro emolumento, eo quòd tibi conferre non tenebatur*.

Innoc. XI. propo. dam. 47. in ordine : *Cum dicit Conc. Trid. eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui niſi promovent ad Eccleſias, quos ipſi noverint* digniores, & Eccleſiæ magis utiles: *Concilium vel primò per hoc ly* digniores, *non aliud ſignificare velle niſi* dignitatem eligendorum, *ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundò locutione minùs propriâ ponit* digniores, *ut excludat* indignos, *non verò* dignos; *vel ſaltem tertiò quando ſit concurſus*.

Beſtialitas (ut ſpecies luxuriæ) *eſt coitus hominis cum beſtiâ*: aliqui DD. dicunt, & non improbabiliter, quod ſit circumſtantia, neceſſariò exprimenda in confeſſione, an coitus fuerit cum maſculo, vel fæminâ: ad hanc ſpeciem reducitur, juxtà communiorem DD. opinionem, coitus hominis cum dæmone ſivè ſucubo, ſivè incubo, eo quod dæmon in tali coitu non habet corpus reale humanum, ſed apparens. Malitia beſtialitatis ſecundum *Filli. tract.* 30. *c.* 8. *nu.* 161. conſiſtit in hoc, quod non ſervatur eadem ſpecies, & natura.

Bigamia *eſt quædam irregularitas ex defectu, conſurgens ex matrimonio rato, & conſumato*: Hæc irregularitas dicitur oriri ex *defectu* (intellige *Sacramenti*) nam matrimonium ratum, & conſummatum ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſiâ per carnis aſſumptionem juxtà illud *Apoſt. ad Epheſ. cap. 5. Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſiâ &c.* Hæc autem ſignificatio, deficit in matrimonio contracto cum ſecundâ uxore, vel cum Viduâ, vel cum quâcumque aliâ à quocumque alio corruptâ; & ratio eſt, quia non eſt conjunctio unius cum unâ, & illâ Virgine, ſicuti Filius Dei copulavit ſibi *Eccleſiam unam*, & à *nullo alio* aſſumptam. *Text. & Gloſſ. in c. Debitum de Bigam.*

Triplex datur Bigamia juxtà commun. DD. ſententiam; nempè: *vera*, *interpretativa*, & *ſimilitudinaria*, & harum quælibet inducit irregularitatem ex defectu, ut conſtat ex *toto tit. de Bigam. non ordin.*

Vera eſt, quando quis validè contraxit matrimonium cum duabus,

bus; illudque cum utrâque conſumavit: *Interpretativa* eſt, quæ contrahitur ab illo, qui quâdam juris interpretatione cenſetur habuiſſe duas uxores, licèt eas non habuerit; ut quando quis contrahit cum Viduâ, quæ cum primo marito matrimonium conſumavit, vel ducit non Viduam, ſed ab alio corruptam, vel cognoſcit propriam Uxorem poſt adulterium ab ipsâ commiſſum, de quibus extant diverſi textus Juris Canonici, ut *cap. Maritum diſ.* 33., *& cap. Si cujus*, *& cap. Si Laici diſ.* 34., & alibi. *Similitudinaria* dicitur quando aliquis poſt votum ſivè Religionis, ſivè Sacrorum Ordinum, matrimonium contraxit, illudque conſumavit; ſivè validè ex diſpenſatione Papæ, ſivè invalidè. *C. Nuper*, *& Cap. fin. de Bigamis*. Si invalidè contraxit; ſic contrahens committit ſacrilegium, & fit de hæreſi ſuſpectus, ut ait *Peyrin. tom. 3. in Conſtit. 2. Julii II. n.* 120. cum aliis.

Blaſphemia (quæ immediatè opponitur laudi Divinæ) *eſt quædam maledicentia contrà Deum ex malo voluntatis affectu*: ita in re communiter: Duplex eſt; nempè: ſimplex, & hæreticalis; *ſimplex* eſt illa, quæ licèt nullum contineat errorem contrà Deum, vel Catholicam fidem, continet tamen contemptum, & dehonorationem Dei; *hæreticalis* eſt, quæ continet hæreſes, vel opponitur articulus fidei; & ſi adeſt error in intellectu cum pertinaciâ, eſt ſubjecta excommunicationi in Bullâ Cœnæ. Blaſphemia extenditur non ſolùm ad Deum, & ad Sanctiſſimam Deiparam ſemper Virginem Mariam, & alios Sanctos, ſed etiam ad alias creaturas, quando tamen eſt prolata cum reſpectu ad Deum, ſivè in odium Dei.

Blaſphemia triplicem habet cauſam; nempe: 1. *odium Dei*, vel *Sanctorum*; & hoc modo (ſi daretur), eſſet graviſſimum omnium peccatorum contrà Religionem; 2. *impetum iræ*; 3. *lapſum linguæ*; & bino hoc modo, ut plurimum, eſt peccatum veniale tantùm propter indeliberationem actus, ut cum pluribus aliis tenet *Sanchez lib. 2. in Decal. cap.* 32.

An Blaſphemiæ contrà Deum, SS. Deiparam ſemper Virginem Mariam, cæteroſque Sanctos ſint ejuſdem, vel diverſæ ſpeciei; ita quod ſit circumſtantia neceſſariò in confeſſione exprimenda ſi fuit contrà *Deum*, vel contrà *SS. Virginem*, vel contrà *alios Sanctos*? Eſt controverſum; licèt aliàs affirmativa opinio ſit communior, & etiam probabilior, & potiſſima ratio eſt, quia blaſphemia *in Deum* lædit *objectum infinitum*; è contrà blaſphemia

in

B

in Sanctos, lædit *objectum finitum*; aut etiam, ut alii dicunt, quia ſicuti virtutes oppoſitæ, ideſt, *Latria, Hyperdulia, & Dulia* ſunt diverſæ ſpeciei; neceſſariò diverſæ ſpeciei eſſe debent vitia ipſis oppoſita, cum juxtà Dialecticos oppoſitorum eadem ſit ratio.

Aſſuetus blaſphemare, ſi negligit emendationem, peccat in tali negligentiâ.

Bona fides eſt tranquilla conſcientia, quod illa res, quæ poſſidetur, ſivè ſit mobilis, ſivè ſit immobilis, non ſit aliena: *L. Bona fidea* 31. *ff. Depoſiti*.

Bona Clericorum ſunt in quadruplici differentiâ; nempè: patrimonialia, quaſi patrimonialia, merè Eccleſiaſtica, & parſimonialia: *Patrimonialia* ſunt, quæ hæreditate, donatione, arte &c. Clerico obveniunt: *Quaſi patrimonialia* ſunt illa, quæ acquiruntur à Clerico ratione Clericalis Ordinis, vel Officii, ideſt aliâ ratione ab illâ, quam habet à jure percipiendi fructus Beneficii Eccleſiaſtici: *Merè Eccleſiaſtica* ſunt illa, quæ à Clerico accipiuntur ratione alicujus Beneficii Eccleſiaſtici, quod habet; puta, Epiſcopatus, Canonicatus, Parochia, vel quodcumque aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ut ſunt ordinarii eorum redditus; puta, Decimæ, Fundationes, Agrorum fructus, & aliæ res ad Beneficium ipſum ſpectantes: *Parſimonialia* ſunt illa, quæ Clericus aliquis ex redditibus Beneficii merè Eccleſiaſtici (de ipſius congruâ ſuſtentatione) parciùs quàm honeſtè vivendo conſumere potuiſſet, ſibi voluntariè ſubtraxit.

De *Patrimonialibus*, *quaſi Patrimonialibus*, & *Parſimonialibus*, licitè frui poteſt Clericus in uſibus tamen licitis; & de illis eodem modo teſtari ad ſuum beneplacitum: De *merè Eccleſiaſticis* habet *verum dominium*, ut eſt communior DD. opinio, *cum onere tamen* errogandi ſuperflua ad congruam propriam ſuſtentationem in pauperes, & alias pias cauſas, ut eſt communis Theol. ſententia, de quâ teſtimonium reddunt *Leſſius*, *Herinez*, *Lugo*, & alii multi; quapropter *S. Urbanus Papa* (ut legitur in Breviario Romano die 25. Maji) ſic ait: *Ipſæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios uſus, quàm Eccleſiaſticos, & Chriſtianorum Fidelium indigentiam converti, quia vota ſunt Fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum*, & concordat cum *Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de ref.*

Talis obligatio ſecundùm communiorem DD. ſententiam, non eſt de *Jure Divino*, aut *naturali*, ut latè probant *Nav. Saniz*, & plures

plures alii, & conſequenter dic. eſt, quod licèt Clerici ſæculares ſuperflua ad propriam congruam ſuſtentationem expendentes in uſus prophanos, peccent mortaliter; non peccant tamen contrà juſtitiam; ac proindè conclud. eſt, non teneri ad reſtitutionem: ita communiter DD. cum *De Lugo diſp.* 4. *de Juſt.*, *& Jure ſect.* 1. *num.* 26.

Quantitas poſteà, quæ ſit materia peccati mortalis, non eſt deſumenda ex regulis, quæ dantur *pro furto*, ſed quæ cenſeri poteſt pars aliquo modo notabilis *reſpectu ipſorum redditum ſuperfluorum Beneficiarii*, ut probat *De Lugo loco cit. num.* 46. cum aliis, & ratio diverſitatis eſt, quia Clerici habent *verum dominium* illorum bonorum, quod dici non poteſt *de fure in re ablatâ*, vel *retentâ* invito Domino rationabiliter.

Bona Clericorum *Patrimonialia* gaudent *immunitate* ab extraordinariis collectis, & laicali juriſdictione: ita *Barb. lib.* 1. *Jur. Eccleſ. cap.* 39. §. 5. *n.* 6., & ratio eſt, quia acceſſorium naturam principalis ſequi congruit; ſed dicta bona ſunt quid acceſſorium ad Clericos: ergo &c. Excipiuntur tamen tria: 1. Bona feudalia, & ratio eſt, quia iſta non tranſeunt pleno Jure in Eccleſiam, vel Perſonas Eccleſiaſticas, ut habetur deciſum in *cap. Ex tranſmiſſa*; & *cap. Verùm de foro compet.*, 2. quando Fundator, aut Patronus territorialis; puta, Princeps, in ipſo fundationis principio ſibi certam penſionem, vel annuos redditus ex bonis Eccleſiæ attributis ſibi reſervavit; & ipſos Epiſcopus antè conſecrationem conſtituit: *cap. Præterea de Jure Patro.*; poſt conſecrationem tamen Eccleſiæ, novi imponi nequeunt, aut veteres augeri, ut habetur ex *cap. Prohibemus eod. tit. cum concordantiis*; 3. quo ad onera antiqua antè conſecrationem impoſita, & ratio eſt, quia quælibet res tranſit cum ſuo onere, dummodo tamen ſint vera, & realia, ideſt, ipſis fundis infixa, certa, determinata, & perpetua, ut habetur ex *arg. cap. ex litteris de Pignoribus*, & in hoc ſenſu procedit *tex. cap. Si tributum* 11. *q.* 1., etiam in communibus neceſſitatibus, & utilitatibus Reipublicæ prohibentur laici ſub pænâ excommunicationis latæ in Bullâ Cœnæ Domini reſervatæ, imponere novas collectas, & exactiones Eccleſiis, vel Perſonis Eccleſiaſticis, licèt aliàs Summus Pontifex, exiſtente juſtâ cauſâ, diſpenſare poſſit, ita quod imponi poſſint novæ collectæ, & exactiones Eccleſiis, & Perſonis Eccleſiaſticis.

Immunitas poſteà rerum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum in hoc

hoc conſiſtit, quod res, atque Perſonæ Eccleſiaſticæ immunes ſint, atque liberæ à juriſdictione ſæcularium Magiſtratuum, eorumque exactionibus, & oneribus: ita omnes Theol. cum Canoniſtis, & Juriſprudentibus Catholicis; & ſic fuit deciſum *in Conc. Lateran. ſub Alex. III. c. 19. cap. Non minùs de Immun. Eccleſ.*, ubi etiam laicis collectas Clericis, vel Eccleſiis imponentes, aut ipſorum juriſdictionem uſurpantes; *ſi moniti non deſiſtunt*, incurrunt ipſo facto cum eorum fautoribus in excommunicationem.

Pro majori prædictorum intelligentia not. eſt, quod Bona Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum Perſonarum, ſunt in triplici genere: *primi generis*, ſunt ipſemet Eccleſiæ materiales cum Cæmeteriis, Vaſibus Sacris, & quibuſcumque aliis rebus conſecratis, vel benedictis; & hoc *Jure Divino* juxtà illud *Juris in 6. Semel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulteriùs transferrendum*: Illa poſteà *ſecundi generis*, ſunt Bona Eccleſiarum, tàm immobilia, quàm mobilia, quæ à fidelibus ſunt Eccleſiæ donata, ut habetur ex *cap. Nulli 12. q. 2.*, & alibi: *Tertii generis*, ſunt illa, quæ ad Eccleſiam, vel Perſonas Eccleſiaſticas pervenerunt alio titulo, vel cauſâ; puta, *hæreditate, emptione, arte, labore manuali, & hujuſmodi*; & hæc etiam comprehenduntur inter *bona patrimonialia*, de quibus dixi ſuprà.

Bona *Caſtrenſia*, ſunt illa, quæ Filius-familias acquirit in Bello, quorum habet veram, & legitimam proprietatem cum uſufructu: *tot tit. ff. & C. de Caſtrenſi peculio*.

Bona *quaſi Caſtrenſia*, ſunt illa, quæ Filius-familias acquirit per officium publicum, quorum habet veram, & legitimam proprietatem cum uſufructu, ut patet ex *Juribus ſupra citatis*.

Bona *Adventitia*, ſunt illa, quæ Filius-familias ex induſtriâ, & labore ſuo acquirit ſeorſim ab exercitio rei domeſticæ, quorum ipſe Filius habet proprietatem, Pater verò uſumfructum, ut habetur ex *l. Cum oportet 6. C. de bonis, quæ Liberis*.

Bona *Profectitia*, ſunt peculium Filii-familias habitum à Parentibus, aut de eorum bonis, aut ex eorum cauſâ, quorum Pater habet proprietatem, & uſumfructum, ut patet ex *Tex. Civ., & DD.* pluribi.

Bona *paraphernalia*, ſunt illa, quæ Uxor defert ad domum Mariti *extrà dotem*, ſic dicta à Græco vocabulo *Para*, ideſt, *extrà*, & *pherna*, ideſt, *dotem*; & horum bonorum Uxor habet omnimodam proprietatem: ita *Tex., & DD. in l. hac; l. 8. C. de pactis conventis*,

Bul-

B

Bulla Cruciatæ, *eſt Diploma, ſeu Breve Pontificium, in quo multæ gratiæ conceduntur dantibus certam eleemoſinam in ſubſidium Belli contrà Infideles, & Hæreticos*; quæ Bulla non valet, ſi pro eleemoſinâ detur eadem numero pecunia, quam quis furatus eſt; ſecùs dic de pecuniâ pro meretricio accepta, licèt eadem numero, quia licèt *illicitè* accepta fuerit, *juſtè* tamen fuit acquiſita: idem dicendum de illis, qui ad credentiam accipiunt Bullam, animo tamen ſolvendi, licèt posteà ex causâ impoſſibilitatis non ſolvant.

Bulla durat per unum integrum annum, dummodò ea actualiter habeatur; immò etiam ſi caſualiter ammittatur; ſecùs tamen dic. eſt, ſi ſpontè propria projiciatur, laceretur, vel comburatur: valet *ubique*, & conſequenter *ubique*, qui eam accepit, uti poteſt privilegiis in eâ contentis, exceptis tamen privilegiis comedendi ova, & laticinia in Quadrageſimâ, ubi ex conſuetudine ſunt prohibita (niſi ſint ſexagenarii, aut militares), & carnes diebus vetitis, licèt de conſilio utriuſque Medici: ſecùs dic. eſt de illis, qui ſunt in loco, ubi datur *Bulla*.

Privilegia posteà, quæ conceduntur virtute *Bullæ Cruciatæ*, ſunt plura, & videri poſſunt in *eâdem Bullâ*; inter quæ primum eſt, quod qui habet *prædictam Bullam*, abſolvi poteſt Sacramentaliter ab *omnibus caſibus, & cenſuris reſervatis tàm Epiſcopis, quàm Summo Pontifici, etiam in Bullâ Cœnæ Domini*, exceptâ tamen *Hæreſi formali, licèt occultâ*: à reſervatis *Epiſcopo*, toties, quoties, immò etiam à reſervatis *Papæ extrà Bullam Cœnæ*, & dummodò etiam ſint *occulti*; ſecùs tamen dic. ſi ſunt *publici*, vel reſervati in *Bullâ Cœnæ*, quia *ſemel tantùm in vitâ, & ſemel tantùm in morte* abſolvi poſſunt, quod ſic intelligendum eſt, quod *ſi erit abſolutus in articulo mortis à cenſuris*, ſi convaluerit, non tenebitur ſe *præſentare*, ſicuti tenentur illi, qui non gaudent tali privilegio.

Si contigerit, quod quis eodem anno iterum cadat in eoſdem caſus publicos, Papæ reſervatos, ſivè in Bullâ Cœnæ, ſivè extrà Bullam, poterit ſemel ab illis abſolvi per aliam Bullam ſemel in vitâ, & ſemel in morte in eodem anno, & non ampliùs.

Abſolutio à cenſuris virtute Bullæ impartiri non poteſt, ſi detur pars læſa, *niſi priùs ſatisfacta parte*, vel *ſatisfactionis cautione*, aut niſi detur *impotentia*, quâ datâ, impartiri poteſt à quocumque Confeſſario etiam ſine Bullâ, in foro tamen interno ſolummodò.

Adv.

B

Adv. eſt, quod virtute *Bullæ Cruciatæ*, dari non poteſt *abſolutio à ceſſatione à Divinis*, neque ab *Interdicto quocumque*, quia Bulla eſt ſolùm pro abſolutione à cenſuris, quæ *impediunt receptionem* Sacramentorum *Pœnitentiæ*, & *Sanctiſſimæ Eucharistiæ*; neque diſpenſari poteſt ſuper *Irregularitate*, quia Bullâ non dat facultatem ad *diſpenſandum*, ſed ſolummodò ad *abſolvendum*.

Quæritur, an abſolutus virtute Bullæ ab uno caſu, Papæ reſervato; putà, à *Duello*, ſi eodem anno incidit in alium caſum Papæ reſervatum, ſed *diverſæ ſpeciei*; puta, in *Simoniam realem*, poſſit eôdem anno etiam ab hoc abſolvi? Reſp. cum *Bardi de Bullâ Cruciatæ tr.* 1. *ſect.* 1. *negativè* quidquid dicat *Leander de cenſ. tract.* 2. *diſp.* 17. *quæſt.* 83.; & ratio eſt, quia licèt verba Bullæ ſint *amplè* interpretanda, ut ait *Leander*, non ſunt tamen taliter amplè interpretanda, quod excedant ſenſum *expreſſum*; cum autem *expreſsè* ly *ſemel* afficiat *actum abſolutionis*, & non *caſum*, ut cuicumque conſideranti patere poteſt, indè neceſſariò ſequitur, quod *ſemel* abſolutus non poſſit *denuò* abſolvi in illo anno &c. Legatur Bulla &c.

Confeſſarius *quicumque*, etiam Regularis, approbatus in *unâ Diœceſi*, non poteſt in *aliâ Diœceſi* audire confeſſionem, & abſolvere quemcumque pœnitentem virtute Bullæ Cruciatæ; & ratio eſt, quia, quo ad *electionem Confeſſarii*; Papa in Bullâ, nullum concedit privilegium, & conſequenter ſtandum eſt *legibus Trid.*; & hoc magis patet ex reſponſione datâ à *Sac. Congr. Conc.* Archiepiſcopo Valentino ad hoc quæſitum; nempè: *Quid veniat nomine approbati ab Ordinario*? Reſp. his præciſis verbis: *Congr. Conc.* reſpondet: *Approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in Diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum ab Ordinario.* Hoc Decretum refert *Bardus de Bullâ Cruciatæ par.* 2. *tr.* 5. *c.* 1. *ſect.* 2. *n.* 19. Pluſque liquet ex *Conſtit. Innoc. XII.*, quæ incipit: *Cum ſicut editæ &c.* 19. *April.* 1700., per quam idem Papa, declarat Confeſſiones aliter factas, præterquàm in articulo mortis, irritas eſſe; ipſos autem Confeſſarios, ipſo jure ſuſpendit; & excommunicatione Papæ reſervata ligat docentes, aut ad praxim deducentes opinionem contrariam, omniaque in contrarium tollit.

Regulares utriuſque ſexus, licèt virtute Bullæ gaudeant omnibus privilegiis in Bullâ contentis; excipitur tamen illud, eligendi Confeſſarium quo ad caſus reſervatos.

Digitized by Google

B

Licet virtute Bullæ diſpenſari non poſſit in votis; illa tamen, & quæcumque *commutari* poſſunt quatuor exceptis; 1. votum ſimplex Religionis; 2. votum ſimplex perpetuæ caſtitatis; 3. votum peregrinationis ad Jeruſalem devotionis causâ; 4. votum emiſſum in favorem tertiæ Perſonæ, ſi aliàs fuit acceptatum: talis commutatio votorum, ſicuti & abſolutio à cenſuris fieri poteſt extrà Sacramentum Pœnitentiæ virtute Bullæ, cum ſufficiat ſolum privilegium.

In quâcumque votorum commutatione virtute Bullæ Cruciatæ, danda eſt eleemoſina in ſubſidium Cruciatæ, quæ debet eſſe diſtincta à materiâ, in quâ votum commutatur, licet computari debeat cum materiâ commutationis, & ſi votum non habet expenſionem annexam; talis eleemoſina debet eſſe arbitraria prudenti, & diſcreto Confeſſario juxtà qualitatem, & commoditatem voventis.

C

CAlumnia *eſt falſa impoſitio criminis*: Si crimen eſt grave; eſt peccatum mortale contrà juſtitiam, obligans ad retractationem etiam cum æquali damno calumniatoris, ſi tamen eſt ſpes fructus; & ſi non eſt ſpes fructus, ad compenſationem omnium damnorum.

Innoc. XI. Propoſ. damn. 43. in ordine: Non eſt niſi veniale detrahentis authoritatem magnam, ſibi noxam, falſo crimine elidere, & Propoſ. 44.

44. *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat: & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theologia.*

Cambium *eſt permutatio negotiatoria pecuniæ pro pecuniâ, ratione formæ ſumpta; & quatenùs pertinet ad permutationem;* Ita in re communiter: Ejus ſpecies ſunt quatuor; nempè: *per minutum, ſiccum, reale, & per litteras.*

Cambium *per minutum* eſt, quando quis dat alteri pecunias majores permutandas cum minoribus, vel e contrà: In hoc cambio *per minutum,* eſt licitum lucrum decem de cauſis (dummodò tamen ſit *juſtum*; & aliàs à Campſore tria abſint; nempè: *falſitas, fraus, & fallacia*): 1. ratione laboris: 2. incommodi: 3. officii

cam-

cambiendi: 4. expenſarum: 5. commoditatis: 6. antiquitatis honorificæ: 7. raritatis: 8. præſtantioris metalli: 9. peculiaris affectus, quo quis ſe privat: 10. uſus, & expedibilitatis.

Cambium ſiccum, (quod ita dici poteſt, eo quia caret humido juſtitiæ) quatuor modis evenire poteſt: 1. quando pecunia recipitur in uno loco à Campſario cum pacto, ut in eôdem loco reddatur illo pretio, quod Campſor in alio nominatim loco, & futuro tempore voluerit: Hoc cambium eſſet licitum, ſi ex utrâque parte daretur æqualitas incertitudinis valoris pecuniæ tali tempore, & in tali loco nominatim determinatis: 2. quando Campſor dat pecunias Campſario cum pacto, ut ſibi ſolvantur in alio loco diſtanti illo ſolito pretio pro ſimilibus locis diſtantibus, licèt neque Campſarius habeat intentionem reddendi pecuniam in tali loco, neque Campſor habeat ibi correſpondentes, qui ſuo nomine recipere poſſint talem pecuniam, & conſequenter in eodem loco redditur pecunia, ubi recepta fuit, & cum lucro pactuito: hoc cambium tali modo factum eſt cambium ſiccum contrà juſtitiam mortaliter peccaminoſum, & reſtitutioni obnoxium, quia verè eſt contractus uſurarius uſurâ palliatâ: 3. quando cambium eſt compoſitum ex cambio, & recambio ſicco, v.g., ſi Campſor dat; puta, Mediolani, mille aureos Romæ ſolvendos, ubi neque Campſor habet correſpondentes, neque Campſarius unde ſolvat; & interim Campſor petit lucrum ex hoc cambio ſicco, & rursùs Campſarius tempore ſolutionis, fingit ſe non habere Romæ, & iterum illos mille aureos recambit Venetiis cum lucro, & ibi accipit illos mille aureos, & Romæ ſolvit totum, ideſt, illos mille aureos cum lucro cambii, & recambii &c. Hoc cambium ſiccum, duas complectitur uſuras; primam in cambio ſicco, & alteram in recambio, quia verè, & de facto eſt mutuum virtuale, & conſequenter uſura palliata: 4. dupliciter evenire poteſt: 1. quando Campſor dat ſuas pecunias, in aliis locis ſolvendas, in quo caſu; ſi de facto in prædictis locis ſolvuntur, eſt verum, & licitum cambium; ſed ſi fingitur locus diſtans, ut exigatur lucrum; eſt cambium ſiccum, quia uſura palliata: 2. quando pro ſolutione faciendâ aſſignatur tempus cum appoſitâ pœnâ tanti pluris, ſi infrà ſpatium congrui determinati temporis aſſignati, non fiet ſolutio: hoc cambium eſt licitum, dummodò ſerventur illæ quinque conditiones, quæ ſunt ſub verbo ly *Uſura §. Ratione pœnæ conventionalis* (ibi vide), & dummodo non ſit contraria primæ conditioni, à *S. Pio V.* præſcriptæ pro validitate

liditate cambiorum, quæ infrà ponetur, aliter eſſet cambium ſiccum, quia uſura palliata.

Prædicta *Cambia ſicca* damnata fuerunt à *S. Pio V.*, tamquam *uſuraria* in Bullâ de Cambiis edita, quæ incipit: *In eam pro noſtro &c.*, licèt aliàs in eâdem appellet cambiorum uſum licitum, & quem neceſſitas, & publica utilitas induxit, quod tamen de cambiis *per minutum*; *realibus*; & *per litteras* licito modo factis, intelligendum eſt.

Cambium *reale* eſt, quando Campſor dat Campſario pecunias in uno loco v. g. Mediolani, ut Romæ alteri perſonæ ſolvantur; & à Campſario recipit aliquod lucrum juſtum, quod etiam licitum eſt ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, aut utriuſque ſimul.

Cambium *per litteras* eſt, quando Campſarius dat Campſori pecunias in uno loco, ut ſibi ſolvantur in alio: Hoc cambium licitum eſt, ſi verè de facto in illo loco ſolvuntur cum juſto lucro, inter ipſos ſtatuto, quod lucrum eſt etiam licitum quatuor de cauſis: 1. ratione obſequii, quod Campſario præſtatur; 2. ratione periculorum; 3. ratione virtualis tranſlationis; 4. ratione majoris, vel minoris æſtimationis pecuniæ.

Cambii conditiones à *S. Pio V.* præſcriptæ pro Cambiorum uſu, ſunt tres: 1 quod Campſor non paciſcatur de aliquo lucro, ratione ſolutionis dilatæ ultrà terminum; 2. quod non paciſcatur de certo intereſſe ſivè à principio celebrationis cambii, ſivè ex poſt; 3. quod cambia realia, aliter non fiant, niſi ad proximas nondinas: ita in *cit. Bullâ S. Pii V.*

Canonizatio, & Beatificatio confundi non debent, cum ſint diverſæ, eo quod diverſa formula in eis Summus Pontifex procedit; nam *Beatorum cultum* permittit, indulget, vel concedit *uni loco*; *uni Provinciæ*; *uni Regno*, prout expreſsè, in Brevibus conceſſionis continetur. *Sanctorum verò venerationem, pro Eccleſiâ univerſali*, quæ tenetur obedire Papæ, decernit, & definit; hinc *Canonizatio* nihil aliud eſt, niſi, quod Summus Pontifex, aliquem Servum Dei, Sanctorum catalogo adſcribat, & publicè, ac ſolemnitèr declaret, definiat, ac ſtatuat, ut tamquam Sanctus ab omnibus habeatur: ita *Fagnan. in 3. ad cap. Audivimus de Reliq. & venerat. Sanct. nu.* 2., & Dia. coord. *tom.* 9. *tract.* 5. *reſol.* 19. *num.* 5.

Papa tàm in *Canonizatione*, quàm in *Beatificatione* non poteſt

errare

errare cum ſit Infallibilis non ſolùm in *rebus Fidei*, ſed etiam in rebus ſpectantibus ad *Cultum*, & *Religionem*; & hoc tamquam certum, nullam admittere debet dubitationem apud Chriſti fideles, conſiderando, quod Eccleſia errare non poteſt, cum ſit *Columna, & Firmamentum veritatis*, ut ait *Apoſt. in 1. ad Timot. cap. 3.* cum ſecuritas non errandi, quam habet Eccleſia, fundetur in ſecuritate, quam habet Papa non errandi, quoniam ne corpus Eccleſiæ erraret circà *res Fidei*; *Religionis*; & *Morum*, ità Chriſtus promiſit Petro Capiti, & Magiſtro, ex cujus ſecuritate reſultat ſecuritas in Eccleſiâ (ex ſecuritate enim fundamenti pendet ſecuritas ædificii), quando illi dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ut legitur in *Matt. cap. 16.*, ideſt, *firmitas Eccleſiæ* in ipſâ *Petri firmitate* innitetur, ut *ex Can.* ſcripſit *Jo. de Cardenas Chriſt. Theol. p. 1. tract. 1. diſp. 9. cap. 6. num. 63.*

Caſtitas *eſt virtus, refrænans impetum carnis ſub jugo rationis*: ita in re communiter: dividitur in *Conjugalem*, *Vidualem*, & *Virginalem*; undè *D. Auguſt. in lib. de Viduitate* ſic ſcripſit: *Bona eſt pudicitia conjugalis; melior vidualis; optima Virginalis*; & *Trid. ſeſſ. 24. Can. 10.* ſic: *Si quis dixerit, ſtatum conjugalem, anteponendum eſſe ſtatui Virginitatis, vel Cælibatus; & non eſſe meliùs, ac beatiùs manere in Virginitate, aut Cælibatu, quàm jungi Matrimonio, anathema ſit.*

Somniant Hæretici moderni dùm dicunt, quod votum caſtitatis, quod ab Eccleſiaſticis Perſonis emittitur, ſit novum, & tyrannicum inventum Eccleſiæ Romanæ: Somniant, dico, nàm Cælibatus ab ipſo met Jeſu Chriſto fuit inſinuatus Apoſtolis, qui fuerunt primi Eccleſiæ Sacerdotes: hoc patet, nàm, quando reſpondens Apoſtolis (qui per os Petri, Jeſu Chriſto dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, ut legitur in *Matt. cap. 19.*); in enumeratione illarum rerum, quas Apoſtoli reliquerant; nominatim ponit *Uxores*, ut legitur in *Luca cap. 14.*; ex quo evidenter colligitur, quod Apoſtoli poſt vocationem ad Apoſtolatum, cælibè vixerint, licèt antè vocationem, Uxores duxiſſent. Similis inſinuatio caſtitatis, Apoſtolis facta à Jeſu Chriſto; cæteris fuit ab *Apoſtolo* repetita, ut patet ex *Epiſt. 1. ad Cor. cap. 7.*, in quâ ſcribens de Cælibatu, & Matrimonio, ſic dicit: *Volo autem omnes homines eſſe ſicut me ipſum*, ideſt, *Cælibes*; & licèt in eâdem epiſtola fateatur, ſe de Virginibus præceptum Domini non

habere, ibi tamen expreſsè aſſerit; Virginitatem eſſe meliorem, quàm Matrimonium.

Ad exemplum Apoſtolorum juxtà inſinuationem illis, à Jeſu Chriſto factam; & cæteris ab Apoſtolo; intro ducta fuit conſuetudo inter Chriſtianos naſcentis Eccleſiæ, quod ſi Vir conjugatus Sacris Ordinibus initiari volebat, deberet quo ad *thorum* ab Uxore facere divortium, promittendo ambos conjugatos ſervare caſtitatem; in cujus confirmationem *S. Gregor. in Dial. lib. 4. cap. 11.* narrat illum Urſini eroicum actum, qui in extremo vitæ exiſtens, Uxori ſuæ, quæ ſibi appropinquaverat, ut agnoſceret, an animam eflaverat, ſic dixit: *Diſcede à me mulier; adhuc igniculus viget; palleam tolle.*

Hæc conſuetudo poſteà à principio Eccleſiæ inter Chriſtianos introducta; ſucceſſivè ſinè ullâ temporis interruptione uſque nunc duravit, ut evidenter conſtat ex Decretis plurium Conciliorum diverſis in locis, & diverſis temporibus celebratorum; & plurium ex Sanctorum Orthodoxorum primitivæ Eccleſiæ Patrum, authoritate; Et primò ex Decretis ſequentium Conciliorum uſque ad ſextum ſæculum incluſivè: Ex Ancirenſi celebrato *anno* 314.; Ex Neoceſarienſi primo celebrato *anno* 314.; Ex octavo Romano celebrato *anno* 324.; Ex Nicæno 3. celebrato *anno* 328.; Ex ſecundo Arelatenſi celebrato *anno* 355.; Ex alio Romano celebrato *anno* 386.; Ex ſecundo Cartaginenſi celebrato *anno* 390.; Ex Taurenſi celebrato *anno* 397.; Ex alio Cartaginenſi celebrato *anno* 398.; Ex primo Toletano celebrato *anno* 400.; Ex Chalcedonenſi 15. celebrato *anno* 452.; Ex ſecundo de Angres celebrato *anno* 453.; Ex Gironenſi celebrato *anno* 517.; Ex Epadonenſi celebrato *anno* 518.; Ex Toletano 2. celebrato *anno* 531.; Ex Aurelianenſi 3. celebrato *anno* 538.; Ex Toletano 3. celebrato *anno* 589.; Ex primo Saragozenſi celebrato *anno* 591.-- Conſtat evidenter ſecundò ex authoritate, omnium penè Sanctorum vetuſtæ Eccleſiæ Orthodoxorum Patrum, & præſertim S. Baſilii in *cap. 3. Iſajæ*; Euſebii in *lib. 2. Demonſtr. Evang. cap. 9.*, Siricii Papæ in *epiſt. 4 cap. 9.*, S. Epiphanii in *hæreſ. 77.* Chryſoſtomi in *Serm. 2. de Job.*, S. Ambroſii in *lib. 1. de Offic. cap. ult.*, & in *epiſt. 25.*, S. Cypriani *de Habitu Virg.* S. Hieronymi adverſus *Vigill.*, *& in fine epiſt. ad Pamach.*, & adverſus *Jovin. lib. 1.* ſic ſcripſit: *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut Vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum*

pudici . . . Omnibus placet , ut Epiſcopi , Presbyteri , Diaconi , vel qui Sacramenta contrectant , pudicitiæ cuſtodes , etiam ab Uxoribus ſe abſtineant , ut quod Apoſtoli docuerunt , & ipſa ſervavit Antiquitas , *nos quoque cuſtodiamus* ; & Sancti denique Gregorii , qui in *epiſt.* 42. *lib.* 1. præcepit omnibus Orbis terrarum Epiſcopis , ut nullum Subdiaconum facerent , niſi qui victurum caſtè promitteret . Cum ergo ex Evangelio , ex Apoſtolo , ex tot Conciliis, & plurium Orthodoxorum Patrum authoritate conſtet, Eccleſiaſticos ab Apoſtolorum tempore uſque ad ſæculum ſextum, quaſi completum , caſtitatem promiſiſſe ; ſomniant , replico , niſi veriùs dicam , inſaniunt moderni Hæretici dùm dicunt , quod votum caſtitatis , quod ab Eccleſiaſticis ſæcularibus ad Sacra promovendis ; & à Regularibus ad ſolemnem profeſſionem admittendis , emittitur , ſit novum , & tyrannicum inventum Eccleſiæ Romanæ .

Prædictis tamen non obſtantibus objiciunt Hæretici , & adducunt illud *Apoſt. in epiſt.* 1. *ad Tim. cap.* 3. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe , unius Uxoris Virum* ; ex quibus Apoſtoli verbis deducunt , quod ſicuti caſtitas ſervari non poteſt à Conjugatis, niſi fortè ad tempus de communi conſenſu, ut ait idem Apoſtolus ; conſequenter excludi debet in Epiſcopis neceſſitas vovendi caſtitatem , cum ex eôdem Apoſtolo habeatur , Epiſcopum oportere eſſe unius uxoris virum . Ad hanc objectionem Reſp. , quod citatus Apoſtoli textus , dupliciter ſumi poteſt , nimirùm , vel quatenùs ly *Oportet* afficit eſſe *Uxoris Virum* ; vel *Virum unius ſolius Uxoris numericè*: Si Hæretici accipiunt textum in primo ſenſu , ideſt , *Uxoris Virum* ; per neceſſariam conſequentiam dicere debent , quod S. Joa Evangeliſta , qui omnes Aſiæ Eccleſias fundavit , & rexit ; contrà ſuam propriam doctrinam , & publicam prædicationem ſervaverit virginalem candorem , quod idem eſt , ac dicere , quod ab oppoſito faciebat ipſius doctrinæ , ac prædicationis , quod ſolùm excogitare , nequiſſimum eſſet : Si poſteà accipiunt citatum textum in ſecundo ſenſu, ideſt , unius ſolius uxoris numericè ; adhuc diſtinguendum eſt ; nàm , vel de unâ numericè uxore tantùm intelligi debet , ita quod plures uxores ſimul , & ſemel habere nequeat ; vel de pluribus ſucceſſivè , ità quod mortuâ primâ uxore ; cum aliâ contrahere prohibeatur . Si ſermo eſt de unâ ſolâ uxore , ità quod plures uxores ſimul , & ſemel habere nequeat : ſuperfluum fuiſſet, quod Apoſtolus Epiſcopis

C

polygamiam prohibuiſſet, cum jam per legem gratiæ etiam in Laicis abolita fuiſſet: ſequitur ergo ex ſupradictis, quod citatus textus in nullo alio ſenſu intelligi poſſit, quàm in hoc, ideſt, quod Epiſcopus mortuâ primâ uxore, aliam ducere, ſit illi prohibitum, ſicuti de præſenti eſt in uſu apud Eccleſiam Græcam per tollerantiam Eccleſiæ Latinæ, quæ in propriiſſimo ſenſu accipiens citatum textum, vetat, ne mortuâ primâ uxore, quam duxerat antequam initiaretur Sacris Ordinibus, cum alterâ contrahere nequeat, ſinè legitima diſpenſatione. Ex prædictis autem ſequitur, quod cit. Apoſtoli textus, nulliter deſtruit illam Cælibatus conſuetudinem, à Jeſu Chriſto Apoſtolis inſinuatam; ab Apoſtolis prædicatam, à primævâ Eccleſiâ receptam, & uſque ad præſens tempus cuſtoditam, & conſequenter, quod Hæretici moderni non ſolùm ſomniant, & inſaniunt, ſed etiam freneticantur dùm dicunt, quod votum caſtitatis, quod ab Eccleſiaſticis emittitur; ſit novum, & tyrannicum inventum Eccleſiæ Romanæ.

Primus, qui in Eccleſiâ Dei impugnavit Caſtitatem, fuit *Nicolaus Antiochenus* Diaconus, qui etiam fuit Jeſu Chriſti Diſcipulus; & inter Hereſiarcas novi Teſtamenti, tertius in ordine: Docebat id, quod priùs dixit Plato (ut referunt *S. Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom.*, & *Lactantius lib. 3. cap. 2.*), quod, ſcilicet, in hac magnâ Mundi Republicâ, omnia erant communia, & conſequenter etiam uxores; quapropter *S. Hieronymus in epiſt. 43.* de hoc perdito homine ſic ſcripſit: *Nicolaus Antiochenus hæreſeos Nicolaitarum, author extitiſſe fertur*; & alibi ſic: *Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos.*

Secundus fuit *Ebio*, inter Hæreſiarcas, ſextus in ordine: quamcumque luxuriæ ſpeciem prædicabat eſſe licitam; quapropter de hoc ſceleſtiſſimo *S. Epiphanius hæreſ. 30.* ſic ſcripſit: *Hic* (ideſt Ebio) *quidquid horrendum eſt, & odio plenum, in Aſiâ, & Romæ prædicavit*; & ibidem de *Ebionitis* ſic: *Clemens*, Hæreticos Ebionitas *per omnia redarguit in Epiſtolis, quas ſcripſit in clyticas, quæ in Sanctis Eccleſiis leguntur; ipſe enim* Virginitatem *docet, & ipſi non admittunt.*

Tertius, & quartus in ordine, fuerunt *Helvidius, & Jovinianus*: ambo docebant, eſſe ejuſdem gloriæ Virgines, & Nuptas; & Helvidius (ut induceret Virgines Deo per votum caſtitatis conſecratas ad nubendum) his verbis illas decipiebat: Tu ergò melior

es,

es, quàm Sara? quàm Suſana? quàm Anna? Hi Hæreſiarchæ à Sancto Damaſo, qui fuit Papa in ſæculo quarto, execrati fuerunt; eorumque doctrinâ damnatâ, ut refert *S. Auguſt. in lib. retract. cap. 22.*

Prædictorum quatuor Hæreſiarcarum moderni Hæretici veſtigia ſequentes, poſt terga projicientes Apoſtolorum doctrinam, & primitivæ Eccleſiæ conſuetudinem, à tot Conciliis, & Orthodoxis Patribus confirmatam: cum ſe pudeant, non eſſe ex numero illorum, de quibus in *Apocalypſi* legitur, quod ideò ſunt digni, ut ſequantur Agnum quocumque ierit, quia Virgines ſunt; ideò calumniantur Eccleſiam Romanam; undè illis benè congruit illa ſententia *Tertull. in Apol. cap.* 17. ſumma eſt delicti nolentium agnoſcere, quæ ignorare non poſſunt.

Caſus fortuitus, *eſt inopinatus rei eventus, qui prævideri non poteſt*: ità in re communiter: Nemo tenetur de caſu fortuito, niſi in quinque caſibus: 1. ratione pacti expreſſi; 2. ratione pacti taciti; puta, quando res tradita fuit æſtimata pretio; 3. ratione moræ culpabilis; 4. quando culpâ præceſſit caſum; 5. quando negligentia præceſſit caſum, quæ negligentia, conſiderari debet juxtà qualitatem contractus; an ſcilicet, quis teneatur ſolùm de culpâ latâ, ut in *Depoſito*; vel de levi, ut in *Pignore*; vel de leviſſimâ, ut in *Commodato*; Hæc doctrina; tàm eſt pro *foro interno conſcientiæ*, ut communiter docent Theologi, quàm pro foro externo juxtà legis peritos ex *tex. in l.* 5. *§. Nunc videndum, & §. Sed interdum; & l. de rebus ff. Commodati.*

Cenſura Eccleſiaſtica *eſt quædam pœna ſpiritualis, ac medicinalis inflicta pro culpâ, privans hominem baptizatum, uſu aliquorum bonorum ſpiritualium in ordine ad ſalutem animæ per Eccleſiaſticam poteſtatem impoſita, ut à contumaciâ deſiſtat*: ita in re communiter: triplex eſt; nempè: *Excommunicatio, Suſpenſio, Interdictum*, & ſic habetur ex *cap. Quærenti de verb. ſignif.*

Dicitur *pœna ſpiritualis*, quia Cenſuræ non verſantur principaliter circà *privationem bonorum temporalium* (licèt aliquando etiam circà hæc verſentur, ſed *ſolùm concomitanter*), ſed circà *privationem bonorum ſpiritualium*, ut clarè patet de quâcumque cenſurâ: additur ly *medicinalis*, quia Cenſura propriè dicta (ordinariè loquendo), non fertur pro *peccatis jam præteritis*, ſed principaliter intendit *futuram correctionem delinquentis*; ideo-

quæ dicitur *medicinalis*, ut habetur ex *cap. 1. de ſent. excomm. in 6.*; dicitur etiam ly *pro culpâ inflictâ*, per quod Cenſuræ differunt ab *Irregularitate ex defectu*, quæ contrahitur *ſinè culpâ*; dicitur ulteriùs ly *hominem baptizatum*, quia cum Baptiſmus ſit ille, qui ſubdit hominem baptizatum poteſtati Eccleſiæ, conſequenter Cenſuræ Eccleſiaſticæ, ferri nequeunt in non baptizatum, cum non ſit ſubditus Eccleſiæ; additur etiam ly *aliquorum bonorum ſpiritualium*, & iſta ſunt ſequentia; nempè: *Adminiſtratio, & receptio Sacramentorum, ſuffragia Eccleſiæ, Sacrificium Miſſæ, & hujuſmodi*; dicitur ultimò ly *per Eccleſiaſticam poteſtatem* impoſita, quia ſoli Eccleſiæ competit talis poteſtas; & hoc *Jure Divino*, prout habetur in *Matt. cap. 16., & 18.*, licèt aliàs inſtitutio, atque ipſarum cenſurarum impoſitio, ſit de *Jure Eccleſiaſtico* tantùm.

Cauſa cujuſcumque Cenſuræ gravis Eccleſiaſticæ, eſt tantummodò peccatum mortale externum, Cenſuræ adæquatum, quod habeat rationem contumaciæ, & ſit in ſuo genere completum: dicitur ly *peccatum mortale*, quia pro *ſolis venialibus* ferri non poteſt *Cenſura gravis*; ideòque dicitur ly *Cenſuræ adæquatum*, quia pœnæ commenſurari debent cum culpâ, eas non excedendo, aliter eſſent injuſtæ; dicitur ly *externum*, quia ſicuti Eccleſia non poteſt judicare, niſi *de externis*; conſequenter punire nequit niſi ob *delictum externum*; dicitur etiam, quod tale peccatum externum debeat habere *rationem contumaciæ*, quæ in hoc conſiſtit, quod quis ſciens, quidpiam ab Eccleſiâ eſſe *præceptum*, vel *prohibitum* ſub pœnâ alicujus Cenſuræ; nihilominus illud *ommittere*, vel *facere* non vereatur; additur ultimò ly *in ſuo genere completum*, quia leges pœnales ſunt *ſtrictè* interpretandæ, ut habetur ex *cap. Odia de Jur. Reg. in 6.*, ſimulque earum verba intelligenda ſunt: *ſecuto effectu: arg. cap. Hæc autem verba de Pœnit. diſt. 1.* Hinc infertur; quod ſi Cenſura eſt lata, v. g. contrà *homicidam*; ſi quis alium vulneraret, ex quo vulnere non obiret, niſi poſt triginta dies; vulnerator non alligaretur tali Cenſurâ, niſi in illo inſtanti, quo anima vulnerati ſepararetur ab ejus corpore; & ſi in comminatione Cenſuræ de *ſolo homicidâ* fit mentio; non incurrunt *juvantes, præcipientes, conſulentes*, & *hujuſmodi*; immò ſi de *iſtis* fit mentio, ſemper intelligi debet, de *efficaciter juvantibus, præcipientibus, conſulentibus*, & *ſimilibus*; & non niſi *poſt* ſecutum effectum, cujus ratio eſt, quia *pœnæ, & odia ſunt ſemper reſtrin-*

Digitized by Google

reſtringenda, & *numquam amplianda*, ut eſt in confeſſo apud omnes Juriſtas.

Quæ excuſant à *peccato mortali*, excuſant etiam ab *incurrendâ Cenſurâ* propter ipſam latâ, vel ferendâ, ut ſunt *ignorantia invincibilis*, *parvitas materiæ*, & *indeliberatio actus*; & non ſolùm *ignorantia invincibilis* excuſat, ſed etiam *vincibilis*, dummodò non ſit *craſsa*, & *ſupina*; immò etiam iſta, quando tamen Cenſuræ ſunt latæ, vel ferendæ contrà *ſcienter facientes*, vel *facere præſumentes*, ut eſt communis DD. opinio.

Ignorantia *invincibilis* eſt illa, quæ nullâ (pro tempore præſenti, quo agens vel agit, vel agere omittit) diligentiâ ſuperari poteſt: *Vincibilis* eſt, quando quis adhibet diligentiam, ſed non tantam, ſicuti neceſſarium eſſet: *Craſſa*, & *ſupina* eſt, quando quis ex tædio, vel pigritiâ modicam, vel nullam adhibet diligentiam: *Affectata* eſt, quando quis malitiosè, non vult ſcire legem, ne ſervet eam, & hæc numquam excuſat neque à Cenſuris, neque à quâcumque aliâ pœnâ.

Hic not. eſt, quod *oblivio inculpabilis*; *inconſideratio actualis*; & *inadvertentia naturalis*, æquiparantur *ignorantiæ invincibili*; & conſequenter excuſant non ſolùm à Cenſuris, & quibuſcumque pœnis, ſed etiam à peccato mortali.

Adv. 1., quod licèt ignorantia excuſet ab incurrendis Cenſuris, ut dixi; attamen, non excuſat quando quis ex officio ſuo proprio tenetur ſcire, & poteſt ſcire legendo libros, vel conſulendo Viros doctos, & negligit ſcire; undè ſi aliquid facit, quod ſit prohibitum ſub pœnâ cujuſcumque Cenſuræ, vel pœnæ; vel omittit facere quodcumque, quod ſit præceptum ſub pœnâ cujuſcumque Cenſuræ, vel pœnæ, hic non excuſatur à quâcumque ignorantiâ, neque in foro interno, neque in externo, *cum paria ſint ſcire*, & *debere ſcire*, ut habetur ex *Tex.*, & *Gloſſ. in l. Quod te in fin. ff. de rebus creditis*.

Adv. 2., quod licèt *Cenſura gravis* ferri nequeat, quando materia propter quam eſt lata, *levis eſt*; poteſt tamen ferri, quando tota materia ſimul ſumpta *continet gravitatem*, licèt eam dividendo in ſingulos delinquentes *levis ſit*, ut clarè patet de ſurripientibus bona naufragantium Chriſtianorum, qui niſi reſtituant, licèt *materia ſit levis* reſpectu ſingulorum, attamen adhuc incurrunt in excommunicationem in Bullâ Cænæ reſervatam, eo quod *talis materia ſimul ſumpta*, *eſt gravis*.

Adv.

C

Adv. 3., quod ex *triplici capite* Cenſuræ Eccleſiaſticæ redduntur *invalidæ*: 1. *ex defectu juriſdictionis* in ferente: 2. ex defectu *ordinis judicialis, ſubſtantialitèr* non ſervati: 3. ex *defectu juſtitiæ*: ita communiter DD.

Adv. 4., quod licèt Cenſura ex *defectu juſtitiæ*, ſit *invalida*, & cenſuratus in *foro conſcientiæ* non remaneat privus communibus Eccleſiæ ſuffragiis, aliiſque ſpiritualibus commodis, ac facultatibus; in *foro tamen externo*, ſervare debet Cenſuras, donec, vel à Cenſuris ſit abſolutus; vel ipſius innocentia publicè innoteſcat: ita communiter cum *Couvar. in cap. Alma Mater p. 1. §. 7. n. 6.*, & ita habetur ex *cap. Si quis à proprio 11. qu. 3.*, & S. Greg. Papa in Homil. 26. in Evang. circà excommunicationem ſic dicit: *Paſtoris Sententia* juſta, *vel* injuſta; *ſemper Gregi timenda eſt: & is qui ſub manu Paſtoris eſt, timeat ligari, vel* injuſtè, *nec Paſtoris ſui judicium temerè reprehendat, ne, ſi*, injuſtè *ligatus eſt, ex ipſa reprehenſionis ſuperbiâ, culpa*, quæ non erat, *fiat*.

Alex. 7. propo. dam. 44. in ordine: Quo ad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumaciâ ceſſante, ceſſant Cenſuræ.

Cenſus *eſt Jus exigendi penſionem de re utili alterius*: ita in re communiter: Cenſuum ſpecies ſunt ſex; nempè: 1. reſervativus, & conſignativus; 2. fructuarius, & pecuniarius; 3. redimibilis, & irredimibilis (hic, ideſt, *irredimibilis*, licèt aliàs eſſet permiſſus, ſervatis tamen conditionibus poſitis in *Extravagantibus Martini V.*, *& Caliſti* 3., nunc tamen eſt illicitus, ut proximus uſuræ, ut patet ex *Bullâ S. Pii V.*, quæ incipit: *Cum onus Apoſtolicæ &c.* (quod tamen intelligendum eſt, ubi eadem Bulla fuit recepta, nam Teſte *Leſſio lib. 2. cap. 22. dub. 13.* in Galliâ, in Belgio, & in Germaniâ non fuit recepta) 4. certus, & incertus; 5. temporalis, & perpetuus; 6. realis, perſonalis, & mixtus.

Cenſus *Reſervativus* dicitur, quando quis rem ſuam cum pleno jure dominii, transfert in alium, reſervata ſibi penſione in illa re translata: *Conſignativus* dicitur, quando quis ſuper bonis ſuis, quorum habet plenum Jus dominii, alteri conſignat Jus annuæ penſionis: *Fructuarius* dicitur, cum aliqua pars fructus rei, ſuper quâ eſt fundatus cenſus, datur ei, qui emit rem cenſualem: *Pecuniarius* dicitur, quando pro re eſt taxatum aliquod pecuniæ pretium: *Redimibilis* eſt ille, qui reſtituto pretio per venditorem redimitur, vel redimi poteſt: *Irredimibilis* eſt ille, qui nec redimitur, nec redimi poteſt: *Certus* eſt ille, qui extenditur ad certum tempus, v. g.

ad

ad quadraginta, vel quinquaginta annos: *Incertus* eſt ille, qui extenditur ad tempus incertum; puta, ad vitam unius hominis, vel duorum, & iſte cenſus proprio nomine dicitur *Vitalitius*; *Temporalis* ſubdividitur in *certum*, & in *incertum* ut ſuprà; *Realis* eſt ille, qui fundatur ſuper aliqua re, quæ tamen debet eſſe fructifera; puta, Ager, Vinea, Olivetum, Domus, & hujuſmodi, & comitatur rem ad quemcumque poſſeſſorem perveniat, donec Cenſus redimatur: *Perſonalis* eſt ille, qui fundatur ſuper certâ Perſonâ, ſe obligante ad annuam penſionem ſine ordine ad aliam rem, qua penſio ſit ſolvenda: *Mixtus* eſt ille, qui fundatur ſuper Perſonâ, & ſecuritatis causâ; aliquis fundus hypotecarius ſupponitur, ut ex eo ſolvatur penſio, ſi iſta à Perſonâ debitrice obtineri non poteſt.

Cenſuum emptiones, ut ſint licitæ, ſeptem conditiones habere debent: 1. quod verè apud Venditorem ſit res, ſuper quâ fundatur cenſus, aliter eſſet uſura palliata, ut patet ex *cit. Bulla S. Pii V.*, & ſecundum quam, talis res debet eſſe fructifera; 2. quod talis res fructifera, verè reddat illos fructus, in quos emitur, aliter eſſet contractus injuſtus; 3. quod talis res ſit certis finibus, ſeù terminis deſignata; 4. quod emptor cenſus, ideſt *Cenſualiſta*, obligare nequeat venditorem, ideſt, *Cenſuarium*, ut redimat, vel reemat rem cenſualem, quia in tali caſu videretur mutuum virtuale cum lucro, & conſequenter uſura palliata; 5. quod Cenſuarius alienare nequeat rem cenſualem inſcio Cenſualiſta; 6. quod ſi res cenſualis perit in toto, vel in parte, & in perpetuum ſine culpâ Cenſuarii, cenſus ceſſet ad ratam; ſecùs tamen dic. eſt, ſi ad modicum tempus cum refuſione fructuum alio tempore percipiendorum. 9. quod pretium ſit juſtum.

Ad juſtitiam autem pretii plura ſunt conſideranda; nempè: quantitas fructus venditi, perpetuitas, certitudo, regionis conſuetudo, & his deficientibus, arbitrium proborum, & prudentum Virorum, quale in Imperio communitèr cenſetur eſſe quinque pro centum annuatim.

Certitudo duplex eſt; nempè: phyſica, & moralis: *Phyſica* eſt illa, quæ habetur ex ſenſibus *immediatè*, ut ex *viſu*; ex *auditu immediato*, & *hujuſmodi*: *Moralis* triplex eſt; nempè: infima, media, & ſumma: *Infima* eſt illa, quæ licèt excludat anxietatem, & dubietatem oppoſiti, non tamen actualem formidinem; adeò ut, licèt animus uni parti aſſentiatur, non tamen ſinè aliquâ actuali

for-

C

formidine oppoſiti, & hæc verſatur inter opiniones merè probabiles: *Media* eſt illa, quæ excludit actualem formidinem oppoſiti, ſed non moralem potentiam formidandi, adeò ut animus, ita uni parti hæreat, ut non ſoleat de oppoſito formidare, licèt ſi quis omnia attentiùs perpendat, habere poſſit motiva prudenter formidandi; ſimilis *media* certitudo moralis habetur, quando v. g. formidatur, quod aliquis Puer ſit validè baptizatus; quod Hoſtia, quæ in Miſsâ elevatur à Sacerdote. ſit verè conſecrata; nam licèt motiva formidandi. ſint leviſſima, aſſentiendi tamen, non ſunt adeò vehementia, quod excludere poſſint moralem potentiam formidandi: *Summa* eſt illa, quæ moralem potentiam formidandi excludit totaliter, adeò ut motiva aſſentiendi, ſint adeò vehementia, & oppoſita, ſint adeò levia, ut prudenter nulla inveniri poſſit potentia formidandi; & hoc modo ſolet eſſe certa illa cognitio, quâ quis credit ea, quæ publicâ, & conſtanti famâ; aut gravi plurimorum Virorum proborum teſtimonio narrantur, nullo præſertim contradicente, ut quod Roma ſit Civitas in Italia; Vienna Sedes Imperialis, ſit Civitas in Auſtriâ; & Lutetia Pariſiorum, ſit Civitas in Galliâ: eſſet enim temerarius, qui hæc negare vellet, & ab omnibus etiam irrideretur.

Ceſſatio à Divinis, eſt Eccleſiaſtica prohibitio, ob quam Clerici deſiſtere debent in certo loco à Divinorum Officiorum celebratione, Sacramentorum adminiſtratione (dempta tamen neceſſitate), & laicorum ſepulturâ.

Character *eſt quædam poteſtas ſpiritualis, indelebiliter impreſſa in potentiâ animæ*, ideſt, *in intellectu*: Tria ſunt Sacramenta, quæ talem characterem indelebilem imprimunt in intellectu; nempè: *Baptiſmus*, *Confirmatio*, *&* *Ordo*, quæ proindè iterari nequeunt, ut habetur ex *Trid. ſeſſ. 7. can. 9.* Characteres ſicuti dantur ad ſignificandam diverſam poteſtatem, & ad exercenda diverſa munera, inter ſe ſpecie diverſa; ſic etiam inter ſe, ſunt ſpecie diverſa.

Charitas, ut virtus Theologica, *eſt ſupernaturalis amicitia hominis ad Deum*. Datur præceptum Divinum de diligendo Deo ſuper omnia, ut deſumitur ex *prima propo. dam. ab Alex. 7.* Quatuor per ſe opponuntur huic præcepto; 1. odium Dei, quod (ſi dari poſſet) eſſet maximum omnium peccatorum; 2. amor Dei non principaliter propter Deum, ſed principaliter propter aliquod creatum; 3. defectus appretiationis, vel intenſionis; 4. ratione

tem-

temporis; nempè; 1. circà initium uſus rationis in actu exercito, qui ſufficiat ad peccatum mortale; 2. circà finem vitæ; 3. pluſquam ſemel intrà quinquennium; 4. urgente gravi tentatione, quæ ſine actu charitatis erga Deum, ſuperari nequeat: tranſgreſſio cadit ſub mortali, excepto *defectu intenſionis*.

Ex charitate tria generatim ſunt à nobis diligenda; nempè: Deus propter ſe; nos metipſi propter Deum; & proximus in ordine ad Deum; qui proximus diligendus eſt non ſolùm *actu interno, & formali*, ſed etiam *actibus externis*, ut patet ex *duabus propo. dam. ab Innoc. XI.* infra ponendis.

Charitas *ex præcepto* obligat, ut quilibet homo privatus, *communia charitatis ſigna*, & *beneficia proximo ſuo* exhibeat; *ſpecialia* verò, *ſolùm ex conſilio*, niſi aliundè oriatur *obligatio* ex præcepto; puta, *ad evitandum ſcandalum*, v.g., ſi pluribus ſimul occurrentibus, omnes ſalutarentur *excepto inimico*; quapropter non poteſt quis ſinè peccato mortali, quemcumque etiam inimicum, excludere à communibus orationibus, vel à Sacrificio; aut eidem eléemoſinam denegare, ſi erogare poteſt, quando erogat omnibus accedentibus; & ratio eſt, quia licèt liberè det, attamen inimicum excludere, eſt ſignum odii inimicitiæ: ſecùs dic. eſt de ſalutatione, & allocutione; & ratio eſt, quia ſalutatio, & allocutio ſunt actus liberi inter æquales; undè eorum omiſſio, non eſt ſignum odii inimicitiæ; & inter inæquales, eſt ſignum inurbanitatis in inferiore, & inter ſubditum, & Superiorem, eſt ſignum contemptus; attamen ſi ex allocutione, vel ſalutatione prævidetur, quod inimicus odium deponet; earum omiſſio cadit ſub mortali, ſi tamen ſine magnâ animi difficultate fieri poteſt, quia charitas non obligat cum tanto incommodo: Si poſteà collocutio, vel ſalutatio eſt debita ſub præcepto; debet priùs lædens, quàm læſus; inferior quàm Superior, & brevitatis gratiâ concludo, quod quis tunc ſolùm tenetur ſub mortali ad *præfata ſigna ſpecialia dilectionis cum actibus externis*, quando circumſtantiæ ſunt tales, quod eorum omiſſio *ſit ſignum odii inimicitiæ*: addo etiam, quod ſigna exteriora dilectionis inimici (qui aliàs ex præcepto Divino eſt diligendus juxtà illud Salvatoris in *Matt. cap. 5. Ego autem dico vobis; diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos*) ad tempus denegari poſſunt inimico: 1. in juſtam punitionem, quam concomitatur zelus juſtitiæ; 2. quando ex non negatione probabiliter timeatur, quod inimicus in ſuâ malitiâ futurus ſit magis

 obſti-

obſtinatus ; vel quod aliquod inconveniens, aut malum ſit ſubſecuturum.

Ex charitate aliæ quinque virtutes oriuntur; nempè: dilectio; beneficentia; gaudium; pax; miſericordia.

Alex. 7. prima propo. dam. Homo nullo umquam tempore vitæ ſuæ tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum, *ad eas virtutes pertinentium.*

Innoc. XI. propo. dam. 5. in ordine: An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vitâ eliceret, condemnare non audemus, & propo. 6.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis, per ſe obligare præceptum charitatis ergà Deum; & propo. 7.

7. Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſumus, & propo. 10.

10. *Non tenemur diligere proximum actu interno, & formali; & propo. 11.*

11. *Præcepto diligendi proximum ſatisfacere poſſumus per ſolos actus internos.*

Chorea licèt dicatur licita; vitiatur tamen quinque modis: 1. ratione loci; 2. temporis; 3. Perſonarum; 4. modi; 5. pravæ intentionis.

Circumſtantia *eſt accidens actus humani, ipſum extrinſecè attingens*: ita in re communiter: Circumſtantiæ peccatorum tàm in *generali*, quàm in *particulari*, ſunt ſeptem; & in *generali* ſunt ſequentes.

1. Pertinentes, quæ ſcilicet pertinent ad rem, in genere moris ſpectatam: iſtæ ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione; puta; *furtum rei Sacræ, in loco Sacro factum, & cum notabili violentia*; nàm ultrà peccatum *rapinæ propter notabilem violentiam*; continet etiam *duo ſacrilegia* contrà *Religionem* ratione *rei Sacræ*, & *loci Sacri* violatorum.

2. Impertinentes, quæ ſcilicet non pertinent ad rem, in genere moris ſpectatam: iſtæ non ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione; puta, quod *homicidium fuerit factum cum cultro, vel ſclopo.*

3. Aggravantes *in infinitum*, quæ, ſcilicet, faciunt tranſire *materiam peccati venialis*, in *materiam peccati mortalis*: iſtæ ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione, & ſunt ſex: 1. quando ponitur *ultimus finis in peccato veniali*; 2. quando *veniale or*-

 dinatur

dinatur ad *mortale*; 3. quando cognoſcitur, quod ex *veniali* ſequetur *mortale*, licèt non ſit ad illud ordinatum; 4. ratione *contemptus*; 5. ratione *ſcandali*; 6. ratione *conſcientiæ erroneæ*.

4. Alleviantes *in infinitum*, quæ ſcilicet faciunt tranſire *materiam peccati mortalis* in *materiam peccati venialis*: iſtæ ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione, & ſunt tres: 1. *Ignorantia invincibilis*; 2. *parvitas materiæ*; 3. *indeliberatio actus*.

5. Aggravantes *intrà eandem ſpeciem*: Licèt iſtæ juxtà D.Th. *in 4. diſt. 16. quæſt. 3.*, & Dianam *p. 2. tract. 7.*, *& p. 3. tr. 4. reſp. 95.*, & ferè alios ſexaginta Authores, non ſint neceſſariò (per ſe loquendo) exprimendæ in confeſſione; attamen ſecundùm *Scotum in 4. diſt. 17. qu. unica, de 2. art., littera N.* dicendum eſt, quod ſint circumſtantiæ, neceſſariò exprimendæ in confeſſione, quando tamen licèt *intrà eandem ſpeciem*, ſunt tamen *notabiliter aggravantes*: Circumſtantia poſteà *notabiliter aggravans* eſt illa, quæ intrà eandem ſpeciem taliter aggravat, ut judicio proborum, ac prudentum Virorum *majorem malitiam includat*, quàm ſi adderetur *circumſtantia mutans ſpeciem*; puta, occiſio inimici patrata cum exceſſivâ ſævitie; eruendo priùs oculos; obtruncando naſum, aures, digitorum manuum, & pedum ſumitatem &c., & hæc circumſtantia, licèt ſolum *aggravans intrà eandem ſpeciem*; quia tamen eſt *notabiliter aggravans*; ideò verè, & neceſſariò exprimenda eſt in confeſſione Confeſſario, tàm ut *Medico*, quia validiori indiget medicinâ, quâ viretur, quàm ut *Judici*, quia indiget majori pœnitentiâ, qua purgetur.

6. Alleviantes *intrà eandem ſpeciem*: iſtæ non ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione, ut v. g., quod fornicatio fuerit facta ex *incentivo libidinis*, vel ex *cauſa indigentiæ*.

7. Mutantes *ſpeciem in genere moris*: iſtæ ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione; puta, *copula conjugati cum ſuâ conſanguineâ virgine, & habente votum caſtitatis, facta in loco ſacro, & per vim*, in quo unico actu peccaminoſo præter *fornicationem*, quæ opponitur *virtuti caſtitatis*, duo inveniuntur ſacrilegia, & alia tria peccata mortalia ſpecie, & numero diſtincta: *duo ſacrilegia*, quia talis copula fuit cum perſona Deo dicata per votum caſtitatis; & in loco itidem, Deo dicato, quod utrumque eſt *contrà Religionem* propter irriverentiam Deo factam *violando perſonam, & locum Deo dicatos*: Unum adulterium, quia con-

conjugatus, quod eſt *contrà juſtitiam* propter *violationem fidei datæ propriæ Uxori*, quando cum ipſa contraxit Matrimonium per verba de præſenti: aliud peccatum mortale, ideſt, *inceſtum*, quia *conſanguinea*, quod eſt *contrà reverentiam*, quæ debetur *ſanguini*, & *naturæ*, quæ dictat reverentiam præſtandam propinquis, inter quos, ideò matrimonia ſunt prohibita: aliud peccatum mortale, ideſt, *ſtuprum* propter vim factam clauſtro virginali, quod eſt *contrà juſtitiam*: iſtæ circumſtantiæ ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione, quia ſicuti faciunt mutare ſpecies peccatorum in genere moris, ſic conſequenter faciunt augere numerum peccatorum.

Circumſtantiæ in particulari ſunt ſeptem ſequentes; nempè: *Quis*; *Quid*; *Ubi*; *Quibus auxiliis*; *Cur*; *Quomodo*; *Quando*.

Caramuel cum Areſio, & aliis, addit aliam *circumſtantam in particulari*; nempè: *Quoties*; ſed hæc circumſtantia pertinet potiùs ad *forum externum*, quàm ad *internum*, ut deducitur ex contraria ratione, ideſt, quod *ſolitus delinquere ſit magis puniendus*, ut habetur ex *Jur. Civ. in l. 28. §. 3. ff. de pœnis*, & ex P. Ameno *de delict.*, & *pæn. tit. 1. proem. §. 2. num. 21.*, niſi tamen eſſet *eſſentialis*, etiam pro *foro interno*, reſpectu propoſ. dam. ab Innoc. XI. 60. in ordine, quæ eſt ut ſequitur: *Pænitenti habenti conſuetudinem peccandi contrà legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etiam ſi emendationes nulla ſpes appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.*

Prima ergo *circumſtantia* in particulari, neceſſariò exprimenda in confeſſione eſt: *Quis*, ideſt, qualis ſit perſona, quæ peccavit, vel cum quâ peccavit: Sit exemplum: Titius *liber* habuit copulam cum Bertâ *ſolutâ in lupanari expoſitâ*: In hoc caſu; nihil aliud exprimi debet, niſi *ſola fornicatio*; ſed ſi Berta non erat parata, *ſed fuit inducta ad peccandum*, exprimi debet *inductio* propter ſcandalum activum, quod eſt *contrà charitatem*, quod eſt aliud peccatum mortale ultrà fornicationem; & ſi Titius eſt *conjugatus*, aut Berta *conjugata*, exprimi debet hæc circumſtantia, quia *fornicationi* ſuperadditur *adulterium*, quod eſt aliud peccatum mortale *contrà Juſtitiam*; & ſi ambo ſunt *conjugati*, exprimi debet talis circumſtantia, quia importat ultrà fornicationem *duplex adulterium*; & ſi Titius, vel Berta habet *votum caſtitatis*, exprimi debet hæc circumſtantia, quia fornicationi ſuperadditur

ſacrile-

ſacrilegium propter *violationem Perſonæ Sacræ*, Deo dicatæ per votum caſtitatis; & ſi ambo habent votum caſtitatis; exprimi debet hæc circumſtantia, quia importat duplex ſacrilegium; & ſi copula fuit facta in loco Sacro; exprimi debet talis circumſtantia, quia importat aliud ſacrilegium; & ſi ſunt conſanguinei, vel affines, exprimi debet talis circumſtantia, quia importat aliud peccatum mortale, ideſt Inceſtum &c.

Secunda circumſtantia eſt; *Quid*, ideſt, quale peccatum commiſerit; an blaſphemaverit; an detraxerit famam ſui proximi; an omiſerit audire ſacrum in die Feſto præcepti; an furtum, vel rapinam commiſerit; an fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit; an non ſervaverit jejunium Eccleſiaſticum, & hujuſmodi.

Tertia circumſtantia eſt: *Ubi*, ideſt, *in quo loco* commiſſum fuit peccatum; nàm ſi percuſſio, aut fornicatio, aut furtum facta fuerunt *in loco Sacro*; hæc circumſtantia neceſſariò exprimi debet in confeſſione, quia peccato percuſſionis, vel fornicationis, aut furti, ſuperadditur *ſacrilegium* propter violationem loci Sacri.

Quarta circumſtantia eſt: *Quibus auxiliis*, ſivè, *per quæ*: ad hanc circumſtantiam pertinent *illa per quæ*, vel *quorum auxilio* commiſſum fuit peccatum; ut ſi quis ad peccandum uſus fuit Sacramentis, Sacramentalibus, rebus Sacris, vel benedictis; vel ſi opere, auxilio, aut conſilio Dæmonis ſivè expreſſo, ſivè tacito, ſivè immediatè, ſivè mediatè tantùm; vel uſus fuerit aliis perſonis, & hoc propter inductionem, quia cum ſcandalo activo contrà charitatem; aut uſus fuerit inſtrumentis ſpecialiter prohibitis, quia contrà obedientiam; aut ſingulariter crudelibus propter ſævitiem, & hujuſmodi.

Quinta circumſtantia eſt, *Cur*, ideſt, *qua de causâ*: Hæc circumſtantia, tunc ſolùm eſt neceſſariò exprimenda in confeſſione, quando de ſe habet aliquam ſpecialem malitiam, ut *finis malus* propter aliquid, quod *in ſe bonum eſt*; puta, ire ad Eccleſiam ad audiendam concionem, quod *in ſe bonum eſt*; ſed quia *finis eſt malus*, ideſt, pro captandâ delectatione in inſpiciendâ Amaſiâ, ideò, quia *talis finis eſt malus*, neceſſariò exprimendus eſt in confeſſione.

Sexta circumſtantia eſt: *Quomodo*, quæ ſolummodò exprimenda eſt in confeſſione, quando facit tranſire actum peccaminoſum unius ſpeciei, ad alteram ſpeciem peccati, ut *notabilis violentia in furando*, quæ facit tranſire *furtum* in aliam ſpeciem peccati,

quæ

Digitized by Google

quæ dicitur *rapina*, & hujuſmodi.

Septima circumſtantia eſt: *Quando*, ideſt, *quo tempore* commiſſum fuit peccatum: Hæc circumſtantia, non eſt neceſſariò exprimenda in confeſſione, niſi ſit conjuncta cum aliâ circumſtantiâ *aggravante in infinitum*; puta, publica baccanalia, atque choreæ in feriâ ſextâ Paraſceve in contemptum Paſſionis D. N. J. C.; nam ratione contemptus, & ſcandali eſſent duo peccata mortalia.

Clavis Eccleſiæ duplex eſt; nempè: *Ordinis* ad diſcernendum; & *Juriſdictionis* ad ligandum, & ſolvendum.

Clauſura Monialium eſt ſtrictiſſima obligatio Monialis manendi intrà ſepta Monaſterii toto tempore vitæ ſuæ ſinè admiſſione extraneæ perſonæ ſinè juſtâ causâ, ac debitâ licentiâ, ſub penâ excommunicationis Papæ reſervatæ, ipſo facto incurrendâ.

Clauſura violatur per *ingreſſum* tàm virorum, quàm mulierum in *Monaſteria Monialium*; & tàm per *ingreſſum* mulierum in *Monaſteria virorum*, quàm per *egreſſum Monialium* ex ſuis Monaſteriis.

Tres ſunt cenſuræ *quo ad ingreſſum*: prima eſt *Trid. ſeſſ. 25. de Regul., & Monial.* contrà viros, & mulieres cujuſcumque conditionis, ingredientes *Monaſteria Monialium*, non tamen ad *malum finem*; & ab iſtâ abſolvere poteſt quicumque Confeſſarius, eum non ſit reſervata; ſecunda, quæ eſt *Greg. XIII.* incurritur (etiam ſi ingreſſus non ſit ad malum finem) ab *omnibus mulieribus* uſum rationis habentibus, ingredientibus *Monaſteria virorum*; & ab omnibus viris, & mulieribus, ingredientibus *Monaſteria Monialium*; & à *Superioribus utriuſque ſexus*, & ab iis omnibus, quibus eſt commiſſa cuſtodia Clauſuræ, ut ſunt *Portinarii, Oſtiarii, & Rotariæ* admittentes, vel permittentes ingreſſum *etiam ſub prætextu licentiarum Sedis Apoſtolicæ, Legatorum, aut aliorum Prælatorum*; & denique à *ſingulis Religioſis tàm Superioribus, quàm Subditis*, qui illos admittere præſumunt ſub prætextu licentiarum ipſorum Ordinariorum: Hæc cenſura ex *vi Bullæ Greg.* non incurritur ab ingredientibus, admittentibus, aut permittentibus, niſi ingreſſus tàm virorum, quàm mulierum in *Monaſteria Monialium*; & mulierum in *Monaſteria virorum* ſit facta *ſub prætextu licentiarum*, & eſt reſervata Papæ; & *S. Pius V. per Bullam*, quæ incipit: *Regularium Perſonarum &c.* ſubdit excommunicationi, Papæ reſervatæ, *mulieres* ingredi auden-

Digitized by Google

audentes *Monaſteria Virorum* ſub prætextu licentiarum; & per aliam poſteriorem Bullam, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem &c.* declaravit prædictam excommunicationem Papæ reſervatam, incurrere *mulieres* ingredientes *Monaſteria virorum*, etiam ſi ingreſſus ſit factus *ſinè prætextu licentiarum*: ab iſta autem excommunicatione, *ſi eſt occulta*, abſolvere poteſt Epiſcopus, ut patet ex *Trid. ſeſſ.24. de Ref. c. 6.*, & idem dic. eſt de Confeſſariis Regularium virtute privilegiorum, ut patet ex *Bulla Sixti IV.*, & Donatus *tom. 1. pag. 2. tr. 4. quæſt. 33.*, *& ſeqq.* Peyr. in *Conſtit. 6. Pii V.*, & alii affirmant, *licèt ſit publica*, aut deducta ad *forum contentioſum* in *foro* tamen *interno* ſolùm: Tertia eſt lata à *Clem. VIII.* per Decretum emanatum *anno 1602.* contrà violantes Clauſuram Monialium *ad malum finem*, quæ eſt una ex ſex reſervatis Papæ, à quâ Regularium Confeſſarii abſolvere nequeunt in Italiâ extrà Urbem Romæ, benè tamen extrà Italiam; & etiam in Italiâ, ſed Romæ tantummodò.

Moniales juſtâ urgente causâ egredi poſſunt ex Monaſterio; quam cauſam *S. Pius V.* reſtringit ad ſequentes tres caſus; nempè: *Incendii*; *Lepræ*; & *Epidemiæ*, ſub cujus nomine venit *quicumque morbus popularis contagioſus*; & in hoc caſu, ſicuti etiam lepræ intervenire debet conſenſus Epiſcopi in ſcriptis, niſi ex causâ moræ (ut in caſu incendii) eſſet periculum mortis; & ex vi *Bullæ ejuſdem S. Pii V.*, quæ incipit: *Decori*, *& honeſtati &c.* non ſolùm *Moniales egredientes*, ſed etiam licentiam exeundi (extrà prædictos tres caſus) quomodocumque *concedentes*; nec non *concomitantes*, ac illarum *receptatrices Perſonæ*, ſivè *Sæculares*, ſivè *Eccleſiaſticæ*, ſivè *Conſanguineæ*, aut *Affines*, ſivè neque *Conſanguineæ*, neque affines, excommunicationis majoris latæ ſententiæ vinculo, ſtatim eo ipſo abſque aliâ declaratione ſubjacient, à qua præter quam, à Romano Pontifice (niſi in mortis articulo) abſolvi nequeunt: & inſuper tàm *Moniales egreſſas*, quàm *Præſidentes*, *& alios Superiores prædictos*, eis licentiam hujuſmodi concedentes; dignitatibus, officiis, adminiſtrationibus *per eas*, *& illos*, tunc obtentis *privat*; & *illas*, *& eos* ad obtenta, & alia impoſterum obtinenda *inhabiles declarat*.

Nomine poſteà Perſonarum, quæ ſint *concomitantes receptatricis &c.* intelliguntur illæ ſolummodo; quæ ſuo *comitatu*, aut *receptione*, cooperantur egreſſui Monialium e Monaſterio; aut ſunt cauſa, ne redeant ad Monaſterium; non autem illæ, quæ præcisè *urba-*

Digitized by Google

urbanitatis, *amicitiæ*, *conſanguinitatis*, aut *affinitatis causâ* Monialem illicitè egreſſam *recipiunt*, aut *concomitantur*.

An quando excommunicatio eſt *publica* poſſit Epiſcopus jure ordinario ab illa abſolvere? Reſp., quod licèt aliqui teneant *affirmativam* opinionem, ſequenda tamen eſt *negativa*, quæ eſt *Donati tom. 3. tr. 4. q. 8.*, cujus ratio eſt, quia ex oppoſito ſequeretur, quod *Bulla S. Pii V.* eſſet deridenda, ex eo, quod voluiſſet, quod Moniales legitimè, & perpetuò impeditæ (ut optimè noverat idem S. Pontifex) irent Romam *perſonaliter*; & tamen hoc non obſtante talem excommunicationem taliter Papæ reſervavit, quod *extrà articulum mortis*, nullus alius abſolvere poſſit: debet ergo in tali caſu Monialis ire Romam per Nuncium, vel per litteras, niſi *Confeſſarius* pro tali Monaſterio approbatus ſit *Regularis*; nàm ſi eſt Regularis, eam abſolvere poteſt *in foro conſcientiæ*, eo quod talis caſus non eſt reſervatus in Bullâ Cœnæ, neque eſt unus ex ſex exceptis, à quibus Regulares abſolvere nequeunt, ut dixi ſuprà: idem omninò dic. eſt de quocumque ingreſſu, tàm *virorum* in Monaſteria *Monialium*, quàm *mulierum* in Monaſteria *virorum*, quando excommunicatio eſt *publica*, & Papæ reſervata.

Quæritur primò, an in violatione Clauſuræ Monialium (ſecluſo quocumque malo fine) detur parvitas materiæ? Reſp., quod licèt hoc ſit controverſum; attamen ſicuti negativa opinio eſt communior, & tutior; ita eſt ſequenda.

Quæritur ſecundò, an ſi aliqua Monialis egrederetur ex ſuo Monaſterio, & ingrederetur in aliud Monaſterium Monialium, non tamen ad malum finem; unam tantùm, vel duas contraheret excommunicationes? Reſp., quod licèt illa duo Monaſteria eſſent taliter contigua, quod tranſitus eſſet immediatus ſinè ullâ mediâ viâ; adhùc tamen duas contraheret excommunicationes; & ratio eſt, quia verè de facto duæ violarentur clauſuræ, una per egreſſum e proprio Monaſterio, & altera per ingreſſum in alienum Monaſterium: excommunicatio poſteà propter egreſſum ex proprio Monaſterio juxtà communiorem DD. opinionem, eſſet Papæ reſervata.

Omnes Moniales quo ad *Clauſuram* ſubjiciuntur indifferenter Epiſcopis, ut patet ex *Trid. ſeſſ. 25. de Regul.*, *& Monial.*, & ex *Conſtit. Bonifacii VIII.*, quæ incipit: *Periculoſo &c.*, licèt aliàs ſi Moniales pleno Jure *Regularibus* ſunt ſubjectæ; juriſdictio delegata, quam habet Epiſcopus circà eaſdem Moniales, competat Epiſco-

C

Epiſcopo *cumulativè* cum Superiore Regulari, non autem *privativè*; ità quod Superior Regularis circà *Clauſuram Monialium*, *ſibi ſubjectarum*, poſſit opportuna ſtatuere, ut conſtat ex *Decreto Sac. Cong. Conc.*, emanato *anno* 1603., ut videri poteſt in *lib. xi. Decret. pag.* 31., quod tamen Decretum, intelligi debet in puris terminis à Sanctâ Sede eidem præfixis, & non aliter, ut videri poteſt in *Conſtit. Alex. VII. to. 5. Bullarii*.

Nomine poſteà Clauſuræ venit totum illud ſpatium muris cinctum, & terminatum, quod continetur intrà januam Monaſterii clauſam, & ità habetur ex *tex. in cap. Exivi de verborum ſignificat. in 6.*

Cum Epiſcopis à *Trid.* ſit commiſſum, ut in omnibus, & ſingulis Monialium Monaſteriis, licèt *exemptis*, ideſt, illis, quæ pleno jure Regularibus ſubſunt, inviolatè Clauſuram cuſtodiri procurent; ideò *Sac. Congr. Conc. ſub die* 24. *Septemb.* 1622. declaravit, licere Epiſcopo, Monaſteria Monialium, Regularibus ſubjectarum viſitare; immò etiam *ſingulas Moniales* abſque *interventu Regularium* alloqui circà *Clauſuram* concernentia tàm per ſe ipſum, quàm per ſuum Vicarium Generalem, dummodo tamen iſte ad id *ſpeciale mandatum* habeat, ut liquet ex reſponſione ejuſdem *Sac. Cong.*, quæ eſt ut ſequitur: *Sac. Cong. Cardinalium Conc. Trid. interpretum reſpondet, non ſolùm Epiſcopo, ſed etiam* ejus Vicario Generali, ad hoc *ſpeciale* mandatum habenti, *licere pro Clauſuræ viſitatione ingredi ſepta Monaſteriorum Monialium Regularibus ſubjectarum, tametſi nulla rationabilis violatæ Clauſuræ ſuſpitio irrepſerit*.

Licèt tamen prædicta reſponſio, ſeù reſolutio tàm claré per ſe pateat; novem tamen dubia circà eam, fuerunt propoſita eidem *Sac. Cong.*, & ſunt ſequentia cum reſponſionum additione.

1. An Epiſcopus viſitaturus Clauſuram Monialium Regularibus ſubjectarum, teneatur antè acceſſum ejuſdem, Monialibus præfinire diem, & horam viſitationis? *Reſp. negativè*.

2. An in Eccleſiis earundem Monialium *non Curatis*, viſitare poſſit Sanctiſſimum Sacramentum, Oleum infirmorum, Confeſſionalia, Sepultura, ac Reliquias ibi exiſtentes? *Reſp. negativè*; iis exceptis, quæ concernunt obſervantiam Clauſuræ, & quatenùs non adſit conſuetudo in contrarium.

3. An in caſu reſiſtentiæ Monialium, poſſit Fores Eccleſiæ frangere, Tabernaculum violenter aperire, Eccleſiam interdicere,

& Euchariſtiæ Sacramentum ad aliam Eccleſiam transferre? Reſp. *negativè*, niſi in caſibus ſpectantibus ad Clauſuram.

4. An Epiſcopo Monaſteriorum Clauſuram viſitare volenti; dictæ Moniales teneantur erigere in Eccleſiâ interiori, vel exteriori Sedem cum Baldachino, vel ſolummodo ſufficiat illi ſtratum præparare in utrâque Eccleſiâ? Reſp. *ſufficere præparationem Strati*.

5. An Epiſcopus dictam Clauſuram viſitaturus; præterquam Conviſitatores, poſſit pro ſuo libito ſecum ducere intùs Monaſterium alias Perſonas ſivè Eccleſiaſticas, ſivè ſæculares indeterminatè, vel incertè, & præfixo numero? Reſp. *ſervandam eſſe* Conſtitutionem Gregorii XIII., *in quâ præcipitur à paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis Perſonis comitari*.

6. An Epiſcopum dictorum Monaſteriorum Clauſuram viſitaturum; teneantur Moniales omnes excipere *perſonaliter* cum *Cruce*, & Cantico *Benedictus*? Reſp. *negativè*.

7. An dictæ Moniales teneantur in ipſo Clauſuræ ingreſſu adornare Stratum, ibique genuflectenti Epiſcopo, Monialis aliqua porrigere debeat Crucem deoſculandam? Reſp. *negativè*.

8. An Epiſcopus Clauſuram ingreſſus, poſſit pro ſuo libito convocare dictas Moniales omnes in Choro interiori, aut in alio loco, & ad eas ſermonem habere? Reſp. *affirmativè*.

9. An abſolutè, & indifferenter, viſitare poſſit Cellas dictarum Monialium etiam quo ad non pertinentia ad Clauſuram? Reſp. *negativè*.

Monialium Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa, aut Superioriſſa, eligi non poteſt in Abbatiſſam, Prioriſſam, aut Superioriſſam, niſi habeat ſequentes ſeptem conditiones: 1. quod ſit natalium legitima: *Sac. Cong. Conc.* 27. *Aprilis* 1630.; 2. quod habeat quadraginta annos ætatis; & quod per octo annos laudabiliter vixerit poſt profeſſionem: *Trid. ſeſſ.* 25. *de Ref. cap.* 6.; 3. Si in Monaſterio non adeſt *Quadragenaria*; alia, quæ annos triginta excedat, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem laudabiliter vixerit, eligi poteſt, interveniente tamen conſenſu Epiſcopi, ſivè Prælati: *Trid. cit.*; 4. Si nulla invenitur, quæ trigeſimum annum excedat; à Sede Apoſtolicâ poſtulanda eſt: *Trid. cit.*; 5. Quod annus quadrageſimus ſit completus: *Sac. Cong. Conc.* 20. *Septemb.* 1678.; 6. Quod non ſit tertia ex Sororibus ſecundùm carnem in eódem Monaſterio Monialibus; *Sac. Congr. Conc. apud Lantuſc. verbo*

Mo-

Monial. num. 4.; 7. quod non fuerit publicè pænitentiata: *Sac. Congr. Conc. die* 3. *Octob.* 1636. Excipitur ſi *pænitentia* fuit ſolùm *ſalutaris*.

Acceſſus ad Monaſteria Monialium juxtà *Bonac.* nihil aliud eſt, quàm *ſe transferre ſtudiosè ad locum Clauſuræ, ubi morantur Moniales, ut cum Moniali colloquatur, inſpiciat, & inſpiciatur*; aliàs *collocutio* eſt illa, quæ eſt prohibita. Talis acceſſus eſt prohibitus omnibus, & ſingulis, ut patet ex *cap. pericul. cum de ſtatu Regul. in* 6. Licèt aliàs per *Decretum Sixti V. emanatum anno* 1590. arctiùs ſit prohibitus *Regularibus*, circà quos *Clem. IX.* excludit parvitatem materiæ, etiam quando Monaſterium eſt ipſis Regularibus pleno Jure ſubjectum, ut patet ex verbis ejuſdem Decreti: *Qui abſque legitimâ facultate* (ſermo eſt de Regularibus) *accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum tempus cum Monialibus, aut aliis intrà clauſuram degentibus*, peccant mortaliter, *& carcerari poſſunt ab Epiſcopo*: Idem dic. eſt (quo ad forum internum conſcientiæ) de illis Regularibus, qui falſo prætextu obtinent facultatem accedendi ad Monaſteria, ſi habent quemcumque malum finem, eo quia reſpectu fori interni talis facultas fuit *ſubreptitia*, vel *obreptitia*, & conſequenter *nulla*.

Confeſſariis Regularibus Monialium tàm ordinariis, quàm extraordinariis extrà actum confeſſionis interdicuntur colloquia cum Monialibus, ut clarè patet ex *Conſtit. Alex. VII.*, quæ incipit: *Sacroſancti* §. 2. *&* 3., & in §. 4. extenditur prohibitio ad Concionatores, & omnes Superiores etiam reſpectu Prioriſſæ, Abbatiſſæ, & Officialium extrà actum concionum, aut viſitationum. Talis prohibitio extenditur etiam ad ſocios, & alios Regulares, ut ibidem in prædictâ Conſtit.. Pænæ autem appoſitæ contrà tranſgreſſores ſunt ſequentes: Privatio vocis activæ, & paſſivæ, ac Officiorum cum inhabilitate pro redintegratione Papæ reſervata.

Adv. eſt 1., quod *Sac. Cong. Conc. in unâ Viterbienſi emanatâ die* 24. *Janua. anno* 1533. ſancivit, quod quando Epiſcopus, vel ejus Vicarius dat facultatem Regularibus accedendi ad Monaſteria ad colloquendum cum Monialibus; Superior Regularis non poteſt eam alterare, aliquid addendo, vel adimendo; & præſertim ſi licentia eſt pro ingreſſu in Monaſterium: & eadem *Sac. Congr.* 1583. 13. *Septemb.* ſic ſancivit: *Non permittatur acceſſus ſæcularium*

rium ad Monaſteria Monialium ſub prætextu eas docendi ſonum cymbalorum , aut alterius inſtrumenti , aut muſicam , cantumve .

Adv. 2., quod *Greg.* 15. per ſuam *Conſtit.*, quæ incipit: *Imperſcrutabilis*; ſancivit, quod Confeſſarius quicumque, ſi non eſt *ſpecialiter* approbatus ab Epiſcopo pro tali Monaſterio *numericè*, v.g. pro Monaſterio *A.*, ſi Sacramentaliter abſolvit extrà mortis articulum quamcumque Monialem cujuſcumque Monaſterii extrà Monaſterium *A.*, abſolutio eſt invalida; & quod Confeſſarii Monialium, etiam Regularibus pleno jure ſubjectarum, debent approbari ab Epiſcopo; immò ex *eádem Conſtit.*, ſi poſt approbationem, in tali miniſterio minùs idonei fuerint inventi; facta debita monitione ſuis Superioribus, poteſt illos amovere, neque tenetur ſignificare cauſam ſuis Superioribus, cur illos amoveat; ſed quo ad hoc Epiſcopi tantùm oneratur conſcientia.

Adv. 3., quod Confeſſarii Monialium habent facultatem ſolummodo ſuper illis caſibus reſervatis, illis conceſſis ab Epiſcopo, ad quem accedere debent pro cæterorum facultate, ſi opus fuerit; & ſi Moniales ſubſunt Regularibus, earum Confeſſarii habent eandem facultatem, quam habent Confeſſarii proprii Ordinis in Religioſos maſculos etiam quo ad caſus in Religione reſervatos.

Licèt Moniales non teneantur confiteri Confeſſario extraordinario, debent tamen ſe illi præſentare, ut ab eo monita ſalutis recipiant, & actum ſubjectionis exerceant juxtà diſpoſitionem pro Monialibus editam ab *Emin. Domino Card. Vicario* cum approbatione *Clem. XI. ſub die* 12. *Decembr.* 1708., impoſitâ Abbatiſſis, ſeu Superioriſſis pænâ privationis; & cæteris Monialibus illâ privationis vocis activæ, & paſſivæ ad annum: Et ſub iiſdem pænis prohibentur tempore deputationis Confeſſarii extraordinarii confiteri Ordinario, in quem pæna ſuſpenſionis infligitur, ſi pro eo tempore ad Monaſterium, vel Eccleſiam accedit.

Peccant mortalitèr, & in excommunicationem incurrunt omnes, qui cogunt, vel faciunt metum gravem cadentem in conſtantem virum cuicumque mulieri ad *ingrediendum* Monaſterium *ad finem* ſuſcipiendi Habitum Religioſum; vel ad *ſuſceptionem Habitus*; aut ad *emittendam profeſſionem*: excipiuntur tamen tres caſus: 1. ſi conſtaret Puellam emiſiſſe votum Religionis, & non eſſe relaxatum; 2. ſi mulier matrimonio jam contracto per verba de præſenti; poſt Bimeſtre negaret conſumare matrimonium; 3. Si

ambo

C

ambo Conjuges de communi conſenſu ingreſſi ſunt Religionem, & maſculus emiſit ſolemnem profeſſionem.

Clericorum nomine (*in materiâ odioſâ*) non comprehenduntur Epiſcopi: *cap. Qui periculoſum de ſent. excom. in 6.*, neque Canonici, aut alii in dignitate Eccleſiaſticâ Conſtituti: *arg. cap. Sedes de reſcript. in 6.*, neque Religioſi: *arg. Clem. 1. de ſupplenda neglig. Prælati*; comprehenduntur tamen *in materiâ favorabili*; & circà iſtos, omneſque alios tàm Sæculares, quàm Regulares, etiam ſolùm primam tonſuram habentes ſit quo ad privilegium tàm *Canonis*, quàm *Fori*, & primò quoad *privilegium Canonis*.

Excommunicatione lata, Papæ reſervatâ, ligantur illi omnes, qui ſuadente diabulo manus violentas injiciunt in Clericum, vel Monacum; & ita habetur *ex Can. 15. Conc. Lateranenſis*, & eſt relatus in *Cap. Si quis ſuadente diabulo 17. qu. 4* Ad hoc tamen, ut quis remaneat ligatus prædictâ excommunicatione, tria *copulativè ſumpta* concurrere debent, ut ait *Sperell. dec. 45. n. 12.* 1. factum conſummatum opere externo in Clerico, vel Monaco; 2. animus injuriandi; nec neceſſarium eſt, quod læſio ſit *contrà eſſe phyſicum corporis*, ſed ſatis eſt, quod ſit *contrà honorem*, dummodò tamen *corpus*, vel *veſtimentum* per *injuriam*, & *contemptum animo irato attingantur*, etiam ſi ſolâ aquâ, ſputo, vel pulvere id contingat: *Dia. coordinatus tom. 5. tract. 2. reſſol. 31.*; 3. quod læſio non *caſu*, aut *fortuitò*, ſed per *vim* inferatur.

Triplex poſteà datur *violentiâ*; nempè: ablativa, expulſiva, & compulſiva: *ablativa* eſt, quâ aliquid *violenter* à Clerico, vel Monaco aufertur; *expulſiva* eſt, quâ Clericus, vel Monacus *violenter* expellitur de loco ad locum; *compulſiva* eſt, quâ Clericus, vel Monacus movetur ad aliquid agendum, quod ipſe nullatenus facere vellet: ità *Sperell. cit. n. 80.* Iſtarum autem trium quælibet ſeorſim ab aliis duabus ſumptâ, ſufficit pro contrahendâ excommunicatione. Per ly *manus*, intelligitur etiam *pes*, *fuſtis*, *lapis*, & quidquid poteſt Clerico inferre injuriam non verbalem, ſed phyſicam, & realem.

Licèt percuſſio Clerici, vel Monaci, iis terminis ſupradictis ſit excommunicationi ſubjecta; undecim tamen caſus excipiuntur; nempè; 1. Si percutiens percutit vim vi, injuſtè factâ, repellendo, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ; 2. Si ignorantèr ignorantiâ tàm juris, quàm facti; 3. ſi ex joco; 4. ſi ex inadvertentiâ;

Digitized by Google

tiâ; 5. ſi ex motu primò primi, & etiam ſecundò primi; 6. ſi ex cauſâ correctionis, & diſciplinæ; 7. ſi inhoneſtè inventus cum propriâ uxore, vel cum matre, aut filiâ, aut ſorore; 8. ſi eſt bigamus, dummodò non ſit in Sacris; 9. ſi eſt conjugatus exercens officia cauponis, vel lanii; 10. ſi eſt factus miles, vel ſe immiſcet ænormitatibus; 11. ſi mimicam exercens. Ità communitèr Theologi cum Canoniſt.

Clerici *percuſſionem* ratam habens, remanet excommunicatus, ſi tres ſimul conditiones concurrunt; 1. quod ratam habens potuerit mandare percuſſionem eo tempore, quo ſecuta eſt; 2. quod illam ratam habeat per aliquod ſignum externum; 3. quod percuſſio ſit ejus nomine facta, & hanc ſciat, & approbet: ità communitèr DD.

Clerici *occiſionem* ratam habens; licèt remaneat excõmunicatus, ſi prædictæ tres conditiones concurrunt, non incurrit tamen in irregularitatem, & reſervationem, ut eſt communior DD. opinio contrà Dianam, & Navarrum.

In Clerici *occiſione mandatum*, & *conſilium* inducunt excommunicationem, irregularitatem, & reſervationem; attamen ſi re integrâ mandans, vel conſulens revocavit mandatum, vel conſilium; & revocatio pervenit ad mandatarium, vel conſiliarium; ſi iſti, non obſtante revocatione occidunt; neque mandans, neque conſulens incurrit; quod ſi poſteà unus, vel alter prævidet, mandatarium eſſe occiſurum non obſtante revocatione; mandans tenetur ſub mortali *ex charitate* præmonere occidendum, ut ſibi caveat, & conſulens, tenetur etiam *ex juſtitiâ*, ut paſſim docent Theologi.

Clerici in *bello offenſivo*, licèt cognito juſto; ſi per ſe ipſos immediatè occidunt, vel mutilant quemcumque, fiunt irregulares, ut eſt communis DD. opinio, & ſic habetur ex *cap. Petitio de Homicid.*, & *ex cap. Quicumque, ac ſeqq. 23. q.* 8. Poſſunt tamen alios hortari, ad ſtrenuè pugnandum, licèt in propriâ perſonâ pugnare prohibeantur: Si poſteà bellum eſt *merè deffenſivum*, & cognitum juſtum, pugnare poſſunt, ut cum pluribus aliis tenet *Piring. tit. de Homicid. n.* 115.

Quo ad *privilegium Fori* (quod nihil aliud eſt, quàm *exemptio perſonæ Eccleſiaſticæ à laicâ juriſdictione tàm in Civilibus, quàm in Criminalibus*) tali privilegio gaudent Clerici, qui proptereà conveniendi ſunt coràm *proprio Epiſcopo*, ut conſtat ex *cap.*

Si

Si quis Clericus de foro compet., & Bonifacius VIII. in *cap. Quoniam de Immunit. in 6.* fulminavit cenſuram excommunicationis Papæ reſervatæ in Bullâ Cœnæ Domini contrà uſurpantes in Perſonas Eccleſiaſticas juriſdictionem, ac immunitatem eis debitam.

Nomine poſteà *Epiſcopi*, veniunt etiam *Prælati inferiores* habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem ex *officio*, aut *privilegio*, vel *conſuetudine*: nomine poſteà *Epiſcopi proprii* venit ille primò, in cujus Diæceſi Clericus conveniendus, domicilium, & habitationem habet: *Fagnan. in 2. ad cap. Si quis de foro compet. n. 10.* Secundò venit ille, in cujus Diæceſi Clericus habet Beneficium, licèt ſinè reſidentiâ Perſonali, & aliàs Clericus habitet alibi, ſed tantummodo quando de Beneficio agitur, & de iis, quæ ad ipſum Beneficium ſpectant: *Trid. ſeſſ. 24. de Ref. cap. 11.* Tertiò venit ille, in cujus Diæceſi Clericus quocumque modo delinquit. *Cap. Licèt in 2. de foro compet.* Quartò venit Superior communis, ut Papa, qui eſt Judex ordinarius omnium, & ſingulorum; quapropter in *Curiâ Romanâ* quilibet Clericus conveniri poteſt, licèt ibi non deliquerit: *l. Romas ff. ad Municipal.*

Hoc privilegio gaudent Clerici, licèt habeant ſolum Ordines minores, ut conſtat ex *Trid. ſeſſ. 23. de Ref. cap. 6.*; dummodo tamen una ſaltem ex ſequentibus quatuor conditionibus habeant; nempè: 1. quod vel in Habitu Clericali alicui Eccleſiæ inſerviant de mandato Epiſcopi; 2. vel habeant Beneficium Eccleſiaſticum; 3. vel Clericaliter incedentes in aliquo Seminario de licentiâ Epiſcopi degant; 4. vel in Habitu, & tonſurâ incedentes in aliquâ Scholâ, vel Univerſitate, de licentiâ Epiſcopi verſentur in viâ ad Ordines majores: ly *de mandato*, *de licentiâ Epiſcopi*, non eſt de eſſentiâ: *Judicare, & cognoſcere, an Habitus ſit Clericalis, vel non*, ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum, ut declaravit *Sac. Cong. Conc.*, & ſuper illius *qualitate*, attendi debet etiam *Regionum conſuetudo*.

Clerici poſteà in Sacris conſtituti ſemper gaudent privilegio fori, licèt Habitum, & Tonſuram non deferant, nec Beneficium Eccleſiaſticum habeant: ità *Antonell. de Reg. Eccleſ. lib. 4. c. 1. n. 6.*, qui tamen; ſi poſt trinam monitionem à Prælato factam, illum non reaſſumunt, illo privantur, ut patet ex *Cap. In audientiâ de ſent. excomm.*

Hic octo proponuntur dubia cum ſuis reſolutionibus.

1. An privilegio Fori gaudeat Clericus primæ Tonſuræ, obtinens

nens Beneficium Eccleſiaſticum, ſed Habitum Clericalem, & Tonſuram non deferens? Reſp. *affirmativè*, & ità cenſuit *Sac. Cong. Conc. 6. Novemb.* 1612. licèt aliàs privetur ipſo facto Beneficio vigore *Conſtit. Sixti V.*, quæ incipit: *Cum Sacroſanctum &c.*

2. An Clericus, cui fuit reſervata penſio ſuper fructus alicujus Beneficii Eccleſiaſtici; ſi non incedit in Habitu, & Tonſura, nec alicui Eccleſiæ inſervit, gaudeat privilegio fori? Reſp. *affirmativè* vigore reſolutionis editæ à *Gregor. XIII.* 18. *Decemb.* 1576., qui auditâ Relatione *Cong.* declaravit *Penſionarium* cenſeri *Beneficiatum* ad effectum gaudendi *privilegio Fori Eccleſ.*, de quo loquitur *Trid. ſeſſ. 23. de Ref. cap. 6.*

3. An Clericus non beneficiatus, ſolitus tamen Eccleſiæ inſervire, & in Habitu, & Tonſura incedere; ſi nocte, vel interdiù in Habitu laicali cum armis à laicâ poteſtate ſit deprehenſus, gaudeat privilegio Fori? Reſp. *affirmativè*; & ratio eſt, quia juxtà *cit. Trid.* ad privilegium Fori alterutrum ſufficit, ideſt, quod Clericus vel *Beneficium* habeat, vel *Habitum*, & *Tonſuram* deferens *alicui Eccleſiæ inſerviat*.

4. An Clericus primam Tonſuram habens cum Ordinibus minoribus; à Curiâ ſæculari repertus cum armis ſinè Habitu, & Tonſurâ gaudeat privilegio Fori? Reſp. *affirmativè*, etiam ſi non habeat requiſita à *Trid. cit.*, prout reſolutum fuit à *Sac. Congr. Conc.*, & approbatum ab *Urbano VIII. die 12. Novemb.* 1630.

5. An Clerici conjugati gaudeant privilegio Fori? Reſp. *affirmativè*, & ſic expreſsè habetur in *cap. un. de Cler. conjugat. in 6.*; dummodo tamen quatuor ſimul concurrant conditiones, quæ à *Decretali* exiguntur; 1. quod Tonſuram deferant; 2. quod in Habitu Clericali incedant; 3. quod cum unâ tantùm, & Virgine contraxerint; 4. quod alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati ſerviant, vel miniſtrent.

6. An Laicus, qui poſt patratum delictum, fuit initiatus primâ Tonſurâ gaudeat privilegio Fori? Reſp. *affirmativè*, & ità tenent *Diana coordin. to. 9. reſol.* 80., & 106., Pignatell. *to. 6. conſult.* 17., Paſcual. *tom. 1. de Immunit.*

7. An Judex laicus poſſit procedere contrà Concubinam Clerici pro crimine cum ipſo commiſſo? Reſp. *negativè*, & hoc conſtat ex *cap. Si quiſquam de cohabit. Cler., & Mulier.*, ubi ſic legitur: *Fœminæ verò* Canonicè *judicentur*; & ratio eſt, quia non

privi-

privilegiatus in *materiâ individuâ* concurrit cum privilegiato, ut habetur ex *Gloſs. ad cap. un. de Jurepatro. in 6. verb. Eccleſiaſticus.*

8. An Clerici portantes arma contrà bannimenta Laicorum, poſſint eis, ab Executoribus Curiæ ſæcularis, ſpoliari? Reſp. *negativè*: ità *Sperell. deciſ. 12. n. 60.*, *& deciſ. 124. n. 8.*, & ſi ſpoliantur; *Birruarii incurrunt Cenſuram Canonis*; & ratio eſt, quia talis ſpoliatio, quamdam violentiam importat, ut dicit *cit. Sperel. deciſ. 124*; ubi etiam pro hac ſententiâ citat *Genuenſem*, & alios; & hoc etiam videtur reſolutum in terminis à *Sac. Cong. Conc. die 3. Februa. 1635.*

Adv. eſt primò, quod Clericus privatus *privilegio Fori*, non intelligitur privatus *privilegio Canonis*, prout declaravit *Sac. Cong. Conc. die 16. Decemb.* 1586.; & conſequenter Clericus Curiæ Sæculari traditus à Judice Eccleſiaſtico; ſi *privatâ authoritate* percutitur, *percuſſor* incurrit in excommunicationem; & ratio eſt, quia *text. in cit. cap.* loquitur *limitatè*, ideſt, ut per Sæcularem *poteſtatem* corrigatur, ut advertit *Diana reſol. 37. n. 2.*

Adv. ſecundò, quòd quamvis Clerici non ſubjaceant legibus Civilibus *ex vi coactivâ*, ſubjacent tamen *ex vi directivâ*, quando tamen leges Civiles non diſponunt de *Eccleſiis*, *Clericis*, *& eorum Bonis*, ſed ob publicam utilitatem communiter quidpiam præcipiunt, vel ſtatuunt, & aliàs non repugnant *ſtatui Clericali*, aut *Eccleſiaſticæ Immunitati*.

Coactio duplex eſt; nempè: abſoluta, & conditionata: *abſoluta* eſt, quâ quis contrà ſuam voluntatem cogitur ad aliquid corporaliter, ut quando quis contrà ſuam voluntatem vinctus in carcerem detruditur, & hæc *coactio abſoluta* ſemper parit *involuntarium ſimpliciter*: Coactio *conditionata* eſt, quâ quis contrà ſuam voluntatem cogitur eligere unum de duobus; puta, vel ſolvere certam ſummam pecuniæ, vel prohiberi à quâcumque venatione, & hæc *coactio conditionata* parit ſolummodo *involuntarium ſecundùm quid*, ut docet *D. Th. 1. 2. q. 6. a. 5. & 6.*

Codicillus rigorosè ſumptus, *eſt ultima alicujus voluntas abſq; Hæredis inſtitutione*: fieri poteſt tàm in ſcriptis, quàm oretenùs; & ad ejus valorem ſufficiunt quinque Teſtes, tàm maſculi, quàm fæminæ doli tamen capaces; qui debent ſe ſubſcribere, ſi ſit in ſcriptis, licèt aliàs ſigilla apponere non ſit neceſſarium, ut conſtat ex *l. ult. C. de Codicillis*. Latè ſumptus juvat ad Teſtamentum

 decla-

declarandum, vel immutandum, vel ei addendum, ſalvâ ſemper (*in additione*) hæredis inſtitutione: ſi poſteà Teſtamentum habet inſertam *clauſulam Codicillarem*: ſi Teſtamentum, ut Teſtamentum valere nequibit ob defectum alicujus ſolemnitatis, valebit tamen, ut *Codicillus*, & præſertim circà Legata, Fidei-commiſſa, & ſimilia.

Cognatio triplex eſt; nempè: *naturalis*, *ſpiritualis*, & *legalis*, ideſt, *adoptiva*, de quibus vide ſub verbo ly *Matrimonium*, ly *Quartum impedimentum dirimens*.

Commodatum *eſt contractus, quo res uſu non conſumptibilis alteri conceditur ad certum uſum, & ad determinatum tempus*: ità in re communiter: eſt contractus in gratiam ſolius accipientis in utrôque Foro, ut habetur ex *§. Item 15. Conſtit. Quibus modis contrahitur obligatio l. 1., & l. 6. in rebus ff. Commodati*, & conſequenter accipiens in utrôque Foro tenetur de culpâ leviſſimâ, non tamen de caſu fortuito, niſi in caſibus poſitis ſub verbo ly *Caſus fortuitus*.

Commodatum rigoroſè ſumptum eſt *contractus gratuitus*, & per hoc differt à *locatione*, quia in commodato rigoroſè ſumpto, nulla merces intervenit; differt à *Pignore*, & *Depoſito*, quorum uſus non conceditur; & differt à *Mutuo*, quia in commodato non transfertur dominium rei, ſed ſolummodo conceditur uſus.

Compenſatio ſecreta, *eſt debiti, & crediti inter ſe contributio*: ità in re communiter: Ut licitè fieri poſſit; quinque ſimul conditiones requiruntur: 1. quod creditum ſit liquidum, moraliter certum, & ex juſtitiâ; 2. quod Creditor alio modo ſuum recuperare nequeat ſinè periculo gravis damni incurrendi; 3. quod exindè ſequi non debeat damnum tertio; 4. quod exindè non immineat periculum gravis damni ipſi Creditori; 5. quod Creditor pro faciendâ tali ſecretâ compenſatione, non ſit paratus committere peccatum mortale.

Concionari illicitum eſt omnibus, ſingulisque Regularibus non ſolùm in alienis Eccleſiis, ſed etiam in propriis ſinè præviâ approbatione, & licentiâ propriorum Superiorum; nec non Diæceſani Epiſcopi benedictione; quam benedictionem (ſi concio fiat in propriis Eccleſiis) ſufficit, quod per ſe ipſos petant ab Epiſcopo, licèt eam non obtineant; ut clarè conſtat ex *Conſtit. Clem. X.* quæ incipit: *Superna &c.*, dummodo tamen Epiſcopus expreſsè non prohibeat, ut conſtat ex *eâdem Conſtit.*, & priùs ex *Trid. ſeſſ. 24.*

de ref. cap. 4., ubi etiam *idem Trid.* ſic ſubdit: *Epiſcopum tamen abſque juſtâ, & rationabili causâ contradicere non debere.*

Concubinatus *eſt frequens, ac conſueta fornicatio cum eâdem perſonâ cohabitante cum illâ, aut etiam ſi fœmina non cohabitet*: ità in re communiter: eſt ſpecies luxuriæ, peccatum grave, & periculoſum, eo quod Concubinarios in continuo ſtatu peccati mortalis detinet, undè DD. communiter dicunt Concubinarios abſolvi non poſſe juxtà ſequentem propo. dam.

Alex. VII. propo. dam. 41. in ordine: Non eſt obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, ſi hæc eſſet nimis utilis ob delectamentum Concubinarii (vulgò regalo), *dùm deficiente illâ, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ culpæ tædio magno afficerent Concubinarium, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

Concubitus inordinatus *eſt ille, in quo non ſervatur debitus decumbendi modus*: ita in re communiter: quatuor modis præcipuè contingere poteſt; nempè: ſtando; ſedendo; fœminæ ſuccumbendo; & præpoſterè, licèt in vaſe debito: Si copulam habendo quòcumque ex quatuor dictis modis, adeſt periculum abortus, aut quod impediri poſſit generatio, eſt peccatum mortale etiam inter conjugatos.

Concupiſcentia ut paſſio hominis, *eſt motus appetitus ſenſitivi proſequentis bonum delectabile*, ut eſt amor inordinatus, & quæ ab amore inordinato procedunt.

Conditio *eſt qualitas diſpoſitioni adjecta, futurum eventum ſuſpendens*: ità in re communiter: De Matrimonio conditionato, vide ſub verbo ly *Matrimoninm*, ly *conditio poſteà*.

Conductio *eſt contractus, quo mercede comparatur perſona, vel res ad uſum, vel fructum*: ità in re communiter: eſt contractus in gratiam utriuſque in utrôque Foro; & conſequenter conductor tenetur *de culpâ levi*, non tamen de caſu fortuito, niſi in iis caſibus poſitis ſub verbo ly *caſus fortuitus*: *Tex. in l. res pignoris ff. de acquirendâ poſſeſſ., & ex tit. de locat., & conduct.*

Confeſſio Sacramentalis, *eſt actus exterior hominis manifeſtativus propriorum peccatorum cum ſui accuſatione in foro ſpirituali, & ſecreto*: ità in re communiter. Eſt de fide, quod ſit neceſſaria *Jure Divino* omnibus, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt: ità *Trid. ſeſſ. 14. can. 14.*

Conditiones bonæ Confeſſionis ſunt ſexdecim, ſed quinque tantùm ſunt de eſſentia; nempè: *Dolor*; *Integritas*; *Diligentia*; *Fidelitas*; *Obedientia*: & breviùs tria; nempè: *Dolor*; *Integritas*; *Veritas*.

Debet ergo *Confeſſio Sacramentalis* eſſe *Doloroſa*, quia dolor de peccatis commiſſis, ſicuti conſtituit Sacramentum pænitentiæ in eſſe Sacramenti tamquam materia proxima, ut apparet ex *Trid. cit.*, ità eſt de ipſius eſſentiâ; undè ſi quis confiteretur peccata ſua in Sacramentali Confeſſione ſinè *dolore efficaci*, ideſt, *ſummo appretiativè*, & culpabiliter; committeret ſacrilegium, & ſi inculpabiliter; licèt non committeret ſacrilegium, non reciperet tamen gratiam, ut dicetur de Sacramento Pænitentiæ informi.

Debet eſſe *Integra* quo ad ſpecies, & numerum peccatorum lætalium, & quo ad circumſtantias mutantes ſpecies ipſorum peccatorum, & quo ad circumſtantias augentes, vel minentes, ideſt, aggravantes, vel alleviantes in infinitum numerum eorumdem peccatorum; immò etiam aggravantes *intra eamdem ſpeciem*, ſi tamen ſunt *notabiliter aggravantes*, ut dictum eſt in *tract. de Circumſtantiis*.

Integritas poſteà Confeſſionis duplex eſt, ideſt, materialis, & formalis: *materialis* eſt illa, in quâ Pænitens exponit in Confeſſione omnia peccata ſua; quatuor tamen excuſant hanc integritatem materialem; nempè: *Ignorantia invincibilis*; *oblivio inculpabilis*; *impotentia loquendi*; *utilitas propria*, vel *Confeſſarii*, aut *tertiæ perſonæ*, in quibus quatuor caſibus dicitur *integra formaliter*, ideſt, in præparatione animi ad faciendam confeſſionem *integram materialiter*, quando, vel deponet *ignorantiam*, ſi omiſſio cauſata fuit ab *ignorantiâ*; vel *recordabitur*, ſi omiſſio cauſata fuit ab *oblivione*; vel quando *loqui poterit*, ſi cauſata fuit ab *impotentiâ loquendi*; vel quando ſinè damno tàm ſpirituali, quàm temporali proprio, vel Confeſſarii, aut tertiæ perſonæ, facere poterit Confeſſionem *materialiter* integram.

Quæritur, an excuſare poſſit *integritatem materialem* Confeſſionis periculum infamiæ in *complici de peccato gravi*, quando, ſcilicet, ex confeſſione alicujus peccati gravis, aut circumſtantiæ, Confeſſarius venire poteſt in cognitionem *Socii in peccato gravi*? Reſp., quod licèt plures Authores, inter quos *Diana c. 1. tract. 7. reſ. 49.* Volpi *reſol. 150. num. 7.* Fælix Poteſtas in *exam. Confeſs. tom. 1. p. 4. n. 3111.* teneant *negativam opinionem*; mihi tamen

plùs

plùs quadrat affirmativa opinio, quam tenet Ant. à Spir. Sanc. cum aliis; & ratio eſt, quia quandocumque occurrunt ſimul duo præcepta Divina, ideſt, unum *naturale*, & alterum *poſitivum*; naturale prævalere debet; ſed præceptum de conſervanda famâ proximi eſt *Divinum naturale*; & præceptum de *integritate materiali* confeſſionis Sacramentalis, eſt *Divinum poſitivum*: ergo illud iſti prævalere debet: ergo tenenda eſt opinio affirmativa.

Reſp. Fælix Poteſtas negando *ſuppoſitum*, ideſt, quod *incurratur infamia*; & optimè dixiſſet, ſi cum aliquâ limitatione ſcripſiſſet, ideſt, de *ſolo pænitente*, & non de *pænitente*, & *complice ſimul*; cujus ratio evidens eſt, quia ideò pænitens nullam incurrit infamiam, quia eòdem tempore, quo Confeſſarius ſcit peccatum pænitentis, cognoſcit etiam illius pænitentiam de tali peccato, quod de complice dici non poteſt; nàm licèt Confeſſario ſit nota *pænitentia confitentis*, non poteſt tamen eſſe notum, an *complex in peccato* ſit pænitens, vel potiùs obſtinatè ſordeſcat in peccatis; ideò omnes ferè DD. excuſant detractorem *per manifeſtationem*, & à peccato, & à reſtituendâ famâ, quando cum manifeſtatione occulti criminis veri, narravit etiam condignam pænitentiam delinquentis, & quarè hoc? niſi quia *pænitentia* abſtergit omnem maculam *infamiæ contractæ* propter commiſſum peccatum, ut evenit in Sancto *Bonifacio Martyre*, & *Aglae* Nobili Matrona Romana, ut legitur in Breviario Romano *die xiv. Maji*, & in *Maria Magdalenæ* in Civitate notâ peccatrice; & ideò *Jeſus Chriſtus Redemptor noſter* dixit, quod *in Cœlo gaudium erit ſuper uno* peccatore pænitentiam agente, *quàm ſuper nonaginta novem juſtis* &c.; ideò ergo concludendum eſt, quod licèt pænitens confitendo peccata ſua licèt graviſſima, nullam incurrat infamiam apud Confeſſarium, non ſic dici poteſt de complice peccati propter rationem ſuprà allatam.

Ulteriùs idem Author ibidem dicit, quod ex hypotheſi, quod ex confeſſione peccatorum oriretur infamia in pænitente; non ideò iſte poteſt tacere peccatum, ex cujus confeſſione infamatur complex de tali peccato; & ratio, quam adducit pro probatione eſt, quia unuſquiſque habet majus jus ad propriam famam, quàm ad famam proximi; & conſequenter, quod cum Chriſtus præceperit *Confeſſionem materialiter integram*, non poteſt ſilere peccatum propter infamiam complicis, ad quam habet minus Jus, quam ad propriam, & addit nullam prorsùs afferri poſſe diſparitatem &c.

C

Ad hoc reſp. primò negando ſuppoſitum, quod, ſcilicèt, unuſquiſque habeat majus jus ad propriam famam, quàm ad famam proximi, nàm quilibet ex motivo ſpiritualis perfectionis negligere poteſt propriam famam cedendo juri ſuo, ſicùti fecerunt multi Sancti, ut legitur in multis Hiſtoriis Eccleſiaſticis; immò exiſtente, juſtâ causâ, poteſt etiam illam prodigere, ut patet ex publicis confeſſionibus Divi Auguſtini, ſed nemo denigrare poteſt famam proximi, manifeſtando ejus crimen occultum, cum hoc ſit vetitum à Deo. Reſp. ſecundò dari aliqualem diſparitatem; nàm in caſu infamiæ; complex de peccato incurret infamiam apud duos Confeſſarios; nempè: apud illum priorem, & apud alterum, cui ipſe manifeſtaret ſuum peccatum in confeſſione; quod tamen falſum eſt, loquendo de illo, cui ipſe confiteretur ſuum peccatum, ut ſuperiùs probatum eſt.

Debet eſſe *diligens in examine conſcientiæ*, ideſt, quod pœnitens antequam accedat ad confitendum peccata ſua, examinet priùs diligenter conſcientiam ſuam, ut ad memoriam revocare poſſit omnia peccata mortalia, à ſe commiſſa, licèt aliàs talis diligentia non requiritur, quod ſit *metaphyſica*, ſed ſufficit, quod ſit *moralis*; & hoc licèt conjiceretur, quod ſi major eſſet indago, memoriæ occurrerent alia peccata, etiam mortalia, aliter nullus daretur finis dubiis, & ſcrupulis; debet ergo eſſe *moraliter diligens* pro uniuſcujuſque neceſſitate.

In quatuor caſibus poteſt pænitens licitè accedere ad confitendum peccata ſua in Sacramentali Confeſſione ſinè prævio examine: 1. quando ſcit certò ſe non habere peccata mortalia; 2. quando licèt habeat peccata mortalia, ſcit tamen quot, & qualia ſunt; 3. in articulo, vel probabili periculo mortis (ſi aliàs eſt periculum in morâ); 4. quando pænitens eo, quia habet multa, & varia peccata, difficultate perteritus revocandi ad memoriam omnia peccata ſua, remanet impænitens: In tali caſu poſt elicitum dolorem de omnibus peccatis ex motivo univerſali cum firmo propoſito non peccandi de cætero, poteſt ſinè prævio examine accedere ad aliquem peritum, & doctum Confeſſarium, ad faciendam ſuam confeſſionem; quia illa diligentia, quæ præcipitur à Trid., in ſimilibus caſibus, adhiberi poteſt tàm à pænitente ſolo, quàm à Confeſſarii periti, & docti inſtructione, & ductu.

Debet eſſe *fidelis*, ideſt, quod pænitens confiteatur peccata certa, ut certa; dubia, ut dubia: confiteri ſcienter peccatum mortale certum,

certum, tamquam dubium, vel e contrà; eſt ſacrilegium; nihil debet negare, quod ſit verum, neque aſſerere aliquid, quod ſit falſum; nàm negare in confeſſione aliquid, quod ſit verum; vel aſſerere aliquid, quod ſit falſum; ſi eſt de materiâ neceſſariâ, eſt ſacrilegium; & ſi eſt de materiâ ſolùm ſufficiente, eſt peccatum veniale; immò ſacrilegium; ſi in tali caſu, pænitens non addit aliam materiam, ſaltem ſufficientem, ſuper quam cadere poſſit abſolutio.

Debet eſſe *obediens*, ideſt, quod pænitens accedat paratus, obedire Confeſſario in omnibus, quæ pertinent ad vitæ emendationem, pro conſequendâ æternâ Beatitudine; & præſertim quo ad quatuor: 1. quo ad reſtitutionem rei alienæ, vel famæ injuſtè ablatæ; 2. quo ad fugiendas occaſiones, & pericula peccandi; & præcipuè occaſionem proximam voluntariam; 3 quo ad acceptanda remedia, pro evitandis peccatis; 4. quo ad acceptandam congruam pænitentiam, tàm ſatisfactoriam, quàm medicinalem à Confeſſario prudenter dandam.

Præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis, obligat ſub mortali, ex *vi coercitivâ* omnes, & ſingulos, qui ſunt peccati, & doloris capaces, ſi tamen habent materiam neceſſariam; excepto tamen Papâ, qui ſolùm tenetur ex *vi directivâ* ſub veniali tantùm, ſecluſo tamen ſcandalo. Huic præcepto ſatisfit per confeſſionem factam in quâcumque die anni, ſi tamen adfuit aliqua materia neceſſaria; ſecùs dic. ſi fuit ſolùm de venialibus; & ex poſt, ſequatur aliquod peccatum mortale; ſatisfit etiam per confeſſionem ſolùm formaliter integram; modò in illâ expoſitum fuerit aliquod peccatum mortale, ſecùs dic. ſi ſola peccata venialia.

Omnia, & ſingula peccata mortalia tàm ejuſdem, quàm diverſæ ſpeciei, neceſſariò exprimi debent in confeſſione cum ſuis circumſtantiis, quæ ſicuti mutant ſpeciem, ſic augere faciunt numerum peccatorum; quæ peccata conſultiùs eſt pluribus de cauſis exprimere *conjunctim*, quàm *diviſim*, v. g. octies blaſphemavi; ſepties omiſi audire Sacrum in die feſto præcepti; ſexies tranſgreſſus ſum jejunium Eccleſiaſticum; quinquies injuſtè detraxi famam proximi; quater voluntariè delectatus ſum in cogitationibus fornicationis; tria adulteria commiſi; bis ſinè neceſſitate laboravi in die feſto præcepti; ſemel audacter, & temerè minatus ſum Matrem meam &c. Excipitur tamen, ſi eſſet neceſſarium illa confiteri *diviſim*; eo quia ſecum habent aliquas circumſtantias, vel mutantes

ſpeciem

ſpeciem in genere moris, ut v. g. de tribus furtis, quorum unum fuit factum cum notabili violentiâ; alterum ſinè violentiâ, ſed rei Sacræ; & alterum rei non Sacræ, & ſinè violentiâ, in quo caſu pænitens neceſſariò exprimere debet, quod fecit tria furta, ſed quod unum fuit factum cum notabili violentiâ; alterum ſinè violentiâ, ſed rei Sacræ; & alterum rei non Sacræ, & ſinè violentiâ, ſed grave, ideſt, in notabili quantitate &c. vel aggravantes in infinitum, ut v. g. de tribus fornicationibus, quarum una fuit facta in loco Sacro, alia publicè, & altera in occulto in loco non Sacro, quia fornicationi factæ in loco Sacro, ſuperadditur ſacrilegium; & fornicationi factæ in publico, ſuperadditur ſcandalum.

Quando numerus peccatorum læthalium eſt certus; alterari non poteſt, neque per additionem, neque per diminutionem; aliter confeſſio eſſet nulla, niſi bona fides excuſaret. Quando pænitens dixit numerum certum, & determinatum; ſi ex poſt invenit aliud peccatum mortale ultrà numerum expreſſum, debet illud ſubjicere clavibus. Quando pænitens numero mortalium expreſſo, addidit particulam ly *circùm circà*; vel *plùs minùs*, v. g. fornicatus ſum decies *plùs minùs &c.* In ly *plùs minùs*, continetur unum, vel alterum peccatum *ſuprà decies*; vel unum, vel alterum peccatum *infrà decies*, quia in hujuſmodi numerum *majorem*, vel *minorem*, fertur judicium Confeſſarii; ſed quia quilibet *minor* numerus, continetur in *majori*; non tamen e contrà; ideò; ſi ex poſt occurreret memoriæ numerus certus, non teneretur pænitens illum iterum confiteri, & declarare, niſi in caſu, quo talis numerus fuerit *multò minor*, ut v. g. *ſenarius* pro *decenario*.

Confeſſio facta ex fine *mortaliter* peccaminoſo, eſt ſacrilega; ex fine *venialiter* peccaminoſo (ſi cætera pro validitate concurrunt) eſt valida; cujus ratio eſt, quia motivum ſecundarium excludere nequit finem principalem, propter quem fit confeſſio, & conſequenter &c.

Confeſſio *malitioſè* facta imperito Confeſſario, eſt nulla; niſi pænitens de ſe ſit peritus: idem dic. eſt, ſi eſt *malitioſè* facta ſemiſurdo: ità cum aliis *Bonac. diſp. 5. de pænit. quæſt. 5. ſect. 2. num. 17.*

Confeſſio facta Sacerdoti, non approbato; ſed *per communem errorem* exiſtimato approbato, eſt valida; quia in tali caſu Eccleſia ſupplet defectum dando juriſdictionem, ut eſt communis Theologorum conſenſus: ſecùs dic. eſt, ſi *non adeſt error communis*,

licèt

licèt etiam tàm ex parte pœnitentis, quàm ex parte Confeſſarii, fuerit bona fides; & ratio eſt, quia in tali caſu Eccleſia non ſolùm non ſupplet defectùm, dando juriſdictionem; ſed *de facto prohibet*, ut patet ex Decreto *Sac. Congr. Conc. emanato die* 12. *Febr.* 1679. *juſsù Innoc. XI.*

Confeſſio facta *cum cartâ*, in quâ ſint ſcripta peccata; & quâ lectâ à Confeſſario; pœnitens dicat: *De omnibus peccatis, quæ in hac cartâ continentur, & tu legiſti*; ego me accuſo &c. licèt ſecundùm *Suarez*, *Vaſquez*, *Lugonem*, *Layman*, & *alios*, ſit valida, (concurrente tamen vel *magnâ difficultate in loquendo*, vel *nimiâ verecundiâ in exprimendis peccatis oretenùs*): attamen oppoſita ſententia, quam cum *Sannig.*, & aliis, tenet *Maſtrius in* 4. *diſp.* 5. *num.* 175. probabilior eſt, magis tuta, ac proindè in praxi ſequenda, ut deſumitur ex *primâ propoſ. dam. ab Innoc. XI.*

Per *Interpretem* nemo tenetur confiteri; & ratio eſt, quia licèt Chriſtus non prohibuerit confeſſionem publicam; illam tamen non præcepit; excipitur tamen caſus mortis in dubio de perfectâ contritione; & hoc ſolùm ex præcepto charitatis, quâ quiſque tenetur ſe ipſum diligere propter Deum: ità *Scotus in* 4. *diſ.* 17. *quæſt. un.*, quam ſui, & plures alii ſequuntur.

Mutus, *neſciens ſcribere*; ſi nutibus, & ſignis ſufficienter ſcit exprimere ſpecies, & numerum peccatorum, abſolvi debet abſolutè: idem dic. de *ignaro idiomatis* (tempore tamen, quo confeſſio eſt illi quomodolibet neceſſaria), & hoc licèt integrè, & perfectè non intelligatur: ità communiter DD.

Confeſſio pœnitentis facta cum Confeſſario complice de peccato, eſt valida, ſi cætera concurrunt; & aliàs non ſit caſus reſervatus in Diœceſi: ità communiter DD., in peccatis tamen carnalibus, eſt valdè periculoſa.

In peccatis, ad quamcumque ſpeciem luxuriæ pertinentibus; in interrogationibus cautiſſimè à Confeſſariis procedendum eſt; nàm, ut ait *Coninch. diſ.* 7. *de Sacram. dub.* 7. *num.* 58., præſtat aliquando, Confeſſarium minùs perfectè intelligere peccatum, quàm pœnitenti, vel ſibi ipſi ſcandalum cauſare.

In caſu, quo Confeſſarius, abſolvendo pœnitentem, judicaret peccatum mortale eſſe veniale, vel e contrà; non ideò talis abſolutio eſſet invalida, quia licèt Confeſſarius abſolvat *authoritate Divinâ*; non tenetur tamen judicare *ſcientiâ Divinâ*.

M Circà

C

Circà confeſſionem *peccatoris habitualis*; triplex datur opinio : 1. eſt, quod pænitens, teneatur exprimere in confeſſione; non ſolùm tempus mali ſtatus, ſed etiam ſpecies, circumſtantias neceſſarias, & numerum peccatorum : verùm fateor, hanc opinionem eſſe *adeò arctam*; ut quaſi attingat terminos naturalis impoſſibilitatis; 2. prædictæ oppoſita, quia *nimis lata*, eſt, quod dicere ſufficiat tempus mali ſtatus, nullum explicando numerum peccatorum, ſed ſi hæc tutâ conſcientiâ ſequi poſſet; laxarentur forſitan peccatoribus habenæ, ad inſordeſcendum in peccatis; 3. quæ *inter prædictas mediat*; & in praxi, ut probabilior, & tutior eſt ſequenda, eſt, quod peccator habitualis, teneatur dicere tempus mali ſtatus, ſpecies peccatorum cum circumſtantiis augentibus numerum peccatorum; & circà *numerum ipſorum peccatorum lathalium*, quæ ſunt *oris*, *operis*, vel *omiſſionis*; quod exprimere ſufficiat *illum numerum* (ſaltem in confuſo) quem *per diem*, vel *hebdomadam*, aut *menſem*, committere ſolebat; & ſi peccata ſunt *cordis*; puta, *prava deſideria* cujuſcumque ſpeciei, *delectationes moroſæ*, *odia*; *gaudia* in adverſis proximi; *triſtitia* in ejus proſperis, & ſimilia; ſolummodo ſpecies cum circumſtantiis neceſſariis; non autem *numerum*; benè tamen conſuetudinem ordinariam, ſivè *reſiſtentiæ*, ſivè *aſſenſus*; quod ſi ex poſt, ideſt, poſt factam confeſſionem, memoriæ occurrunt alia peccata mortalia; non tenetur, illa confiteri (niſi ſint diverſæ ſpeciei à jam confeſſis), quia in illâ confuſâ narratione *omnia* fuerunt comprehenſa, & *directè* abſoluta.

Circà *recidivos*, & *conſuetudinarios &c.* ſi apparet aliqua licèt *minima* emendatio abſolvi debent; ſi *nulla*; abſolvi nequeunt juxtà *propoſitionem 60. in ordine*, *damnatam ab Innoc. XI.* In dubio, an appareat, nec ne, aliqua emendatio, licèt *minima*, duo à Confeſſariis ſunt evitanda; nimirùm : *nimia ſeveritas*, ne hæc ſit potiùs occaſio deſperationis, quàm ſalutis; & *nimia clementia*, ne per hanc laxentur habenæ ad peccandum.

Quamvis peccata mortalia *inculpabiliter* in confeſſione omiſſa; nemo confiteri teneatur, niſi in primâ ſequenti confeſſione, quam faciet; excipitur tamen caſus, in quo, quis vellet, ſe communicare; quia ſi tunc (demptâ propriâ infamiâ, vel aliorum ſcandalo) poteſt; tenetur ex præcepto antè ſumptionem SS. Euchariſtiæ talia peccata *inculpabiliter* omiſſa, & quorum tunc recordatur, confiteri : *ità communiter DD. ex Trid.*

Mo-

Digitized by Google

C

Moribundus, qui *antè ſenſuum destitutionem*, petivit confeſſionem, vel ſigna pænitentiæ oſtendit; & unus ſaltem, qui audivit, vel vidit, hoc teſtatur Sacerdoti; debet hic illum abſolvere abſolutè, ſinè conditione, ut tenent *Dia. par.* 3. *tr.* 3. *reſp.* 9. Reginal. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 8., & plures alii: ſi v. g. apoplexia tactus *in inſtanti fuit ſenſibus destitutus* (etiam ſi ſit peccator publicus; puta, concubinarius); abſolvi debet ſub conditione; & ratio eſt, quia, in tali caſu per abſolutionem, providetur ſaluti æternæ illius animæ, ſi *abſolutionis capax eſt*; & ſi *incapax eſt* per additam conditionem, providetur reverentiæ Sacramenti: ità *Ant. à Spi. Sanct.*, & communiter.

In articulo mortis quilibet Sacerdos, licèt non approbatus; immò etiam, ſi eſſet Hæreticus; abſolvere poteſt ab omnibus caſibus, & cenſuris, nullis exceptis, ut habetur ex *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. An etiam præſente alio Sacerdote approbato, & non impedito, aut proprio Parocho, vel Epiſcopo? Negatur, excepto tamen caſu, quo pænitens haberet aliquam juſtam cauſam non confitendi prædictis: ità communiter DD.

Si quis, in articulo mortis exiſtens, alium Sacerdotem non haberet, qui eum abſolveret, niſi unum, qui eſſet *Hæreticus, pertinaciter non credens Sacramentum Pænitentiæ*; & illum rogaret, ut à peccatis ſuis abſolveret; & ille Sacerdos abſolveret; talis abſolutio eſſet *valida*, dummodo in abſolvendo, haberet *intentionem* faciendi *quantum poteſt*, & *in quantum poteſt*: ità communiter: E contrà: ſi eſſet Sacerdos Catholicus, & etiam approbatus; ſi *abſolvendo*, haberet *explicitam intentionem, non abſolvendi*; ſed aliàs illum abſolveret; talis abſolutio eſſet *invalida*, ut clarè deducitur ex *propo. dam. ab Alex. VIII.*, *quæ eſt* 28. *in ordine*.

In *articulo mortis*; abſolutus à *caſibus reſervatis* à ſimplici Confeſſario, nullam habente facultatem abſolvendi à reſervatis; ſi convaluerit, non tenebitur ſe præſentare Superiori, vel alteri facultatem habenti, niſi in caſu, quo caſibus reſervatis, ſit *annexa aliqua cenſura*, quia tunc tenebitur ſe præſentare, ut eſt communis DD. aſſenſus.

Sacerdos *excommunicatus*; ſi aliquem in articulo mortis exiſtentem, abſolvit; non fit *irregularis*: Ità cum aliis *Barboſ. in Collect. in. ad Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 7. *n.* 15.

Confeſſarii munus triplex eſt; nimirum: Doctoris; Judicis; Medici: *Doctoris* pro diſcernendo; *Judicis* pro abſolvendo, vel

 ligan-

Digitized by Google

ligando; *Medici* pro ſanando: ejus conditiones; quinque eſſe debent; nempè: *juriſdictio*; *ſigillum*; *ſcientia*; *prudentia*; *bonitas*: triplex poſteà datur juriſdictio in Confeſſario; nempè: *ordinaria*; *delegata*; *Jure conceſſa*. Sigillum duplex eſt; *naturale*, ſcilicet, & *Sacramentale*; iſtudque violare; numquam licitum eſt, nec etiam per ſalutem totius Mundi, ut eſt communiſſima DD. ſententia, *teſte Baſsæo*.

Confeſſarius; qui, intuitu, vel ſcientiâ confeſſionis, ſollicitat pænitentem ad quodcumque peccatum; committit ſacrilegium, propter irreverentiam, Sacramento allatam, & conſequenter tenetur exprimere in confeſſione hanc circumſtantiam.

Quando Confeſſarius advertit, pænitentem eſſe in bonâ fide cum *ignorantiâ invincibili* circà aliquod peccatum mortale commiſſum, vel committendum; ſi probabiliter credit, ſuam monitionem, non eſſe profuturam; non tenetur monere; & ſi eſt ſpes fructus; tenetur monere: Si *ignorantia eſt vincibilis*; tenetur monere, licèt prævideat, quod ſua monitio, non ſit profutura; aliter talis diſſimulatio, eſſet cauſa duplicis ſacrilegii ſic abſolvendo: ità, cum aliis, *Sanchez lib. 2. de Matrim. diſ.* 38.

Confeſſarius; audiens confeſſiones mulierum extrà ſedem confeſſionalem; vel etiam in ſede confeſſionali; ſed e conſpectu, & non interpoſita crate; remanet illicò ſuſpenſus ab audiendis confeſſionibus: ità *Sac. Cong. Inquiſ. die* 4. *Decemb.* 1694. excipiuntur tamen caſus neceſſitatis ex cauſâ morborum.

Confeſſarius; qui fuit *cauſa poſitiva*, & *culpabiliter* non reſtituendi, quando pænitens, reſtituere tenebatur ex juſtitiâ; vel reſtituendi, quando pænitens reſtituere non tenebatur; peccavit contrà juſtitiam; & conſequenter, vel tenetur ipſe reſtituere, vel monere pænitentem de ſua obligatione, ſi *licito modo* monere poteſt: Si *inculpabiliter*; non peccavit; attamen veritate ex poſt cognitâ tenetur monere. Hæc doctrina fundatur in *propo. dam. ab Innoc. XI.*, quæ eſt 39. *in ordine*.

Si fuit *cauſa* ſolùm *negativa*, & *inculpabiliter*; nullo modo peccavit: ſi *culpabiliter*; peccavit ſolùm contrà charitatem; & conſequenter, non tenetur, neque reſtituere, neque monere, niſi in caſu, quo ſilentium, ſe habuerit tamquam conſilium, quia tunc tenetur vel reſtituere, vel monere; ità communiter DD.

Confeſſarius; qui fuit *cauſa poſitiva*, quod pænitens non fecerit confeſſionem *materialiter integram*, quam facere tenebatur, & pote-

Digitized by Google

poterat; ſi *culpabiliter*, peccavit contrà juſtitiam; & conſequenter tenetur monere pænitentem, ſi *licito modo*, monere poteſt: ſi *inculpabiliter*; non peccavit; attamen veritate ex poſt cognitâ; tenetur ex *charitate* monere, ſi *licito modo* monere poteſt.

An in prædictis, & ſimilibus caſibus, in confeſſione ſecutis, poſſit Confeſſarius, *licitè* loqui cum pænitente, extrà confeſſionem, licèt illo repugnante? affirmant *Tho. Hurt.*, *Suarez*, *Filliu.*, & alii; dicentes, quod in tali caſu, non frangitur ſigillum, ſed quod perficitur Sacramentum incohatum. *Bonac.*, *Dian.*, *Dicaſt.*, aliique quamplures negant, & dicunt, quod verè frangitur ſigillum tribus caſibus ſolùm exceptis: 1. ſi eſt *immediatè poſt* confeſſionem; quia cenſetur, durare *moraliter* eandem confeſſionem; 2. ſi iterum pænitens eidem Confeſſario, confiteatur; nam uti poteſt tali occaſione; 3. ſi pænitens incipit ipſe loqui cum Confeſſario, de peccatis, jam confeſſis &c., & hæc opinio mihi videtur eſſe probabilior; ideòque ſuperius dixi ly *ſi licito modo monere* poteſt.

An Confeſſarius, uti poſſit cognitione habitâ in confeſſione, ad dirigendas ſuas *operationes externas*; ità quod, *omittere* poſſit, quod facere *volebat*; vel *facere*, quod facere *nolebat*? eſt valdè controverſum apud DD., nam aliqui, inter quos *Bonac.*, & *Dia.* abſolutè negant; alii, inter quos *Tho. Hurt.* affirmant; dummodo tamen, nullum ſit periculum manifeſtationis confeſſionis, neque directè, neque indirectè; & hæc opinio, ut probabilior, & magis tuta, eſſet in praxi ſequenda; ſi additum fuiſſet, quod ab aliis additur, ideſt, & quod nullo modo, reddi poſſit confeſſio odioſa, vel difficilis pænitenti; aut, quod nullo modo ei evenire poſſit quodcumque damnum extrinſecum; confuſio; verecundia, aut diſplicentia.

Regulares exempti, non accipiunt juriſdictionem, audiendi confeſſiones ſæcularium ab *Epiſcopo approbante*; ſed ſuppoſitâ *Epiſcopi approbatione*, & interveniente *conſenſu ſuorum Superiorum*; illam accipiunt *immediatè à Papâ*; ut deſumitur *ex Clemen. Dudùm §. Statuimus de Sepulturis*; & ſic declaratum fuiſſe à *Sac. Cong. Conc.*, refert *Fagnan. in cap. Omnis num. 79.*; Ex hoc poſteà ſequitur, quod, cum Regulares accipiant juriſdictionem, excipiendi confeſſiones ſæcularium immediatè à Papâ; & aliàs de conſenſu propriorum Superiorum, poſſint petere approbationem ab Epiſcopo *indefinitè* ad tempus, loca, & Per-

& Perſonas in ſua Diæceſi ; conſequenter petendo approbationem, *ſic indefinitè* JUSTE' illam ſic petunt.

Succeſſor Epiſcopus ; Confeſſarios Regulares, in ſuâ Diæceſi, à ſuo anteceſſore approbatos; iterum examinare poteſt pro conſcientiæ ſuæ quiete ; & etiam (interveniente juſtâ causâ), eos ſuſpendere, ut ſancitum fuit à *Sancto Pio V.*, & etiam ab *Urbano VIII. die* 20. *Auguſti* 1629., ut refert *Gabaſut. Prax. Juris Canon. lib.* 1. *cap. xi. n.* 3., idem dic. eſt de *Capitulo Sede vacante* ; & ratio eſt, quia ſicuti juxtà communem DD. ſententiam *Capitulum Sede vacante*, ſuccedit in iis omnibus, quæ ad ordinariam Epiſcopi juriſdictionem ſpectant, niſi expreſsè prohibita reperiantur ; conſequenter &c. ità *Donat. Prax. Regul. tom.* 3. *tract.* 4. *q.* 28.

Confeſſarii *Regularium*, excipere nequeunt confeſſiones *Regularium alterius Ordinis*, quatuor caſibus exceptis : 1. de expreſſâ licentiâ ſuorum Superiorum; 2. quando non habent copiam Confeſſarii proprii Ordinis ; 3. quando in propriâ Religione viget conſuetudo in contrarium ; & aliàs, non eſt illis prohibitum à propriis Superioribus ; 4. quando morantur extrà proprios Conventus ; & aliàs non habent copiam Confeſſarii proprii Ordinis. An autem in hoc caſu, abſolvi poſſint à reſervatis in proprio Ordine ? affirmat *Jo: à S. Cruce*, dummodo tamen exitus e Conventu non fuerit *datâ operâ*, ad hunc finem factus, ut expreſsè declaravit *Leo X. teſte Sorbo* ; ſecùs tamen dic. eſt, ſi dilatio confeſſionis, ſit *ſtudiosè* facta ad *tempus*, quo ex *obedientiâ* egreſſuri ſunt ad aliquod Religionis negotium peragendum ; puta, ad *concionandum*, ad *quaſtuandum*, & hujuſmodi ; & ratio eſt, quia, licèt fraus ſuffragari nequeat *immediatè*, *& per ſe* ; ſuffragari tamen poteſt *mediatè*, *& per accidens*, ut ait Bordonius.

Alex. VII. Propoſ. dam. xi. in ordine : *Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeù oblita ob inſtans periculum vitæ, ſeù ob aliam cauſam, non tenemur exprimere in ſequenti confeſſione ; & propoſ.* 12.

12. *Mendicantes abſolvere poſſunt à caſibus Epiſcopis reſervatis ſinè illorum facultate ; & propo.* 13.

13. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari præſentato Epiſcopo, ſed ab illo injuſtè reprobato ; & propo.* 14.

14. *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ ; & propo.* 16.

Digitized by Google

C

16. *Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium, ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Epiſcopo.*

Innoc. XI. Propoſ. dam. 29. in ordine: Urgens metus gravis, eſt cauſa juſta ſimulandi adminiſtrationem Sacramentorum; & propoſ. 56.

56. *Frequens Confeſſio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis; & prop. 58.*

58. *Non tenemur Confeſſario interroganti, fateri peccati alicujus conſuetudinem.*

Alex. VIII. Prop. dam. 20. in ordine: Confeſſiones apud Religioſos factæ; pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

Nomine *Confeſſarii ſollicitantis in Sacramentali Confeſſione*, juxtà *Bullam Greg. 15.*, quæ incipit: *Univerſi Dominici Gregis &c.* venit primò ille, qui *in actu Sacramentalis Confeſſionis*, ſollicitat, *excitando, alliciendo, provocando* pænitentem, ſivè *fæminei*, ſivè *maſculini* ſexus, ad quæcumque *inhoneſta* perpetranda, ſivè in ipſo actu confeſſionis, ſivè ex poſt; ſivè cum ſe ipſo, ideſt, Confeſſario, ſivè cum quâcumque aliâ perſonâ; ſivè cum ipſo pænitente, ſivè cum aliâ quâcumque perſonâ; 2. venit ille, qui, ſivè *immediatè antè*, ſivè *immediatè poſt* Sacramentalem Confeſſionem prædicta præſtat ſollicitando, ut ſuprà; 3. venit ille, qui *prætextu*; vel *occaſione* confeſſionis Sacramentalis, etiam *confeſſione non ſecutâ*, prædicta præſtat, ut ſuprà; 4. venit ille, qui *extrà occaſionem* confeſsionis; in *Confeſſionario*, ſeù in *quocumque alio loco*, ubi audiri ſolent Confeſsiones Sacramentales, *ſimulando audire ibi Confeſſiones*, prædicta præſtat, ut ſuprà; 5. venit ille, qui ſivè in actu Sacramentalis Confeſsionis, ſivè immediatè antè, ſivè immediatè poſt, habet cum pænitente quoſcumque tractatus, aut ſermones *inhoneſtos*.

Confeſſarius ſollicitans, quôcumque ex prædictis quinque modis; ſicuti eſt de hæreſi ſuſpectus; ità juxtà *Bullam Pauli V.*, quæ incipit: *Romanus Pontifex &c.*, & illam *Alex. VII.*, quæ incipit: *Licèt aliàs &c.*, denunciari debet SS. Inquiſitioni, vel Epiſcopo (inter quos datur locus præventionis) ſinè ullâ prævîâ correctione, vel monitione ſub pænâ excommunicationis majoris latæ, & Papæ reſervatæ; & conſequenter, ſi pænitens ſollicitatus, malitioſè non denunciat; incurrit ipſo facto in talem excommunicationem, à quâ, extrà mortis articulum, abſolvi non poteſt, niſi

niſi à ſolò Papâ, vel ejus Delegato; & ſi Confeſſarius quicumque, talem abſolveret extrà mortis artic ulum, mortaliter peccaret, & incurreret in excommunicationem *ex vi Edicti SS. Inquiſitionis*; & in foro externo puniri poſſet ab Epiſcopo, vel Inquiſitore; & hoc totum intelligendum eſt, non ſolùm ſi pænitens ſollicitatus, non conſenſit ſollicitationi, ſed etiam ſi conſenſit; in quo caſu, ideſt, ſi conſenſit; ſi de hoc eſſet improvidè interrogatus in actu denunciationis, non teneretur reſpondere, quia nemo tenetur prodere ſe ipſum, cum id repugnet Juri naturæ.

In ſollicitatione in Sacramentali confeſſione non datur parvitas materiæ ex *Clem. VIII. teſte Dianâ*.

Ille Confeſſarius, cenſetur ſollicitare immediatè antè, vel immediatè poſt Sacramentalem Confeſsionem, quando inter Confeſſionem, & ſollicitationem neque *Confeſſarius*, neque *pænitens* divertitur ad aliud loquendum, vel faciendum; undè ſi *vel antequam pænitens incipiat ſuam Confeſſionem*, ſivè *poſt datam abſolutionem*; Confeſſarius, vel pænitens, ſe divertunt ad colloquendum cum aliis perſonis; vel ad aliquod opus extrinſecum faciendum; licèt Confeſſarius *antè*, vel *poſt* ſollicitet, non eſt denunciandus; cujus potiſsima ratio eſt, quia odioſa, & pænalia numquam ſunt amplianda: *Tho. Hurt. de Inſtit. pag.* 299.

Ille Confeſſarius, cenſetur ſollicitare in confeſsione, *occaſione confeſſionis*, quando talem occaſionem accepit à *confeſſione petitâ* à Perſonâ, quæ *verè* confiteri volebat datâ opportunitate temporis; vel etiam, quando Confeſſarius, ex *occaſione confeſſionis auditæ*, pænitentem poſtmodùm ſollicitat, v.g. ad fornicationem, cum verè Confeſſarius ideò ſic ſollicitet illam puellam ad fornicationem, quia in confeſſione audivit illam fornicatam fuiſſe: ſecùs tamen dic. eſt, ſi inter confeſſionem, & ſollicitationem, eſſet interpollatio plurium dierum: ità *Anacl. in exam. Confeſſ. to. 2. part. 3. qu. 2. n. 511. §. reſp.*

Ille Confeſſarius, cenſetur ſollicitare in confeſsione *prætextu Confeſſionis*, quando inter Confeſſarium, & pænitentem *fit conventio*, ut *aliquo prætextu*, v.g. infirmitatis, pænitens invitet Confeſſarium; vel ut ſe ipſum exhibeat ire ad pænitentem, ut ſub *prætextu, & titulo* confeſsionis Sacramentalis, vacare poſsint impudicitiis quibuſcumque; vel facere tractatus, aut ſermones inhoneſtos: ità *B ord. in man. conſult. ſect. 25. n. 39.*

Ille Confeſſarius, cenſetur ſollicitare in confeſsione *per ſimulationem*

ſionem confeſſionis, quando extrà occaſionem, vel prætextum confeſsionis; in *Confeſſionario*, ſeù in *quócumque alio loco*, ubi audiri ſolent confeſsiones, *ſimulando* audire ibi confeſsiones, ſollicitat quôcumque modo pænitentem ad inhoneſta. Quomodo poſteà intelligi debeat illud ly *ſimulando &c. Ant. à Spir. Sanct.* ait, quod requiritur, quod ex parte *pænitentis* apparere debent *ſigna externa* veræ, & Sacramentalis Confeſsionis; puta, *genuflectendo* antè Confeſſarium, *ſeſignando*, *pectus tundendo*, & hujuſmodi; & quod ex parte *Confeſſarii* per *ſigna externa* fingatur *abſolutio*; quod totum intelligendum eſt, ſi *locus* ſit *publicus*; nam ſi ſollicitatio fieret in *loco privato*; puta, in aliquo cubiculo clauſo, *ſimulando* ibi Confeſsionem Sacramentalem, non eſſent neceſſaria talia ſigna *externa*, neque ex parte Confeſſarii, neque ex parte pænitentis.

Diana *p. 1. tr. 4. reſp.* 18., *& p. 4 tr. 5. reſp.* 38., Bordon. in *Sac. Trib. cap. 23. n. 6.*, & alii quàm plures, dicunt, quod ſi Confeſſarius *extrà confeſſionem*, nec *ſimulando confeſſionem*; ſedens in Confeſsionario, ſollicitaret mulierem antè Confeſsionarium ſtantem, vel ſedentem; dicunt, inquam, quod denunciari deberet, & pro probatione adducunt *unum Decretum Pauli V.* emanatum *die* 10. *Julii anno* 1614., quod incipit: ***In Generali Congregat. &c.***... & ità ſequitur: ***Factâ relatione, quod multi Confeſſarii, tractant cum mulieribus in Confeſſionali*** extrà occaſionem confeſsionis ***de rebus inhoneſtis; Sanctitas Sua decrevit, ut contrà hujuſmodi Confeſſarios procedatur in Sancto Officio.***

Confeſſarius ſollicitans in confeſsione pænitentem ad quæcumque alia peccata *præter inhoneſta*; licèt non ſit denunciandus ex vi *præcit. Bullæ Greg. XV.*, eſt tamen denunciandus ex vi *Bull. Pauli V., & Alex. VII.* tamquam de hæreſi ſuſpectus, ut cum pluribus aliis tenet *cit. Bordo. n.* 122.; idem dic. eſt de quôcumque Sacerdote ſollicitante in actu adminiſtrationis cujuſcumque alterius Sacramenti.

Quicumque Sacerdos, non approbatus; ſi fingendo ſe eſſe approbatum pro confeſsionibus excipiendis, quôcumque ex prædictis quinque modis ſollicitat; eſt denunciandus ex vi *Bullæ Greg. XV.*, quæ comprehendit omnes Sacerdotes, tàm *diſtributivè*, quàm *collectivè*: ità cum pluribus aliis *Dia. p. 4. tr. 5. reſol.* 8., neque officit, quod in tali caſu, non fiat Sacramentum, quia in *cit. Bullâ* habentur hæc verba: *etiam confeſſione non ſecutâ:*

Secùs dic. de quôcumque alio, qui non ſit Sacerdos; ſi fingendo, ſe eſſe Sacerdotem approbatum, ſollicitat quôcumque ex prædictis quinque modis, licèt aliàs ſit denunciandus tamquam de hæreſi ſuſpectus ex vi *Bull. Pauli V.*, *& Alex. VII.* Ità cum aliis *Leander de Sacram. Pænit. tr. 5. diſp. 13. art. 36.*

Si mulier faceret maleficium amatorium alicui Confeſſario, ad hoc, ut eam ſollicitaret in confeſsione; ſi hic de facto eam ſollicitaret in confeſsione, verè eſſet denunciandus; cujus ratio eſt, quia maleficium nullo modo deſtruere poteſt libertatem arbitrii in homine.

Confeſſarius Monialium ſollicitando Monialem ad cratem, ubi audiuntur confeſsiones, ſed extrà confeſsionem; tunc ſolùm eſt denunciandus, ſi ibi *ſimuletur* confeſsio; aut ſit *prætextu*, vel *occaſione* confeſsionis.

Undecim proponuntur dubia cum ſuis reſolutionibus.

1 An dari poſsit *aliqua temporis præſcriptio*, ultrà quod, pænitens ſollicitatus in Sacramentali Confeſsione, non teneatur ampliùs denunciare Confeſſarium ſollicitantem, eo quia, v. g. per quindecim, vel viginti annos, *invincibiliter ignoravit* obligationem, quam habebat denunciandi? Reſp. *negativè*; & ratio eſt, quia neque in *Bullâ Greg. XV.*, neque in *Conſtit. Pauli V.*, *& Alex. VII.* contrà non denunciantes Confeſſarios in confeſsione ſollicitantes; & contrà non denunciantes Hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, licèt leviter, non invenitur, quod detur talis præſcriptio temporis, quæ excuſare poſsit pænitentem ſollicitatum ab obligatione denunciandi; & conſequenter concludendum eſt, quod de facto; nec detur; nec dari poſsit *talis præſcriptio temporis*: Ad rationem, quam adducit *Felix Poteſtas* (qui cum aliis tenet *affirmativam opinionem*), quod, ſcilicet, cum pertranſierit multum temporis à die, ſivè ab anno ſollicitationis; ideò ſupponi non debere talem ſollicitationem fuiſſe factam &c. Reſp. negando abſolutè *tale ſuppoſitum*; & negationis potiſsima ratio eſt; quia nec etiàm ipſemet Deus (aliàs Omnipotens) poteſt *ingenita facere, quæ jam facta ſunt*, ut ait *Philoſophus* (licèt gentilis) *6. Ethic.*, relatus à Scoto pluribi, & præſertim in *1. diſt. 40. quæſt. un.* Si ergo Deus, qui eſt Omnipotens, *non poteſt ingenita facere, quæ jam facta ſunt*: quomodo hoc facere poterit quæcumque temporis longitudo? Concludendum ergo eſt, quod dari nequeat *præſcriptio temporis*, quæ excuſare poſsit ab obligatione

talis

C

talis denunciationis; undè tunc pænitens ſollicitatus erit obligatus denunciare, quando illi primò innoteſcet talis obligatio denunciandi.

2 An dari poſſit *præſcriptio temporis*, ultrà quod; ſi pænitens ſollicitatus *negligit denunciare*, incurrat in excommunicationem? Reſp. *negativè*, ideſt, quod non datur talis præſcriptio temporis, licèt aliàs non ex vi *Conſtit. prædictorum Summorum Pontificum*, ſed vigore *Edictorum SS. Inquiſitionis*, in quorum aliquibus præſcribitur tempus *duodecim* dierum, & in aliquibus aliis, *quindecim* dierum, ultrà quos; ſi pænitens *denunciare negligit*, incurrit ipſo facto in excommunicationem reſervatam.

3 An dari poſſit *aliqua juſta cauſa*, ob quam pænitens ſollicitatus, eximi poſſit ab obligatione denunciandi? Reſp. 1. quod vix dari poteſt juſta cauſa, per quam ceſſare poſſit talis obligatio ratione maximè ſtrictiſſimi ſecreti Tribunalis SS. Inquiſitionis. Reſp. 2., quod ſi opinari poſſet aliqua juſta cauſa; teneretur Confeſſarius antequam pænitentem abſolveret à peccatis, conſuleret *Sac. Cong. Inquiſ.*, quid in tali caſu agendum, & ſecundùm ejus reſponſionem ſe gerere.

4 An pænitens ſollicitatus, *malitiosè* non denuncians, incurrat in excommunicationem *Papæ* reſervatam? Reſp. *affirmativè* vigore *Conſtit. Pauli V.*, & *Alex. VII.*, eo quod Confeſſarius ſollicitans, eſt de hæreſi ſuſpectus.

5 An in caſu, quo pænitens ſollicitatus *malitiosè omiſerit denunciare*; poſſit eum Confeſſarius interim abſolvere à peccatis, & poſteà eum remittere ad Inquiſitorem; vel debeat illum priùs mittere ad Inquiſitorem pro abſolutione ab excommunicatione, & ex poſt eum abſolvere à peccatis? Reſp., quod ſi pænitens ſollicitatus omiſit etiam malitiosè denunciare, & jam præteriit terminus dierum aſſignatorum in Edicto Inquiſitoris pro denunciandis reis; Confeſſarius non poteſt abſolvere talem pænitentem ſollicitatum à peccatis, niſi priùs accedat ad Sanctum Officium ad adimplendam ſuam obligationem denunciandi; & ratio eſt, quia propter omiſſam denunciationem, contraxit excommunicationem reſervatam: ſi poſteà non expiravit tempus pro denunciatione; utique poteſt Confeſſarius talem pænitentem abſolvere à peccatis, dummodo promittat denunciare infrà terminum præſcriptum.

6 An Confeſſarius, abſolvere audens pænitentem ab alio Confeſſario ſollicitatum, nullâ appoſitâ obligatione denunciandi, in-

 currat

currat in excommunicationem? Reſp. *affirmativè*, & hoc vigore Edicti Inquiſitoris, qui etiam poteſt illum punire in foro externo.

7 An ſit denunciandus Confeſſarius, *ſi ſollicitatus à pænitente*, ſollicitationi conſenſerit? Reſp. *negativè* cum *Donato to. 3. tr.13. q.56.*, *& pluribus aliis*, quorum ratio eſt; quia *Bulla Greg.* ſolùm loquitur de pænitentibus *ſollicitatis*; & non de pænitentibus *ſollicitantibus*; cum aliàs pænalia numquam ſint amplianda: Addo; quod ſicuti pænitens ſollicitans, teneretur exprimere in denunciatione modum ſollicitationis; conſequenter, ne in re tàm gravi eſſet perjurus cum notabiliſſimo Confeſſarii damno, deberet prodere ſe ipſum; ſed hoc repugnat Juri naturæ, quod prævalet cuicumque Juri Eccleſiaſtico: ergo &c.

8 An ſi ipſe Confeſſarius, & pænitens *adinvicem ſe ſollicitent*, primò tamen *pænitens*; & poſteà *Confeſſarius*; iſte denunciari debeat? Reſp. *affirmativè*; & hoc licèt adfuerit interruptio, ſivè *directa*, diſentiendo per actum contrarium; ſivè *indirecta*; pænitentem ad alia divertendo; ſivè ipſum pænitentem ad aliam ſpeciem luxuriæ, à quâ fuit ſollicitatus, ſollicitando: ità *Leander*, & *Bord.*; & ratio eſt, quia omnibus prædictis tribus modis, Confeſſarius ad *minimum* habuit tractatum *inhoneſtum* cum pænitente in actu Sacramentalis Confeſſionis.

9 An ſi ſollicitatus ad *copulam*, det conſenſum ſolummodo pro *oſculis*, & *tactibus*, denunciari debeat? Reſp. *affirmativè* propter eandem rationem: ità *Diana* cum pluribus aliis.

10 An pænitens, qui *conſenſit ſollicitationi*, teneatur denunciare? Reſp. *affirmativè* cum *Donato tom. 3. tract. 13. qu. 51.*, qui etiam refert, ità declaratum fuiſſe à *Sac. Cong. Inquiſ. die 27. Septem. 1624.*

11 An quando *verba*, vel *ſigna* pro ſollicitatione ſunt *dubia*, adſit obligatio denunciandi? Reſp. *negativè*; & ratio eſt, quia ex vi *Bullæ Greg.*, ſolummodo puniri poteſt ſollicitatio *certa*, & non *præſumpta*; & conſequenter *certa*, & non *dubia*, aut *præſumpta* ſollicitatio denunciari debet: ità etiam *Bord. n.59.*, *& 61. in man. conſult. ſect. 25.*

Alex. VII. Propoſ. dam. 6. in ordine: Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione, tribuit pænitenti chartam poſteà legendam, in quâ Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione; & conſequenter non eſt denunciandus; & propo. 7.

7. Mo-

7. *Modus evadendi obligationem denunciandi, eſt, ſi ſollicitatus confiteatur Confeſſario ſollicitanti, qui poteſt eum abſolvere ſine onere denunciandi.*

Confirmatio, *eſt Sacramentum novæ legis, quod confirmat ſuſcipientem in fide*: Hoc Sacramentum, fuit à Chriſto Domino inſtitutum in ultimâ Cœnâ, ut deſumitur ex authoritate *S. Fabiani Papæ, qui in epiſt. 2. ad Orientales cap. 1.* ſic ſcribit: *In illâ die: Dominus Jeſus Chriſtus, poſtquam cenavit cum Diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes*, (ſicuti à Sanctis Apoſtolis, prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) *Chriſma conficere docuit*. Hoc Sacramentum, ſicuti non eſt neceſſarium neque neceſſitate medii, neque neceſſitate præcepti; ſic illius omiſſio citrà ſcandalum, vel contemptum, aut indigentiam ad ſuperandas graves tentationes contrà fidem, non cadit ſub mortali: materia remota hujus Sacramenti eſt Chriſma; proxima eſt unctio: Forma ſunt verba, quæ dicit Miniſter, dùm ungit: Miniſter ordinarius eſt Epiſcopus, qui debet eſſe conſecratus: ex commiſſione Papæ etiam ſimplex Sacerdos; ſecùs dic., ſi non eſt Sacerdos, licèt etiam eſſet Cardinalis; Subjectum eſt quilibet Homo baptizatus, etiam antè uſum rationis; immò etiam amens, dummodo non conſtet incidiſſe in amentiam in peccato mortali: Epiſcopus delegare nequit ſimplicem Sacerdotem, ad miniſtrandum ſuis ovibus hoc Sacramentum; nam licèt delegare poſſit ad ea, quæ ſunt *ſuæ juriſdictionis*; delegare tamen non poteſt ad ea, quæ ſunt *Ordinis*, vel *Officii ſui*. Hoc Sacramentum *imprimit characterem*; undè reiterari non poteſt *ſcienter* ſinè ſacrilegio, tàm in Miniſtro, quàm in ſubjecto; non incurritur tamen *irregularitas*, ut eſt communior DD. opinio: Circà Patrinos; idem dic. eſt, ac de Patrinis in Baptiſmo, licèt debeant eſſe alii ab illis; & ſi non ſunt confirmati, non contrahunt cognationem ſpiritualem: ſuſcipere Ordines antè hoc Sacramentum, non eſt niſi veniale, ut cum pluribus aliis tenent *Barbo. ex Trid. ſeſſ. 23. de ref. cap. 5. n. 2.*, & Layman *l. 5. tr. 3. c. 5. n. 4.*

Hæretici moderni, & præſertim Lutherani Magdeburgenſes ſicuti negant *Sanctum Confirmationis Sacramentum*; ſic dicunt, eſſe inventum humanum, à *S. Urbano Papâ* inductum, & *C. 3. cap. 19. col. 277.* dicunt, quod conſtituit *Confirmationem* poſt *Baptiſmum*; *ſed blaſphemè* dicit *per manus impoſitionem Epiſcoporum accipi Spiritum Sanctum, & plenè Chriſtianos fieri*.

Sed

Sed ipſi Hæretici evidentiſſimè, pleno ore mentiuntur, & non blaſphemavit *S. Urbanus*; nam *Tertull.*, qui vixit, & obiit antequam S. Urbanus eſſet in rerum naturâ pluribi, ut in *lib. de reſurrect.*, *de Præſcript.*, *de Baptiſ.* digniſſimam commemorationem facit de *S. Confirmationis Sacramento*. Fuit ergo à Chriſto Domino inſtitutum, & in uſu tempore Apoſtolorum, ut patet ex *Act. Apoſt. cap. 8.*, *& cap. 19.*, & ex authoritate plurium Sanctorum primitivæ Eccleſiæ Orthodoxorum Patrum, inter quos *S. Clementis*, qui fuit tertius poſt S. Petrum, Romanus Pontifex: Hic enim in *epiſt.* 4. ſic ſcribit: *Omnibus feſtinandum eſt ſinè morâ renaſci Deo, & demùm conſignari ab Epiſcopo ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam percipere ... quia aliter perfectus Chriſtianus nequaquam poteſt* ..., ut à Beato Petro accepimus; & cæteri Sancti Apoſtoli docuerunt. Iſtis ergo Hæreſiarchis, & Hæreticis benè congruit illud *Senecæ* dictum *lib. 2. de irâ cap. 29. Multi mentiuntur, ut decipiant; multi, quia decipiuntur.*

Circà Sanctum *Confirmationis* Sacramentum, tres extant *Trid. Canones*, & ſunt ſequentes. *Seſſ.* 7.

1 Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otioſam ceremoniam eſſe, & non potiùs verum, & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm Cathecheſim quamdam, quâ adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coràm Eccleſiâ exponebant, anathema ſit.

2 Si quis dixerit, injurioſos eſſe Spiritui Sancto eos, qui Sacro Confirmationis Chriſmati, virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit.

3 Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.

Conſcientia, ut eſt regula actuum humanorum, *eſt dictamen rationis, oſtendens Homini, quid faciendum ſit, vel omittendum*: ità in re communiter: quintuplex eſt; nempè: *recta*; *erronea*; *dubia*; *probabilis*; *ſcrupuloſa*, de quibus ſingillatim infrà.

Conſcientia recta *eſt, quâ quis prudenter determinatè judicat id, quod eſt bonum in genere moris, eſſe bonum; & id, quod eſt malum in genere moris, eſſe malum*: Conſcientia *recta* adeò obligat, ut ſemper quis peccet, niſi illam ſequatur in operando, quando

dictat

dictat aliquid eſſe faciendum, vel omittendum ſub præcepto, ut eſt communis DD. ſententia.

Conſcientia erronea *eſt, quâ quis*, imprudenter *determinatè judicat id, quod eſt bonum in genere moris, eſſe malum; vel è contrà*: Duplex eſt: vincibilis, & invincibilis: *invincibilis* eſt illa, cujus error, etiam adhibitâ diligentiâ morali, ſuperari non poteſt; *vincibilis* eſt illa, cujus error, adhibitâ morali diligentiâ, ſuperari poteſt.

Conſcientia erronea, ſivè vincibilis, ſivè invincibilis, præcipiens aliquid faciendum, vel ommittendum, obligat *negativè*, ideſt, ne contrà eam operemur, juxtà illud *Apoſt. Ad Rom. c.* 14. *Omne, quod non eſt ex fide* (ideſt ex *dictamine conſcientiæ*, ut explicant communiter DD.) *peccatum eſt*: immò, ſi eſt *vincibilis*, eſt peccatum, operando, tàm *juxtà*, quàm *contrà* conſcientiam; cujus ratio, quò ad primam partem, eſt, quia *ignorantia vincibilis*, numquam excuſat à peccato, ut omnes Theologi fatentur; &, quò ad ſecundam partem, ratio eſt; quia, qui operatur contrà dictamen propriæ conſcientiæ, ſemper malè agit, dummodò tamen talis operatio, ſit *libera*, cum nullum dari poſſit peccatum, quin ſit *liberum*, & *voluntarium* in ſe, vel in ſuâ causâ; vel niſi operans, *angatur ſcrupulis*, faciendo opus *licitum* (aliàs credens eſſe *licitum*), licèt ſcrupulo angatur, quod ſit *illicitum*.

Conſcientia *invincibiliter* erronea non ſolùm obligat *negativè*, ne, ſcilicet, contrà eam operemur; ſed etiam obligat *poſitivè*, ut, ſcilicet, eam ſequamur: ità *Scotus* 2. *in Report. diſ.* 39., & communiter DD., & ratio eſt; quia conſcientia *invincibiliter* erronea ità ſe habet in operante, ac conſcientia *recta*; ſed conſcientia *recta* obligat & *negativè*, & *poſitivè*: ergo &c.

Regulariter loquendo; nemo tenetur, quando eruditior eſt factus, exprimere in confeſſione *circumſtantiam conſcientiæ erroneæ*, niſi in duobus caſibus: 1. quando ſecum affert aliam circumſtantiam, quæ augere, vel minuere faciat numerum peccatorum ejuſdem ſpeciei, aut mutantem ſpeciem peccatorum; 2. quando putabat (licèt falsò), quod peccatum commiſſum haberet annexam aliquam cenſuram.

Conſcientia dubia, *eſt illa, quâ quis determinatè neſcit, an aliquid ſit bonum, vel malum in genere moris, ſivè ſuſpendendo aſſenſum ad utrumque, ſivè poſitivè dubitando*.

Con-

Conſcientia dubia dividitur, in *ſpeculativè* dubiam; & in *practicè* dubiam: *ſpeculativè* dubia eſt, quando dubium verſatur circà aliquid, an ſcilicet, ſic ſe habeat, nec ne, non quærendo tamen directè, & immediatè de praxi, ideſt, de actione humanâ, an ſcilicet, ſit licita, vel illicita; puta, de voto certè emiſſo, an, ſcilicet, concurrerint omnes illæ conditiones, quæ requiruntur, ad hoc, ut votum ſit validum: *Practicè* dubia eſt illa, quæ directè, & immediatè dubitat de praxi, ideſt, de actu humano; puta, an transgreſſio voti certò emiſſi, & validi, ex causâ parvitatis materiæ, vel alterius circumſtantiæ, excuſetur à peccato mortali.

Item conſcientia dubia dividitur in conſcientiam *opinativè* dubiam; & *negativè* dubiam: *opinativè* dubia eſt, quando pro utràque parte dantur opiniones probabiles, ità ut intellectus præſtare poſſit prudentem, ac probabilem aſſenſum tàm uni parti, quàm alteri: *negativè* dubia eſt, quando pro neutrâ parte datur opinio probabilis, eo quia, rationes allatæ pro unâ parte, taliter enervantur à rationibus alterius partis, ut intellectus præſtare nequeat prudentem, ac probabilem aſſenſum nec uni parti, nec alteri.

Ex prænotàtis ſequitur primò, quod operari cum *conſcientiâ practicè dubiâ*, ſemper eſt peccatum, ſivè mortale, ſivè veniale, pro ut, materia, circà, quam verſatur dubium, eſt gravis, vel levis: ità communiter cum *Scoto quæſ.2. Prologi in fine*; & ratio eſt, quia, qui voluntariè ſe exponit periculo offendendi Deum, Deum offendit, juxtà illud *Eccleſ.cap.3. Qui amat periculum, peribit in illo*. Tale autem peccatum ſivè mortale, ſivè veniale pertinet ad illam ſpeciem peccati, de quo eſt dubium, ut communiter tenent Theologi cum *cit. Scoto*.

Sequitur ſecundò, quod operari cum *conſcientiâ ſpeculativè dubiâ*; aliquando non eſt peccatum, ut quando tale dubium *practicè* deponitur propter aliquod rationabile fundamentum; & ratio eſt, quia regula actuum humanorum in genere moris ſpectatorum, non debet eſſe *notitia ſpeculativa*, quæ in ſolâ objecti veritate cognoſcendâ conſiſtit, ſed debet eſſe *practica*, quæ eſt illa, quæ omnium circumſtantiarum qualitatem, & cognitionem perpendit; & conſequenter eſt ſequenda. Sit exemplum: Titius *ſpeculativè* dubitat, an res, quam poſſidet, ſit ſua, nec ne? In tali dubitatione ſpeculativâ, poteſt practicè judicare, ſibi de facto illam rem, retinere poſſe; & ratio eſt, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, ut communiter Theologi, & Juriſperiti

tenent

tenent cum *Scoto in 4. diſt.30. q. 1.* Adv. tamen eſt, quod quando dubium, ſivè *ſpeculativum*, ſivè *practicum*, remanet *æquale* etiam poſt adhibitam diligentiam; tunc ſi *præceptum eſt in poſſeſſione*; tenetur quiſque ſequi partem, quæ favet *præcepto*; & ſi *libertas eſt in poſſeſſione*; ſequi poteſt partem, quæ favet *libertati*. In *dubio* posteà *æquali*, ſivè *ſpeculativo*, ſivè *practico*; quid de duobus ſit faciendum (remanente, poſt adhibitam diligentiam, æqualitate dubii), poteſt quis ſequi illam partem, quæ ei in Domino melior eſſe videbitur, tamquam fundatus in opinione probabiliter probabili.

Quid posteà agendum ſit, quando conſcientia eſt *opinativè* dubia; & quando eſt *negativè* dubia? prænotandum eſt, quod quatuor modis evenire poteſt *dubium*, tàm *opinativè*, quàm *negativè* ſumptum; & primò circà *commiſſionem*; an, ſcilicet, quis commiſerit unum peccatum, v. g. furtum, nec ne; 2. circà *quantitatem*; quis enim eſt certus de furto, à ſe facto; ſed eſt dubius, an quantitas ſit taliter gravis, quod attingat materiam peccati mortalis; 3. circà *qualitatem*; quis enim eſt certus de furto gravi, à ſe facto; ſed eſt dubius, an ſit ſimplex furtum, vel rapina propter aliqualem violentiam, factam in furando; 4. circà *abſolutionem*; quis enim eſt certus de furto gravi, à ſe facto, & cum notabili violentiâ; ſed eſt dubius, an tale peccatum ritè confeſſus fuerit, nec ne. His prænotatis ſit.

Quando dubium verſatur circà *qualitatem*; & eſt de materiâ mortaliter peccaminoſâ, ſemper remanet obligatio, confitendi tale peccatum; non ſolùm quando dubium eſt *negativum*; ſed etiam quando eſt *opinativum*, ut eſt communis Theologorum conſenſus.

Quando dubium eſt *opinativum*, & verſatur circà *commiſſionem*, vel *quantitatem*, vel *abſolutionem*, poteſt quis ſequi illam partem, quæ ſibi magis placet (dummodo non adverſetur ſenſui alicujus ex *Propoſitionibus dam. ab Alex. VII., & Innoc. XI.*, ut dicetur infrà (cum de *conſcientiâ probabili*; & etiam inferiùs ponentur); & ratio eſt, quia quando pro uno caſu dantur duæ opiniones probabiliter probabiles, & inter ſe oppoſitæ; poteſt quis tutâ conſcientiâ, ſequi illam, quæ ſibi magis placet, ut communiter tenent DD.

Quando dubium eſt *negativum*, & verſatur circà *commiſſionem*, vel *quantitatem*, vel *abſolutionem*; juxtà communiorem,

 & pro-

Digitized by Google

& probabiliorem DD. ſententiam, quiſque tenetur ſequi opinionem, magis tutam, licèt aliàs *Caramuel in Theol. Moral. lib. 3. cap. 5. diſp. 4. art.* 1. dicat, quod poteſt quiſque ſequi illam partem, quæ ſibi magis placet; & conſequenter, quod ſi vult, omittere confeſſionem poteſt, eo quod, in tali caſu; licèt ſit materia confeſſionis; non eſt tamen materia neceſſaria. Idem poſteà *Caramuel* hanc ſuam opinionem ſic probat: *Non poteſt eſſe certior obligatio confitendi aliquod peccatum, quàm ſit fundamentum talis obligationis; ſed fundamentum eſt negativè dubium: ergo & obligatio eſt negativè dubia; ſed fundamentum negativè dubium eſt nullum: ergo & obligatio negativè dubia, eſt nulla.* Addit tamen idem *Caramuel*, quod in caſu mortis, tutior pars eſt eligenda pro aſſecuratione æternæ ſalutis.

Quæritur primò: quomodo ſit intelligendum illud Vulgatum, ideſt, *in dubiis tutior pars eſt eligenda?* Reſp., quod hæc regula, aliquando habet *vim præcepti*; & aliquando *ſolùm conſilii*: Habet *vim præcepti*, quotieſcumque dubium, ſivè *Juris*, ſivè *Facti* ſpectat ad *valorem Sacramentorum*; vel quando agitur de *periculo gravis damni in proximo*: in aliis caſibus, non habet vim præcepti, ſed ſolùm conſilii; niſi tamen *aliqua lex præciperet*, ut tutior pars eligenda eſſet.

Quæritur ſecundò: quomodo intelligendum ſit illud commune dictum; nempè: *Dubia in meliorem partem ſunt interpretanda?* Reſp., quod facta dubia, quæ referri poſſunt in duas partes, inter ſe oppoſitas, ideſt, in bonam, & in malam partem; debet unuſquiſque illa interpretari in bonam partem; cum id ſuadeant duo præcepta, unum, de *diligendo proximo*; & alterum, de *non judicando*.

Quæritur tertiò: quomodo ſit intelligendum illud: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis?* Reſp., quod hæc regula habet locum, non ſolùm in *materia juſtitiæ*, ut eſt in confeſſo apud omnes *Theologos*, & *Juriſprudentes*; ſed etiam in *materiâ libertatis*, ut dixi ſuprà.

Addo ultimò cum *Tamburino*, quod quando quis operatur cum conſcientiâ dubiâ, ſed *in confuso*; non advertens *actualiter* ad periculum, cui ſe exponit offendendi Deum; non peccat mortaliter, ſi aliquid facit; vel omittit illud facere in dubio, an ſit peccatum mortale, vel veniale.

Conſcientia probabilis *eſt illa, quâ quis, ex aliquibus rationibus non levibus, vel ex DD. authoritate aſſentitur uni parti, cum*

C

cum formidine tamen oppoſiti: ità in re communiter: Habet ſuam latitudinem; nam alia eſt *probabilior*; alia *minùs probabilis*; & alia *tenuis probabilitatis*: *Probabilior* eſt illa, quæ majori fulcitur fundamento; & efficacioribus firmatur rationibus: *Minùs probabilis* eſt illa, quæ licèt habeat fundamentum ſufficiens ad probabilitatem; non tamen tàm firmum, ut habet altera opinio: *Tenuis*, ideſt, *tenuis probabilitatis* eſt illa, quæ licèt habeat probabilitatem apparentem; plures tamen Viri Sapientes, de ejus probabilitate dubitant; ſeù eſt illa, de cujus probabilitate ſecundùm *Jo. de Cardenas in Criſ. Theol. ad tertiam propoſ. damn. ab Innoc. XI. cap. 5. nu. 34.* eſt illa, inquam, de *cujus probabilitate, meritò dubitatur*; quapropter opinio *tenuiter probabilis ab Innoc. XI. damnata*; idem eſt in re, ac opinio *dubiæ probabilitatis*. His prænotatis ſit.

Licitum eſt ſequi opinionem verè probabilem in *materiâ juris*, puta; an hæc, vel illa operatio ſit licita, & honeſta, ita quod ſinè peccato fieri poſſit: Hæc opinio eſt communis inter Theologos; & ratio eſt, quia cum in moralibus, non ſemper haberi poſſit *omnimoda certitudo per rei evidentiam*; conſequenter ſufficere debet *certitudo ex probabilibus*; aliter vix quidquam *prudenter* fieri poſſet; undè juremeritò *Alex. VIII. prop. dam. 3. in ordine* ſic: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles, probabiliſſimam.*

Eſt etiam licitum ſequi illam opinionem, quæ cuique plus placet in concurſu duarum opinionum, *æquè* probabilium, ut eſt communis Theologorum, atque Juriſtarum ſententia; quorum potiſſima ratio eſt, quia in *oppoſitum*; nulla unquam aſſignari poterit ratio quietativa intellectus, & conſequenter &c.

Ulteriùs licitum eſt ſequi opinionem, verè probabilem in concurſu probabilioris, immò tutioris (loquendo tamen de actibus humanis in materia juris), puta, an hæc, vel illa operatio ſit licita, & honeſta; ita quod abſque peccato fieri poſsit, ut dixi ſuprà: ſecùs tamen dic. eſt *in materiâ facti*, puta, an Medico licitum ſit in curando infirmo, ſequi ſententias dubias licèt probabiles, relictis probabilioribus, & tutioribus. Concluſio circà hanc ſecundam partem, ideſt, *in materiâ facti*; ſicuti eſt vera, ita eſt communis inter DD.; & conſequenter non indiget probatione. Circà primam, ideſt, *in materia juris*; eſt communior inter Theologos, demptis paucis ſimul cum Canoniſtis: ratio pro hujus aſſertionis confirmatione eſt; quia (loquendo de actibus humanis *in materiâ*

riá juris) qui ſe conformat dictamini conſcientiæ verè probabilis, nullo modo ſe exponit periculo, inferendi aliquod nocumentum, neque ſibi ipſi, neque aliis, ut communiter docent Theologi, & conſequenter quiſque eam tutâ conſcientiâ, ſequi poteſt, excepto tamen Judice, qui judicare non poteſt juxtà opinionem minùs probabilem, nec etiam in materiâ juris, ut educitur ex propoſitione damnatâ ab Innoc. XI. ſecundâ in ordine, & infrà ponenda. Hoc addo, quod etiam ipſimet Summi Pontifices, quandoque ſecuti ſunt *opinionem probabilem* relictâ *probabiliori*, & *magis tutâ*; ut inter alios refert *Sannig. tom. 1. Scholæ Theol. tr. 7. diſt. 5. nu. 7.*, præmittens tamen *in nu. 4.*, hanc opinionem non eſſe revocatam *per Decretum Innoc. XI.*, quia prima, & tertia propoſitio in tali decreto damnatæ (quæ ad propoſitum præ cæteris faciunt), loquuntur *generatim*; & etiam de *Sacramentis*; vel de *opinionibus tenuis probabilitatis*; vel de iis, quæ verſantur circà *Myſteria fidei in credendo*; vel etiam circà *adminiſtrationem Sacramentorum*, contrà quas propoſitiones damnatas; etiam interiùs in corde ſolùm opinari, nefas eſſet.

Addo tamen; quod licèt licitum ſit, ſequi opinionem *verè*, ideſt, *probabiliter probabilem*, etiam relictâ *probabiliori*, & *magis tutâ*, quando tamen verſatur *circà materiam juris*; illam tamen non ſequi, multoties expediens eſt, juxtà illud *Apoſt. in 1. ad Corin. cap. 6. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*. Cæterum dico, quod Confeſſarii debent in adminiſtratione Sacramenti Pænitentiæ, mente retinere illas tres regulas, traditas à *Scoto in 4. diſt. 3. qu. 2. §. 3. de forma ℣. Circà iſtum*. Prima; *ſi poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eligenda eſt*; Secunda; *ſi non adeſt poſſibilitas; via tutiſſimæ proxima, eſt eligenda*; Tertia: *Ceſſante poſſibilitate*; cautè eſt ſupplendum, *quod impoſſibilitas prohibet*.

Conſcientia ſcrupuloſa *eſt illa, quâ quis ex levibus indiciis, & conjecturis, judicat quaſi de qualibet re, quod ſit peccatum*; eſt licitum operari contrà dictamen conſcientiæ ſcrupuloſæ (ut communiter docent Theologi cum Juriſprudentibus); & ratio eſt evidens; nam, cum conſcientia ſcrupuloſa, ſolùm nitatur levibus, ac frivolis rationibus; conſequenter ejus judicium, eſſe non poteſt, niſi imprudens, & imperfectum; ac proindè non ſolùm *licitè*, ſed etiam *prudenter*, illi reſiſti debet.

Alex. VII. propo. dam. 26. in ordine: *Quando litigantes habent*

bent pro ſe opiniones æquè probabiles; *poteſt Judex, pecuniam accipere pro ferendâ ſententiâ in favorem unius præ alio; & propo. 27.*

27. *Si liber ſit alicujus jun**oris, & moderni; debet* opinio *cenſeri* probabilis, *dùm non conſtat, rejectam eſſe à Sede Apoſtolicâ, tamquam improbabilem.*

Innoc. XI. propo. dam. 1. in ordine. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis, ſequi opinionem *probabilem* de valore Sacramenti, relictâ tutiori, *niſi &c. & propo. 2.*

2. *Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxtà* opinionem, *etiam* minùs probabilem; *& propo. 3.*

3. *Generatim; dùm probabilitate, ſivè intrinſecâ, ſivè extrinſecâ*, quantumvis tenui; *modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus*, ſemper prudenter *agimus; & propo. 4.*

4. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis, non credens, ductus* opinione minùs probabili.

Conſenſus (ut eſt efficax approbatio), *eſt duorum, vel plurium in idem placitum, & voluntas*: Triplex eſt; nempè: *formalis; virtualis; & interpretativus*; & ſic ſe habet etiam diſſenſus, ut ex *Bart. in l. 1. ff. de Vulg., & ex Gloſſ. in l. Item quia ff. de pact., & ex Text. in l. Prætor ff. de novi operis nunciat.*

Si conſenſus præſtatur in rem, moraliter bonam, eſt meritorius; ſi in rem, moraliter malam; eſt peccaminoſus, ſivè mortaliter, ſivè venialiter, prout materia eſt gravis, vel levis; & ſi eſt cauſa cujuſcumque damni in proximo; conſentiens tenetur ad reſtitutionem, vel compenſationem ad ratam; & etiam in ſolidum, ſi principalis non reſtituit; vel compenſat.

Conſenſus: ad hoc, ut ſit validus pro contractibus; quatuor conditiones habere debet: 1. quod ſit liber; 2. quod ſit promiſſorius, ideſt, quod præſtetur cum animo, ſe obligandi; 3. quod ſit expreſſus aliquo ſigno externo; 4. quod ſit expreſsè acceptatus ab altero, cum quo ſit contractus.

Conſuetudo (quæ Juremeritò à Juriſprudentibus appellatur: *optima Juris interpres*, ut habetur ex *Tex. in l. 33., & l. 37. ff. de legib.*) *eſt Jus non ſcriptum, ortum ex longo, & continuato uſu* rationabili; aliter eſſet abuſus, & corruptela.

Conſuetudo generatim ſumpta, tripliciter dividitur; nempè: in conſuetudinem *præter legem*; in conſuetudinem *ſecundum legem*;

gem; & in conſuetudinem *contrà legem*. Conſuetudo, quæ eſt *præter legem*, conſtituit novum Jus, ubi deeſt lex. *C. Conſuetudo diſt.* 1. Conſuetudo *ſecundum legem*; Jus dubium interpretatur; undè dicitur: Optima legum interpres *c. fin. de conſuetudine*; & *l. de quibus* 32. *ff. de legib.* Conſuetudo *contrà legem*, tollit legem, non quidem naturalem, aut Divinam, ſed humanam, ſivè ea ſit *Canonica*, ſivè ſit *Civilis*, dummodo ſit juſta, & rationabilis, ut apparet ex Textibus nunc citatis.

Conſuetudo ad hoc, ut *habeat vim legis*; tres conditiones habere debet: 1. quod ſit rationabilis; 2. quod ſit de conſenſu Conditoris legitimè præſcripta, ideſt, ſaltem ad decennium; 3. quod ejus actus, ſint voluntarii, frequentes, publici, notorii; & à majori, & ſaniori parte Communitatis facti.

Licèt Conſuetudo *legitimè præſcripta* dari poſſit contrà leges non ſolùm Civiles, ſed etiam Canonicas; numquam tamen dari poteſt contrà Jus Divinum, neque naturale, neque poſitivum, neque contrà Jus Gentium: Ad hoc poſteà, ut dici poſſit ly *legitimè præſcripta*; præter *decennium*, requi itur etiam *bona fides*, ut ait *Pirbing. lib. 1. tit. 4. de conſuetud.* §. 8.; & ratio eſt evidens, quia, ſcilicet, *poſſeſſor malæ fidei*, numquam præſcribere poteſt; ſed ad *juſtam præſcriptionem*, neceſſariò requiritur *bona fides*: ergo &c.

Conſuetudo poſteà (ut reſpicit actus humanos in genere moris ſpectatos, & pro foro interno conſcientiæ) duplex eſt: proxima, & remota: *proxima* eſt illa, *ex quâ ſinè reſiſtentiâ oriuntur prolapſus peccaminoſi*; & de hac intelligitur *propo. dam. ab Innoc. XI.* 60. *in ordine*; & de alterâ 58. in ordine.

Conſuetudo proxima, & occaſio proxima differunt penès unum tantùm; videlicet, quod *occaſio proxima* denotat objectum extrinſecum, ad cujus poſitionem, & præſentiam; ſemper, vel quaſi ſemper ſequitur peccatum: *Conſuetudo* verò *proxima*, ſicuti oritur *ab intrinſeco*, ità ex illâ ſinè ullo objecto extrinſeco, ad peccandum ſollicitante oriuntur prolapſus peccaminoſi; ut patet de aſſuetis ad blaſphemias, maledictiones, verba inhoneſta, & hujuſmodi.

Contractus *ſtrictè* ſumptus; *eſt actus externus inter duos, vel plures, ultrò, citròque obligationem pariens in utròque foro, modò non ſit irritus Jure naturæ, vel poſitivo*: ità ex *tex. in l. 1. §. Contractum ff. de verb. ſignific.* Contractus *largè* acceptus, eſt *duorum, vel plurium in idem placitum, & conſenſus*: ità in *l. 1.*

ff. de

ff. de pactis, & Scotus in 4. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. *§. Ad ſolutio*.

Contractus *propriè* eſt ille, in quo contrahitur obligatio ex utrâque parte; *impropriè*, eſt, in quo contrahitur obligatio ex unâ parte tantùm; *impropriiſſimè*, eſt, in quo ex neutrâ parte contrahitur obligatio. *Jus Civ. l. Contractus C.* 1.

Contractuum ſpecies ſunt plures; & primò dividitur in abſolutum, & conditionatum; 2. in explicitum, & implicitum; 3. in lucrativum, & oneroſum; 4. in gratiam dantis; in gratiam accipientis; & in gratiam utriuſque; 5. in contractum bonæ fidei; & in contractum ſtricti Juris, de quibus ſit.

Contractus *abſolutus*, eſt ille, qui fit *independenter* à quâcumque conditione: *conditionatus* eſt ille, qui fit *dependenter* ab aliquâ extrinſecâ conditione; & conſequenter hujus contractus valor, pendet ab impletione appoſitæ conditionis.

Contractus *explicitus*, ſeù *formalis*, eſt, qui fit cum expreſſâ partium conventione: *implicitus*, ſeù *interpretativus* eſt, qui fit abſque ullâ partium pactione, ut *Tutela*; & hic dicitur: *quaſi contractus*.

Contractus *lucrativus*, ideſt, *liberaliter* factus, eſt ille, in quo nihil rependitur, cujus ſpecies ſunt ſex; nempè: *Promiſſio*; *Commodatum*; *Donatio*; *Depoſitum*; *Mutuum*; *Precarium*; & hùc refferri poſſunt etiam *Teſtamentum*, & *Legatum*, quæ ſunt quædam donationes in diem: *Oneroſus* eſt ille, in quo aliquid reddi debet loco *dati*, vel *præſtati*, & ſunt ſex; nempè: *Emptio*; *Venditio*; *Locatio*; *Conductio*; *Pignus*; *Permutatio*.

Contractus in gratiam *dantis*, ſunt duo: *Depoſitum*, & *Mandatum*; in gratiam *accipientis*, ſunt tres: *Commodatum*, *Mutuum*, & *Precarium*; in gratiam *utriuſque*, ſunt ſex: *Emptio*; *Venditio*, *Locatio*, *Conductio*, *Pignus*, & *Permutatio*.

Contractus *bonæ fidei* ſunt novem: *Commodatum*, *Depoſitum*, *Emptio*, *Venditio*, *Locatio*, *Mandatum*, *Pignus*, *Permutatio*, & *Societas*: dicuntur *contractus bonæ fidei*, quia ſi dolus dat cauſam contractui, ſunt ipſo Jure invalidi, eo quia *bona fides* ſpectatur: ſecundùm aliquos DD. Contractus bonæ fidei ſunt tantùm ſeptem, quia, *emptio*, & *venditio*, non ſunt duo contractus, ſed unus tantùm, licèt reſpectu *vendentis*, dicatur *venditio*; & reſpectu *ementis*, dicatur *Emptio*: ſic etiam *Locatio*, & *Conductio*; nam ſicuti linea recta conſanguinitatis, eſt una tantùm; attamen in eâ Gradus *ſuperiùs Aſcendentium* dicitur *Aſcendens*; & nu-

numerando *inferiùs*; *Gradus Deſcendentium*, dicitur *Deſcendens*: ſicuti etiam apud Philoſophos *Actio*, & *Paſſio* eſt unicus actus, licèt reſpectu *Agentis* dicatur *Actio*; & reſpectu *Paſſi* dicatur *Paſſio*. Contractus *ſtricti Juris* ſunt: *Mutuum*, verborum obligatio, ſeù *Stipulatio*, & hujuſmodi; & ità dicuntur, quia *ſtrictiſſimè* ſunt interpretandi, eo quia proceditur *cum rigore legis*.

Quid poſteà ſit *Dolus*; quotuplex ſit; quomodo, & quando annullet Contractus? Vide ſub verbo ly *Dolus*.

De *quá culpá* teneatur quis in *contractibus*; nota, & benè obſerva tres ſequentes regulas omnium ferè Theologorum, atque Juriſtarum: 1. quando contractus eſt in gratiam ſolius dantis: ut *Depoſitum*, & *Mandatum*; accipiens tenetur ſolùm de *Dolo*, & *culpá latá*; 2. quando contractus eſt in gratiam utriuſque, ut: *Emptio*, *Venditio*, *Locatio*, *Conductio*, *Pignus*, *Permutatio*; accipiens tenetur ſolùm de *dolo*, & *culpá levi*; 3. quando contractus eſt in gratiam ſolius accipientis, ut: *Commodatum*, *Mutuum*, & *Precarium*, accipiens tenetur ſolùm de *dolo*, & *culpá leviſſimá*.

Limitatur tamen hæc regula generalis in nonnu llis caſibus, ut: in *Tutelâ*; nàm licèt ſit in gratiam *ſolius pupilli*; Tutor tamen tenetur de *culpá levi*, ut conſtat ex *l. 1. ff. de Tutelis*: Verùm quidem hiſce temporibus *Tutela*, eſt etiam in gratiam *Tutoris*; cui nunc conſtitui ſolet ſalarium: ſic pariter *Nautæ*, *Stabularii*, *Caupones*, & hujuſmodi; licèt non teneantur de *caſu fortuito*, tenentur tamen de *culpá leviſſimâ* de iis, quæ acceperunt ſervandi in cuſtodiam: hoc autem eſt ſingulare ob publicam utilitatem.

Adv. eſt, quod ſicuti in *Mutuo*, transfertur dominium rei mutuatæ in Mutuatarium; conſequenter hic non ſolùm tenetur de dolo, & culpâ leviſſimâ; ſed etiam de caſu fortuito; & ratio eſt, quia res quomodocumque pereat, ſemper perit Domi no ſuo.

Quid poſteà ſit *culpa* in ordine ad contractus (quæ etiam dicitur *culpa Juridica* ad diſtinctionem *culpæ Theologicæ*) quotuplex ſit, & quomodo intelligi debeat? Vide ſub verbo ly *Culpa*.

Nota, & benè obſerva alias tres regulas: 1. Quando quis tenetur de *culpá leviſſimâ*, ut in *Commodato*, & *Precario*; non poteſt negligere res alienas, ut ſalvet proprias, licèt ſint *æqualis valoris*: ſecùs dic. ſi ſint *majoris valoris*; 2. Quando quis tenetur

de

de *culpâ levì*, ut, v. g. in *Pignore*, *Conductione &c.*, non poteſt negligere res alienas, ut ſalvet proprias *minoris valoris*; ſecùs ſi *majoris*, vel ſaltem *æqualis* valoris; 3. Quando quis tenetur ſolùm de *culpâ latâ*, poteſt negligere res alienas, ut ſalvet proprias etiam *minoris valoris*, dummodo tamen probabiliter non credat, ſe fore reſarciturum, quia in tali caſu debet negligere res proprias *minoris valoris*, ut ſalvet alienas etiam *æqualis valoris*.

Contractus *Mohatra*, eſt venditio cum pacto retrovenditionis prævìè inito, & intentione lucri reſpectu ejuſdem perſonæ, quem contractum *Innoc. XI.* damnavit ut injuſtum.

Contractus *trium contractuum*; nempè: *Societatis*; *Aſſecurationis capitalis*; & aſſecurationis *minoris lucri certi*, pro *majori incerto*, fuit damnatus à *Xiſto V.* per ſuam *Conſtit.*, quæ incipit: *Deteſtabilis avaritia*. Non obſtante tamen tali damnatione (quæ forſitan ex eo fuit damnata, quia tali tempore, non ſervabantur illæ conditiones, quibus ſervatis, talis contractus eſt licitus) hiſce temporibus juxtà opinionem plurium DD. talis contractus eſt licitus, ſervatis tamen ſequentibus quatuor conditionibus: 1. ſincera intentio ineundi prædictos tres contractus, aliter eſſet uſura palliata; 2. quod pro aſſecuratione capitalis, non plùs exigatur, niſi quantum alteri daretur ad redimendum periculum amiſſionis ejuſdem capitalis, aliter eſſet contractus injuſtus; 3. quod pro aſſecuratione *minoris lucri certi pro majori incerto*; tantum alteri dari debeat, quantum ab illo exigi poſſet, juxtà majorem, vel minorem probabilitatem majoris, vel minoris lucri, aliter etiam in hoc caſu eſſet contractus injuſtus; 4. quod pro hac aſſecuratione aliquid detur ad proportionem expenſarum, & laborum, pretio æſtimabilium: defficiente quâcumque ex prædictis quatuor conditionibus talis contractus trium contractuum, ut illicitus haberi debet, & merito à Xiſto V. damnatus.

Contractus innominati, ad quattuor ſpecies reducuntur: 1. *Do, ut des*; 2. *Do, ut facias*; 3. *Facio, ut des*; 4. *Facio, ut facias*: pertinent ad juſtitiam commutativam, quæ exigit idem numero, ſi exiſtit.

De contractibus in particulari; vide ſingillatim diſtributivè, in eorum locis propriis.

Generatim loquendo omnes, & illi ſoli inire poſſunt contractus, qui habent liberam bonorum adminiſtrationem: excipiuntur ſequentes: 1. *Infantes*; 2. *Amentes* quôcumque modo uſu rationis

in actu exercito carentes; 3. *Filii familias* independenter à Parentibus, modo non ſint emancipati, vel niſi de peculio Caſtrenſi, vel quaſi Caſtrenſi; 4. *Uxores* independenter à Maritis, niſi circà Paraphernalia; 5. *Religioſi* ſolemniter profeſſi; 6. *Pupilli pubertati proximi* ſinè authoritate Tutoris, vel Curatoris contrahere nequeunt in ſuum damnum, vel incommodum; ſed ſolùm in ſuum commodum, & utilitatem, ut expreſsè habetur in §. 1. *Inſtit. de authorit. Tutoris*; quod tamen intelligendum eſt pro *ſolo foro externo*, & non de *interno conſcientiæ*.

Pupilli *pubertati proximi* dicuntur illi, qui habent decem annos completos cum dimidio completo; & aliàs deſinunt eſſe in poteſtate Patris, ſivè per ejus mortem, ſivè per emancipationem. *Infantiæ proximi* ſunt illi, qui ſunt ſuprà ſeptennium, ſed infrà decennium; & *Infans* dicitur ille, qui eſt infrà ſeptennium.

Pupilli pubertati proximi cum conſenſu, & authoritate Tutoris, vel Curatoris, poſſunt validè contrahere, ut patet ex *l. Impuberes ff. de authoritate, & conſenſu Tutorum*.

Contritio *eſt animi dolor, ac voluntaria deteſtatio de peccato commiſſo, quatenùs eſt offenſa Dei, cum firmo propoſito evitandi futura ſuper omnia, & præterita confitendi*: ità in re communiter. Sic generatim ſumpta dividitur in perfectam, & in imperfectam: *perfecta* dicitur *contritio*; *imperfecta* dicitur *attritio*.

Contritio, & Attritio conveniunt in omnibus, *excepto motivo*; nam motivum contritionis, eſt *amor Dei puriſſimus*; attritionis verò, eſt *amor Dei imperfectus*, quia ſibi immiſcet aliquid utilitatis: ideoque de contritione dicitur ly *quatenùs eſt offenſa Dei*.

Eſt de fide, quod omnia, & quæcumque peccata, licèt graviſſima, à Deo remittuntur per actum perfectæ contritionis, in voto tamen Sacramenti Pænitentiæ, ut habetur ex *Trid. ſeſſ 14 cap. 4.*, & conſequenter obligat ſub mortali, ex poſt confiteri mortalia, de quibus habuit contritionem. In articulo mortis (ſi quis eſt in peccato mortali, & non poteſt habere Confeſſarium) tenetur ſub mortali ex præcepto charitatis, quâ quis tenetur diligere ſe ipſum propter Deum, elicere actum contritionis in quantum poteſt.

Contritio; licèt ſit actus diſtinctus ab amore Dei ſuper omnia, cum hic ſit actus proſecutionis, ille verò fugæ, ac deteſtationis; amor tamen Dei ſuper omnia, eſt de intrinſecâ ratione contritionis; ità quod elici nequeat, neque ex alia virtute, neque ex alio motivo, quàm perfectæ charitatis.

Non

C

Non poteſt dari perfecta contritio de peccato, quin includat ſaltem virtualiter firmum propoſitum, non peccandi de cætero; nam implicat, quod quis verè doleat de peccato commiſſo; & ſimul, & ſemel habeat voluntatem, illud reiterandi.

Homo, non poteſt habere perfectam contritionem de uno peccato commiſſo, ut eſt offenſa Dei, quin formaliter, vel ſaltem virtualiter, cætera alia deteſtetur; nam repugnat, quod quis poſſit amare Deum ex motivo perfectæ charitatis, & ſimul, & ſemel poſſit velle aliquod peccatum, quod eſt ejus offenſa.

Quamvis homini in peccato mortali exiſtenti, ſit neceſſarium Sacramentum pænitentiæ formale, ut illi remittantur peccata; vel ſaltem actus perfectæ contritionis in voto Sacramenti pænitentiæ; adhuc tamen, in aliquo caſu ſuppleri poteſt per Sacramentum pænitentiæ *virtuale*, quale eſt *Amor Dei ſuper omnia*, ut patet ex verbis Salvatoris in *Luca c. 7. Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*.

Contumacia, *eſt voluntaria inobedientia, quâ quis monitionem Judicis, implere contemnit*. In quibus caſibus contumacia, ſit peccatum mortale? vide ſub verbo ly *Obedientia*.

Contumelia *eſt injuria, quâ alteri obiicitur crimen, vel alius defectus in ejus præſentiâ*: ex genere ſuo eſt peccatum mortale, ſi fit cupido animo graviter offendendi proximum, vel illum valdè dehonorandi; aut ſi crimen eſt grave; & in hoc caſu; ſi crimen objectum eſt falſum, vel occultum, eſt peccatum mortale contrà juſtitiam reſtitutioni obnoxium: tribus modis fieri poteſt contumelia; nempè: *verbo*, *ſcripto*, & *facto*. Contumelioſus tenetur ex juſtitiâ, vel reſtituere honorem, vel petere veniam, vel reſarcire aliquo honorifico modo.

Convitium; licèt ſæpè confundatur cum contumeliâ, ſtrictè tamen ſumptum, differt ab illâ; nam per *contumeliam*, obiicitur *defectus* culpæ; putà, quod aliquis ſit *mendax*, *fur*, *detractor*, & hujuſmodi; per *convitium* verò, obiicitur *defectus naturæ*; puta, quod aliquis ſit *claudus*, *ſurdus*, *luſcus*, & hujuſmodi: ex genere ſuo, non eſt niſi veniale, niſi in caſu, quo convitiatus graviter contriſtetur de hujuſmodi convitiis, & convitiator hoc prævidens adhuc convitiare velit, quia tunc mortale.

Correctio duplex eſt; nempè: *fraterna*, & *judicialis*: iſta eſt, quæ fit à publicâ poteſtate in bonum commune: illa, ideſt, fraterna *eſt monitio ſecreta, vel facta coram teſtibus, ut proximus*

C

à peccato emendetur: Iſta eſt, de quâ habemus ſpeciale mandatum, juxtà illud Salvatoris in *Matt. cap.* 18., & ex genere ſuo obligat ſub mortali, ut ait *Maſtrius in diſp.* 10. *Theol. Moral. num.* 67., & communiter DD., dummodò ſeptem ſimul concurrant conditiones: 1. certitudo peccati; 2. quod ſit grave; 3. quod proximus non ſit emendatus, & adſit probabile periculum reincidentiæ; 4. ſpes fructus; 5. quod nullus alius correxerit, aut effectivè corrigat; 6. opportunitas temporis; 7. quod fieri poſſit ſinè gravi incommodo corrigentis: *gravis repugnantia*, ab aliquibus eſt judicata pro *notabili incommodo*; & *Buſemb.* ait, quod ſi quis ob *timorem*, *puſillanimitatem*, *verecundiam* putaret, ſe non eſſe ſtrictè obligatum, vel eſſe minùs idoneum ad corrigendum, videretur peccare tantùm venialiter.

Circà quartam conditionem, ideſt, *ſpes emendæ*: certum eſt, præmittendam eſſe *correctionem fraternam* antè *denunciationem judicialem*, ſi ſperatur *emendatio*; ſecùs ſi non ſperatur; quapropter non obſtante Superioris præcepto de denunciandis ſibi in viſitatione delictis; non poteſt quis Fratrem denunciare, ſi videt eum jam emendatum, ut ait *Jo: la Crux* 3. *præcep. art.* 2 *nu.* 1. Quomodo poſteà dignoſci poſſit, an correctio fraterna ſit profutura nec ne? Reſp. ex circumſtantiis; puta, ſi ſciat delinquentem eſſe ſuperbum, vel ab aliis monitum, non fuiſſe emendatum; aut ſi ex ejus dignitate, & tui inferiori conditione judices, eum fore tuam correctionem contempturum: in his, & ſimilibus caſibus, poterit quis correctione omiſsâ ſinè peccato, delictum Fratris Superiori revelare: ità *P. Amenus in pract. crim. pag.* 385. *n.*4.

Correctio fraterna diverſimodè fieri debet; conſiderando, ſcilicet, ſi proximus corrigendus, eſt inferioris, vel æqualis, vel ſublimioris conditionis, admonente de hoc *Apoſt. ad Galat. cap.* 6., *ad Theſs. cap.* 2., & *in* 1. *ad Timot. cap.* 3. Excipiuntur tamen caſus non ſolùm hæreſis, ſed etiam levis ſuſpitionis hæreſis, quia in his non datur correctio fraterna, ſed immediatè denunciari debet SS. Inquiſitioni, ut patet ex *Conſtit. Pauli V.*, & *Alex. VII.*

Crimen læſæ Majeſtatis, eſt delictum publicum contrà Principis, vel Reipublicæ Majeſtatem: *l.* 1. *ff. ad l. Jul. Majeſt.*, & arguitur ex *Tacito lib.* 1. *Annal. cap.* 72., & ex *Cicerone lib.* 1. *ad Terrenium*.

Quando eſt contrà ipſam Perſonam Principis dicitur *Perduellio*: *Gloſſa in l. fin.* ℣. *Perduellionis ff. ad legem Jul. Majeſt.*, & ibi DD.

Divi-

C

Dividitur in ſimplex, & qualificatum: *Simplex* tangit aliqualiter Majeſtatem ſinè recurſu ad Hoſtes, ut cudere monetam falſam: *l.* 2. *C. de falsâ monetâ*. *Qualificatum* eſt *Perduellio*; veluti conſpirare contrà Principem; Hoſtes contrà eum concitare; perduellionem, & hujuſmodi: *l.* 1. *§.* 1., *l.* 3., *l.* 4., *l. fin. ff. ad L. Jul. Majeſt.* Hinc quatuor hujus criminis ſunt ſpecies juxtà Gotofredum in *l.* 1. *cap.* 1. *C. ad l. Jul. Majeſt.*

Prima ſpecies, quæ dicitur per ſe *in primo capite*, continet conſpirationem in perſonam Principis; Hoſtes contrà eum concitare, perduellionem, & hujuſmodi; & ſic conſtat ex *l.* 1., *&* 3. *ff. ad l. Jul. Majeſt.* Rei horum criminum, non gaudent Eccleſiaſticâ Immunitate.

Secunda ſpecies, continet violationem debitæ reverentiæ Principi, facto, dicto, ſcripto, Principis ſtatuæ conſpurtatio: *l.* 6., *&* 7. *ff. eodem titulo*.

Tertia eſt turbatæ publicæ poteſtatis, juriſdictionis &c., ut cudendo monetam falſam.

Quarta, eſt offenſæ Majeſtatis, communicatæ ſuis Miniſtris, ut occiſio cujuſcumque Miniſtri Principis ratione Officii: *l.* 1. *§.* 1. *ff. ad l. Jul. Majeſt.*, *l. Quiſquis C. eodem titulo*.

Pœna hujus criminis, eſt infamia, & mors; & ſi crimen eſt *in primo capite*; confiſcantur Bona Rei; ſicque ejus filii, licèt nati antè delictum, privantur ſucceſſione tàm Paternâ, quàm Maternâ: *dicta l. Quiſquis C. ad l. Jul. Majeſt.*, *& ibi DD.*

Culpa duplex eſt; Theologica, & Juridica: *Theologica*, eſt deviatio à rectâ ratione, & lege Dei; & hæc pertinet ad actus humanos, in genere moris ſpectatos: *Juridica*, eſt voluntaria inordinatio actus humani, reſpiciens contractus, & triplex eſt; nempè: *Lata*; *Levis*; *Leviſſima*: tunc dicitur *culpa lata*, ideſt, quod quis teneatur de *culpâ latâ*, quando in operatione, quam facit, non adhibet illam diligentiam, quam communiter adhibere ſolent *diligentes* in ſimilibus operationibus; & conſequenter, ſi hac de cauſâ aliqua res aliena perit, vel fit deterior; quicumque illum accepit, & talem diligentiam non adhibuit, tenetur ad reſtitutionem, ſi talis res periit; vel ad compenſationem, ſi deterior facta fuit: *Culpa levis* dicitur, quando operans in operando, non adhibet illam diligentiam, quam communiter adhibere ſolent *diligentiores* in ſimilibus operationibus; & conſequenter ſi hac de cauſâ aliqua res aliena perit; quicumque illam accepit tenetur ad reſti-

reſtitutionem; & ſi ſit deterior, ad compenſationem: Idem omninò dic. eſt de quòcumque, qui teneatur de *culpâ leviſſimâ*, ſi, ſcilicet, non adhibet illam diligentiam, quam adhibere ſolent *diligentiſſimi &c.* Secundùm aliquos DD., datur etiam culpa latior, & culpa latiſſima: *culpa latior* eſt, quæ æquiparatur *dolo præſumpto*; & culpa *latiſſima* eſt, quæ æquiparatur *dolo aperto*.

D

DAmnum temporale *eſt illud, per quod, quis minùs habet, quam habere deberet*: ità in re communiter: Qui ſint cauſa damni temporalis in proximo; continentur in ſequentibus duobus verſiculis, & ſunt ſequentes.

Juſſio; *Conſilium*; *Conſenſus*; *Palpo*; *Recurſus*.
Participans; *Mutus*; *non obſtans*; *non manifeſtans*.

1 Nomine *Juſſionis* venit ille, qui *præcipit*, vel alterius animum *movet* ad inferendum damnum proximo *injuſtè*; & ſi eſt de re gravi, eſt peccatum mortale contrà juſtitiam; & ſi juſſor habet juriſdictionem in eo, cui præcipit; ipſe principaliter tenetur ad reſtitutionem, vel compenſationem.

2 Nomine *Conſilii* venit ille, *qui ſuo pravo conſilio*, promovet alterum ad inferendum damnum proximo *injuſtè*: idem dic. eſt de *adhortationibus*, *precibus*, *promiſſionibus*, ſi influunt *efficaciter*, taliter quod, non fuiſſet ſecutum tale damnum ſinè tali *conſilio*, *adhortationibus*, *precibus*, *promiſſionibus*; & ſi damnum eſt grave; conſulens, & *prædicti* peccant mortaliter contrà juſtitiam; & conſequenter tenentur ipſi ad reſtitutionem, vel compenſationem, ſi ille, qui intulit damnum non reſtituit, vel compenſat.

3 Nomine *Conſenſus* venit ille, qui, ſuâ *efficaci approbatione*, aut *ſuffragio*, ſivè *voto*, eſt cauſa damni *injuſtè* allati proximo, & peccat mortaliter contrà juſtitiam, ſi damnum eſt grave; & conſequenter remanet obligatus reſtituere, vel compenſare, ſi principalis non reſtituit, aut compenſat, dummodo tamen *conſenſus*, *ſuffragium*, ſivè *votum*, fuerit *cauſa*, ità quod, ſecutum non fuiſſet tale damnum, ſi ipſe non præſtitiſſet ſuum conſenſum, ſuffragium, ſivè votum; ideòque dixi notanter: qui ſuâ *efficaci* approbatione, ſuffragio, ſivè voto.

4 No-

D

4 Nomine *Palponis* venit *Adulator*, qui *laudat* damnificationem injuſtam; aut *commendat* aliquod ſcelus commiſſurum; vel *exprobrat* puſillanimitatem alicujus, qui nullam facit ultionem de acceptâ injuriâ, & hujuſmodi; &, ſi *laudando*, *commendando*, *exprobrando*, eſt cauſa cujuſcumque gravis damni in proximo, ità quod, ſecutum non fuiſſet tale damnum ſinè tali *laudatione*, *commendatione*, aut *exprobratione*, peccat mortaliter contrà juſtitiam, & conſequenter tenetur ipſe ad reſtitutionem, vel compenſationem, ſi principalis non reſtituit, aut compenſat.

5 Nomine *Participantis* venit quicumque *participat* de re alienâ, *injuſtè* ablatâ, vel retentâ; vel eſt *particeps* in quâcumque actione injuſtâ; puta, adjuvando furem quôcumque modo ad furandum: ſi *mala fide* participat, peccat mortaliter contrà juſtitiam, ſi eſt de re gravi; & conſequenter tenetur reſtituere ad ratam, & etiam in ſolidum, ſi principalis non reſtituit: ſi poſteà participat *bonâ fide*: eâdem durante ad nihil tenetur, & adveniente *malâ fide*; id ſolùm, in quo factus eſt ditior, immò nihil, ſi mala fides ſupervenit juſtæ uſucapioni, vel præſcriptioni.

Si poſteà eſt particeps in *actione injuſtâ* quôcumque modo cooperando; peccat, & ſi verè ſuâ cooperatione fuit cauſa, tenetur reſtituere ad ratam, & etiam in ſolidum in defectu principalis; ſi verò non fuit cauſa, eo quia ſinè ſuâ cooperatione, adhuc facta fuiſſet talis actio injuſta, tenetur ſolummodo ad ratam: attamen ſi ex cauſâ ſuæ cooperationis fuit major exceſſus, v. g. in furando, aut in quâcumque aliâ actione injuſtâ, tenetur etiam in ſolidum ad illum exceſſum.

6 Nomine *Muti* venit ille, qui illud, ad quod ex officio ſuo tenetur ex juſtitiâ, omittit, cum *commodè* poſſit; puta, de *Superiore*, qui omittit præcipere; de *Conſultore*, qui omittit conſulere; de *Cuſtode*, qui omittit ſaltem clamare, aut ſtrepitum facere, & hujuſmodi; & ſi agitur de materiâ gravi, peccat mortaliter contrà juſtitiam; & conſequenter tenetur in ſolidum ad reſtitutionem, ſivè compenſationem in defectu principalis.

7 Nomine *Non obſtantis* venit ille, qui *omittit opem*, vel *operam*, quâ tenebatur ex juſtitiâ *impedire* alterius damnum *injuſtè* allatum, ſi aliàs *commodè* impedire poterat: hujuſmodi ſunt *Principes*, *Magiſtratus*, *Præpoſiti viarum*, *Judices*, *Cuſtodes*, ſpecialiter ducti pro cuſtodiâ, & hujuſmodi; & ſi damnum proximo ſecutum, eſt grave; prædicti peccant mortaliter contrà juſtitiam, & con-

& conſequenter tenentur ipſi reſtituere, vel compenſare, ſi principales non reſtituunt, aut compenſant.

Nomine *Non manifeſtantis* venit ille, qui cum ex officio ſuo *teneatur* (& aliàs commodè poteſt) *omittit* manifeſtare malefactorem, ne ſequatur damnum, vel poſt damnum ſecutum, ad illud compenſandum; puta, *Teſtis in judicio*, dummodo tamen ipſe ſit cauſa damni, non manifeſtando; & ſi damnum eſt grave, peccat mortaliter contrà juſtitiam, & conſequenter tenetur ipſe reſtituere, vel compenſare, ſi principalis non reſtituit, aut compenſat.

Quæritur de quâ culpâ quis teneatur, quando, ex *ſui causâ negativâ*, proximo evenit quodcumque damnum temporale? Reſp. primò, quod illi, qui, ex *officio ſuo proprio*, tenentur impedire alterius damnum, & non impediunt, ſi commodè impedire poſſunt, tenentur de *culpâ leviſſimâ*: ſecundò; qui tenentur ex *contractu*, tenentur de *culpâ*, ſivè *latâ*, ſivè *levi*, ſivè *leviſſimâ* juxtà qualitatem contractus, ut dixi in tractatu de contractibus: tertiò, qui extrà *officium*, vel *contractum*; & iſti tenentur ſolùm de *culpâ latâ*. Omnia, quæ ad præſentem tractatum pertinent, deſumpſi ex communiori, & probabiliori DD. ſententiâ.

Decimæ rectè definiuntur, quod *ſint decima pars omnium fructuum juſtè acquiſitorum, Deo debita in recognitionem univerſalis ſui dominii; atque Miniſtris Eccleſiæ, quot annis exolvenda*: ſic deſumitur ex *Can. Decimas Deo 16. quaſt. 7.*, & *cap. Tua nobis*.

Solutio Decimarum (quatenùs ſolvuntur à fidelibus ob Dei cultum, & in ſignum Supremi ſui dominii omnium rerum), eſt actus virtutis ſpectantis ad *Religionem*; & quatenùs eſt debita Eccleſiæ Miniſtris, nobis ſpiritualia præbentibus, eſt actus virtutis ſpectantis ad *juſtitiam*, & conſequenter quiſquis tenetur Decimas ſolvere; ſi commodè ſolvere poteſt, & non ſolvit (cum ſolvere teneatur), duo peccata mortalia committit; nempè: unum ſacrilegium contrà Religionem, & peccatum mortale contrà juſtitiam; & prætereà incurrit in excommunicationem comminatoriam, ut habetur ex *Trid. ſeſſ. 25. de ref. cap. 12.*, idem dic. de *impedientibus*; & abſolvi nequeunt, niſi poſt factam ſolutionem, niſi excuſet impoſſibilitas; idem omninò dic. eſt de *Primitiis*, & *Oblationibus*, de quibus loco proprio.

Sex modis accidere poteſt, ut quis eximatur ab obligatione ſolvendi

vendi Decimas: 1. ex privilegio Papæ: ità *Vallenſis tit. de Decimis* §. 8., & alii; 2. ex conſuetudine, alicubi legitimæ introductâ, dummodo tamen ex aliis redditibus, tantum ſuperſit, quantum ſufficiat congruæ Sacerdotum ſuſtentationi: ità *Covaruvias lib. 1. variarum reſol. cap. 17. num. 8.*, & alii; 3. ex præſcriptione, ritè abſolutâ in ordine ad particulares perſonas: ità *Covaruvias loco citato num. 10.*, & communiter; 4. ex compoſitione, ac remiſſione: ità *Vallenſ. loco cit. n. 5.*, & communiter; 5. ex neceſſitate extremâ, vel quaſi extremâ: ità communis DD. aſſenſus; 6. ex neceſſitate gravi, non tamen abſolutè, & ſimpliciter; ſed donec melior fortuna ſuperveniat.

Defenſio occiſiva (quæ *eſt illa, quâ quis occidit injuſtum invaſorem*) in quinque caſibus eſt licita: 1. in defenſionem *vitæ propriæ*, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ; occiſio enim injuſti invaſoris, ex eo cohoneſtatur, quia occiſor *directè*, *& per ſe*, non intendit occiſionem injuſti aggreſſoris, ſed ſolùm defenſionem vitæ propriæ, quæ alienæ prævalet; &, ſi contingit mors aggreſſoris; hæc evenit *per accidens*, quia occiſor *propriè*, & *per ſe*, nihil aliud intendit, quàm vitæ propriæ conſervationem; nàm quamdiù poteſt ſe defendere non occidendo, non occidit, nec juſtè occidere poteſt: ità communiter Theologi cum Juriſtis, ut apparet ex *tit. Inſtit. de Jur. naturæ Gentium, & Civ.*, nam prima charitas ordinata, incipit à ſe ipſo, ut ait *Tex. in l. Præſes C. de ſervitutibus*; 2. in defenſionem *vitæ proximi*, ex inevitabili tamen neceſſitate pro conſervandâ ejus vitâ; 3. in defenſionem *bonorum temporalium propriorum*, quæ ſint in gravi quantitate, juxtà ſtatum poſſidentis; & quæ aliter, quàm occidendo, defendi, aut recuperari nequeant; 4. in defenſionem *caſtitatis*, vel alterius *veræ virtutis*, ex indiſpenſabili tamen neceſſitate; 5. in defenſionem *proprii honoris*, in iis tamen terminis, qui præſcribuntur à *ſequenti propo. dam. ab Innoc. XI.*, *quæ eſt* 30. *in ordine*: *Fas eſt Viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari non poteſt: Idem quoque dic. ſiquis impingat alapam, vel fuſte percutiat*, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis *fugiat*. Idem Innoc. XI. propo. dam. 31. in ordine.

31. *Regulariter occidere poſſum pro conſervatione unius aurei; & propo.* 32.

32. *Non ſolùm licitum eſt, defendere defenſione occiſivâ, quæ*

 actu

numerando *inferiùs*; *Gradus Deſcendentium*, dicitur *Deſcendens*: ſicuti etiam apud Philoſophos *Actio*, & *Paſſio* eſt unicus actus, licèt reſpectu *Agentis* dicatur *Actio*; & reſpectu *Paſſi* dicatur *Paſſio*. Contractus *ſtricti Juris* ſunt: *Mutuum*, verborum obligatio, ſeù *Stipulatio*, & hujuſmodi; & ità dicuntur, quia *ſtrictiſſimè* ſunt interpretandi, eo quia proceditur *cum rigore legis*.

Quid poſteà ſit *Dolus*; quotuplex ſit; quomodo, & quando annullet Contractus? Vide ſub verbo ly *Dolus*.

De *quâ culpâ* teneatur quis in *contractibus*; nota, & benè obſerva tres ſequentes regulas omnium ferè Theologorum, atque Juriſtarum: 1. quando contractus eſt in gratiam ſolius dantis: ut *Depoſitum*, & *Mandatum*; accipiens tenetur ſolùm de *Dolo*, & *culpâ latâ*; 2. quando contractus eſt in gratiam utriuſque, ut: *Emptio*, *Venditio*, *Locatio*, *Conductio*, *Pignus*, *Permutatio*; accipiens tenetur ſolùm de *dolo*, & *culpâ levi*; 3. quando contractus eſt in gratiam ſolius accipientis, ut: *Commodatum*, *Mutuum*, & *Precarium*, accipiens tenetur ſolùm de *dolo*, & *culpâ leviſſimâ*.

Limitatur tamen hæc regula generalis in nonnu llis caſibus, ut: in *Tutelâ*; nàm licèt ſit in gratiam *ſolius pupilli*; Tutor tamen tenetur de *culpâ levi*, ut conſtat ex *l. 1. ff. de Tutelis*: Verùm quidem hiſce temporibus *Tutela*, eſt etiam in gratiam *Tutoris*; cui nunc conſtitui ſolet ſalarium: ſic pariter *Nautæ*, *Stabularii*, *Caupones*, & hujuſmodi; licèt non teneantur de *caſu fortuito*; tenentur tamen de *culpâ leviſſimâ* de iis, quæ acceperunt ſervandi in cuſtodiam: hoc autem eſt ſingulare ob publicam utilitatem.

Adv. eſt, quod ſicuti in *Mutuo*, transfertur dominium rei mutuatæ in Mutuatarium; conſequenter hic non ſolùm tenetur de dolo, & culpâ leviſſimâ; ſed etiam de caſu fortuito; & ratio eſt, quia res quomodocumque pereat, ſemper perit Domi no ſuo.

Quid poſteà ſit *culpa* in ordine ad contractus (quæ etiam dicitur *culpa Juridica* ad diſtinctionem *culpæ Theologicæ*) quotuplex ſit, & quomodo intelligi debeat? Vide ſub verbo ly *Culpa*.

Nota, & benè obſerva alias tres regulas: 1. Quando quis tenetur de *culpâ leviſſimâ*, ut in *Commodato*, & *Precario*; non poteſt negligere res alienas, ut ſalvet proprias, licèt ſint *æqualis valoris*: ſecùs dic. ſi ſint *majoris valoris*; 2. Quando quis tenetur

de

Digitized by Google

de *culpâ levi*, ut, v. g. in *Pignore*, *Conductione &c.*, non poteſt negligere res alienas, ut ſalvet proprias *minoris valoris*; ſecùs ſi *majoris*, vel ſaltem *æqualis* valoris; 3. Quando quis tenetur ſolùm de *culpâ latâ*, poteſt negligere res alienas, ut ſalvet proprias etiam *minoris valoris*, dummodo tamen probabiliter non credat, ſe fore reſarciturum, quia in tali caſu debet negligere res proprias *minoris valoris*, ut ſalvet alienas etiam *æqualis valoris*.

Contractus *Mohatra*, eſt venditio cum pacto retrovenditionis prævìè inito, & intentione lucri reſpectu ejuſdem perſonæ, quem contractum *Innoc. XI.* damnavit ut injuſtum.

Contractus *trium contractuum*; nempè: *Societatis*; *Aſſecurationis capitalis*; & aſſecurationis *minoris lucri certi*, pro *majori incerto*, fuit damnatus à *Xiſto V.* per ſuam *Conſtit.*, quæ incipit: *Deteſtabilis avaritia*. Non obſtante tamen tali damnatione (quæ forſitan ex eo fuit damnata, quia tali tempore, non ſervabantur illæ conditiones, quibus ſervatis, talis contractus eſt licitus) hiſce temporibus juxtà opinionem plurium DD. talis contractus eſt licitus, ſervatis tamen ſequentibus quatuor conditionibus: 1. ſincera intentio ineundi prædictos tres contractus, aliter eſſet uſura palliata; 2. quod pro aſſecuratione capitalis, non plùs exigatur, niſi quantum alteri daretur ad redimendum periculum amiſſionis ejuſdem capitalis, aliter eſſet contractus injuſtus; 3. quod pro aſſecuratione *minoris lucri certi pro majori incerto*; tantum alteri dari debeat, quantum ab illo exigi poſſet, juxtà majorem, vel minorem probabilitatem majoris, vel minoris lucri, aliter etiam in hoc caſu eſſet contractus injuſtus; 4. quod pro hac aſſecuratione aliquid dematur ad proportionem expenſarum, & laborum, pretio æſtimabilium: defficiente quâcumque ex prædictis quatuor conditionibus talis contractus trium contractuum, ut illicitus haberi debet, & merito à Xiſto V. damnatus.

Contractus innominati, ad quattuor ſpecies reducuntur: 1. *Do, ut des*; 2. *Do, ut facias*; 3. *Facio, ut des*; 4. *Facio, ut facias*: pertinent ad juſtitiam commutativam, quæ exigit idem numero, ſi exiſtit.

De contractibus in particulari; vide ſingillatim diſtributivè, in eorum locis propriis.

Generatim loquendo omnes, & illi ſoli inire poſſunt contractus, qui habent liberam bonorum adminiſtrationem: excipiuntur ſequentes: 1. *Infantes*; 2. *Amentes* quôcumque modo uſu rationis

 in

C

Non poteſt dari perfecta contritio de peccato, quin includat ſaltem virtualiter firmum propoſitum, non peccandi de cætero; nam implicat, quod quis verè doleat de peccato commiſſo; & ſimul, & ſemel habeat voluntatem, illud reiterandi.

Homo, non poteſt habere perfectam contritionem de uno peccato commiſſo, ut eſt offenſa Dei, quin formaliter, vel ſaltem virtualiter, cætera alia deteſtetur; nam repugnat, quod quis poſſit amare Deum ex motivo perfectæ charitatis, & ſimul, & ſemel poſſit velle aliquod peccatum, quod eſt ejus offenſa.

Quamvis homini in peccato mortali exiſtenti, ſit neceſſarium Sacramentum pænitentiæ formale, ut illi remittantur peccata; vel ſaltem actus perfectæ contritionis in voto Sacramenti pænitentiæ; adhuc tamen, in aliquo caſu ſuppleri poteſt per Sacramentum pænitentiæ *virtuale*, quale eſt *Amor Dei ſuper omnia*, ut patet ex verbis Salvatoris in *Luca c. 7. Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*.

Contumacia, *eſt voluntaria inobedientia, quâ quis monitionem Judicis, implere contemnit*. In quibus caſibus contumacia, ſit peccatum mortale? vide ſub verbo ly *Obedientia*.

Contumelia *eſt injuria, quâ alteri obiicitur crimen, vel alius defectus in ejus præſentiâ*: ex genere ſuo eſt peccatum mortale, ſi fit cupido animo graviter offendendi proximum, vel illum valdè dehonorandi; aut ſi crimen eſt grave; & in hoc caſu; ſi crimen objectum eſt falſum, vel occultum, eſt peccatum mortale contrà juſtitiam reſtitutioni obnoxium: tribus modis fieri poteſt contumelia; nempè: *verbo, ſcripto, & facto*. Contumelioſus tenetur ex juſtitiâ, vel reſtituere honorem, vel petere veniam, vel reſarcire aliquo honorifico modo.

Convitium; licèt ſæpè confundatur cum contumeliâ, ſtrictè tamen ſumptum, differt ab illâ; nam per *contumeliam*, obiicitur *defectus* culpæ; putà, quod aliquis ſit *mendax, fur, detractor*, & hujuſmodi; per *convitium* verò, obiicitur *defectus naturæ;* puta, quod aliquis ſit *claudus, ſurdus, luſcus*, & hujuſmodi: ex genere ſuo, non eſt niſi veniale, niſi in caſu, quo convitiatus graviter contriſtetur de hujuſmodi convitiis, & convitiator hoc prævidens adhuc convitiare velit, quia tunc mortale.

Correctio duplex eſt; nempè: *fraterna*, & *judicialis*: iſta eſt, quæ fit à publicâ poteſtate in bonum commune: illa, ideſt, fraterna *eſt monitio ſecreta, vel facta coram teſtibus, ut proximus à pec-*

à peccato emendetur: Iſta eſt, de quâ habemus ſpeciale mandatum, juxtà illud Salvatoris in *Matt. cap.* 18., & ex genere ſuo obligat ſub mortali, ut ait *Maſtrius in diſp.* 10. *Theol. Moral. num.* 67., & communiter DD., dummodò ſeptem ſimul concurrant conditiones: 1. certitudo peccati; 2. quod ſit grave; 3. quod proximus non ſit emendatus, & adſit probabile periculum reincidentiæ; 4. ſpes fructus; 5. quod nullus alius correxerit, aut effectivè corrigat; 6. opportunitas temporis; 7. quod fieri poſſit ſinè gravi incommodo corrigentis: *gravis repugnantia*, ab aliquibus eſt judicata pro *notabili incommodo*; & *Buſemb.* ait, quod ſi quis ob *timorem*, *puſillanimitatem*, *verecundiam* putaret, ſe non eſſe ſtrictè obligatum, vel eſſe minùs idoneum ad corrigendum, videretur peccare tantùm venialiter.

Circà quartam conditionem, ideſt, *ſpes emendæ*: certum eſt, præmittendam eſſe *correctionem fraternam* antè *denunciationem judicialem*, ſi ſperatur *emendatio*; ſecùs ſi non ſperatur; quapropter non obſtante Superioris præcepto de denunciandis ſibi in viſitatione delictis; non poteſt quis Fratrem denunciare, ſi videt eum jam emendatum, ut ait *Jo: la Crux* 3. *præcep. art.* 2 *nu.* 1. Quomodo poſteà dignoſci poſſit, an correctio fraterna ſit profutura nec ne? Reſp. ex circumſtantiis; puta, ſi ſciat delinquentem eſſe ſuperbum, vel ab aliis monitum, non fuiſſe emendatum; aut ſi ex ejus dignitate, & tui inferiori conditione judices, eum fore tuam correctionem contempturum: in his, & ſimilibus caſibus, poterit quis correctione omiſsâ ſinè peccato, delictum Fratris Superiori revelare: ità *P. Amenus in pract. crim. pag.* 385. *n.*4.

Correctio fraterna diverſimodè fieri debet; conſiderando, ſcilicet, ſi proximus corrigendus, eſt inferioris, vel æqualis, vel ſublimioris conditionis, admonente de hoc *Apoſt. ad Galat. cap.* 6., *ad Theſs. cap.* 2., *& in* 1. *ad Timot. cap.* 3. Excipiuntur tamen caſus non ſolùm hæreſis, ſed etiam levis ſuſpitionis hæreſis, quia in his non datur correctio fraterna, ſed immediatè denunciari debet SS. Inquiſitioni, ut patet ex *Conſtit. Pauli V.*, *& Alex. VII.*

Crimen læſæ Majeſtatis, eſt delictum publicum contrà Principis, vel Reipublicæ Majeſtatem: *l.* 1. *ff. ad l. Jul. Majeſt.*, & arguitur ex *Tacito lib.* 1. *Annal. cap.* 72., & ex *Ciccrone lib.* 1. *ad Terrenium.*

Quando eſt contrà ipſam Perſonam Principis dicitur *Perduellio*: *Gloſſa in l. fin.* ℣. *Perduellionis ff. ad legem Jul. Majeſt.*, & ibi DD.

Divi-

Dividitur in ſimplex, & qualificatum: *Simplex* tangit aliqualiter Majeſtatem ſinè recurſu ad Hoſtes, ut cudere monetam falſam: *l. 2. C. de falsâ monetâ*. *Qualificatum* eſt *Perduellio*; veluti conſpirare contrà Principem; Hoſtes contrà eum concitare; perduellionem, & hujuſmodi: *l. 1. §. 1., l. 3., l. 4., l. fin. ff. ad l. Jul. Majeſt.* Hinc quatuor hujus criminis ſunt ſpecies juxtà Gotofredum in *l. 1. cap. 1. C. ad l. Jul. Majeſt.*

Prima ſpecies, quæ dicitur per ſe *in primo capite*, continet conſpirationem in perſonam Principis; Hoſtes contrà eum concitare, perduellionem, & hujuſmodi; & ſic conſtat ex *l. 1., & 3. ff. ad l. Jul. Majeſt.* Rei horum criminum, non gaudent Eccleſiaſticâ Immunitate.

Secunda ſpecies, continet violationem debitæ reverentiæ Principi, facto, dicto, ſcripto, Principis ſtatuæ conſpurtatio: *l. 6., & 7. ff. eodem titulo*.

Tertia eſt turbatæ publicæ poteſtatis, juriſdictionis &c., ut cudendo monetam falſam.

Quarta, eſt offenſæ Majeſtatis, communicatæ ſuis Miniſtris, ut occiſio cujuſcumque Miniſtri Principis ratione Officii: *l. 1. §. 1. ff. ad l. Jul. Majeſt., l. Quiſquis C. eodem titulo*.

Pæna hujus criminis, eſt infamia, & mors; & ſi crimen eſt *in primo capite*; confiſcantur Bona Rei; ſicque ejus filii, licèt nati antè delictum, privantur ſucceſſione tàm Paternâ, quàm Maternâ: *dicta l. Quiſquis C. ad l. Jul. Majeſt., & ibi DD.*

Culpa duplex eſt; Theologica, & Juridica: *Theologica*, eſt deviatio à rectâ ratione, & lege Dei; & hæc pertinet ad actus humanos, in genere moris ſpectatos: *Juridica*, eſt voluntaria inordinatio actus humani, reſpiciens contractus, & triplex eſt; nempè: *Lata*; *Levis*; *Leviſſima*: tunc dicitur *culpa lata*, ideſt, quod quis teneatur de *culpâ latâ*, quando in operatione, quam facit, non adhibet illam diligentiam, quam communiter adhibere ſolent *diligentes* in ſimilibus operationibus; & conſequenter, ſi hac de causâ aliqua res aliena perit, vel fit deterior; quicumque illam accepit, & talem diligentiam non adhibuit, tenetur ad reſtitutionem, ſi talis res periit; vel ad compenſationem, ſi deterior facta fuit: *Culpa levis* dicitur, quando operans in operando, non adhibet illam diligentiam, quam communiter adhibere ſolent *diligentiores* in ſimilibus operationibus; & conſequenter ſi hac de causâ aliqua res aliena perit; quicumque illam accepit tenetur ad

reſti-

C

reſtitutionem ; & ſi ſit deterior, ad compenſationem: Idem omninò dic. eſt de quôcumque, qui teneatur de *culpâ leviſſimâ*, ſi, ſcilicet, non adhibet illam diligentiam, quam adhibere ſolent *diligentiſſimi &c.* Secundùm aliquos DD., datur etiam culpa latior, & culpa latiſſima: *culpa latior* eſt, quæ æquiparatur *dolo præſumpto*; & culpa *latiſſima* eſt, quæ æquiparatur *dolo aperto*.

D

Damnum temporale *eſt illud, per quod, quis minùs habet, quam habere deberet*: ità in re communiter: Qui ſint cauſa damni temporalis in proximo; continentur in ſequentibus duobus verſiculis, & ſunt ſequentes.

Juſſio; Conſilium; Conſenſus; Palpo; Recurſus.
Participans; Mutus; non obſtans; non manifeſtans;

1 Nomine *Juſſionis* venit ille, qui *præcipit*, vel alterius animum *movet* ad inferendum damnum proximo *injuſtè*; & ſi eſt de re gravi, eſt peccatum mortale contrà juſtitiam; & ſi juſſor habet juriſdictionem in eo, cui præcipit; ipſe principaliter tenetur ad reſtitutionem, vel compenſationem.

2 Nomine *Conſilii* venit ille, *qui ſuo pravo conſilio*, promovet alterum ad inferendum damnum proximo *injuſtè*: idem dic. eſt de *adhortationibus*, *precibus*, *promiſſionibus*, ſi influunt *efficaciter*, taliter quod, non fuiſſet ſecutum tale damnum ſinè tali *conſilio*, *adhortationibus*, *precibus*, *promiſſionibus*; & ſi damnum eſt grave; conſulens, & *prædicti* peccant mortaliter contrà juſtitiam; & conſequenter tenentur ipſi ad reſtitutionem, vel compenſationem, ſi ille, qui intulit damnum non reſtituit, vel compenſat.

3 Nomine *Conſenſus* venit ille, qui, ſuâ *efficaci approbatione*, aut *ſuffragio*, ſivè *voto*, eſt cauſa damni *injuſtè* allati proximo, & peccat mortaliter contrà juſtitiam, ſi damnum eſt grave; & conſequenter remanet obligatus reſtituere, vel compenſare, ſi principalis non reſtituit, aut compenſat, dummodo tamen *conſenſus*, *ſuffragium*, ſivè *votum*, fuerit *cauſa*, ità quod, ſecutum non fuiſſet tale damnum, ſi ipſe non præſtitiſſet ſuum conſenſum, ſuffragium, ſivè votum; ideòque dixi notanter: qui ſuâ *efficaci* approbatione, ſuffragio, ſivè voto.

4 No-

D

4 Nomine *Palponis* venit *Adulator*, qui *laudat* damnificationem injuſtam; aut *commendat* aliquod ſcelus commiſſurum; vel *exprobrat* puſillanimitatem alicujus, qui nullam facit ultionem de acceptâ injuriâ, & hujuſmodi; &, ſi *laudando*, *commendando*, *exprobrando*, eſt cauſa cujuſcumque gravis damni in proximo, ità quod, ſecutum non fuiſſet tale damnum ſinè tali *laudatione*, *commendatione*, aut *exprobratione*, peccat mortaliter contrà juſtitiam, & conſequenter tenetur ipſe ad reſtitutionem, vel compenſationem, ſi principalis non reſtituit, aut compenſat.

5 Nomine *Participantis* venit quicumque *participat* de re alienâ, *injuſtè* ablatâ, vel retentâ; vel eſt *particeps* in quâcumque actione injuſtâ; puta, adjuvando furem quôcumque modo ad furandum: ſi *mala fide* participat, peccat mortaliter contrà juſtitiam, ſi eſt de re gravi; & conſequenter tenetur reſtituere ad ratam, & etiam in ſolidum, ſi principalis non reſtituit: ſi poſteà participat *bonâ fide*: eâdem durante ad nihil tenetur, & adveniente *malâ fide*; id ſolùm, in quo factus eſt ditior, immò nihil, ſi mala fides ſupervenit juſtæ uſucapioni, vel præſcriptioni.

Si poſteà eſt particeps in *actione injuſtâ* quôcùmque modo cooperando; peccat, & ſi verè ſuâ cooperatione fuit cauſa, tenetur reſtituere ad ratam, & etiam in ſolidum in defectu principalis; ſi verò non fuit cauſa, eo quia ſinè ſuâ cooperatione, adhuc facta fuiſſet talis actio injuſta, tenetur ſolummodo ad ratam: attamen ſi ex causâ ſuæ cooperationis fuit major exceſſus, v. g. in furando, aut in quâcumque aliâ actione injuſtâ, tenetur etiam in ſolidum ad illum exceſſum.

6 Nomine *Muti* venit ille, qui illud, ad quod ex officio ſuo tenetur ex juſtitiâ, omittit, cum *commodè* poſſit; puta, de *Superiore*, qui omittit præcipere; de *Conſultore*, qui omittit conſulere; de *Cuſtode*, qui omittit ſaltem clamare, aut ſtrepitum facere, & hujuſmodi; & ſi agitur de materiâ gravi, peccat mortaliter contrà juſtitiam; & conſequenter tenetur in ſolidum ad reſtitutionem, ſivè compenſationem in defectu principalis.

7 Nomine *Non obſtantis* venit ille, qui *omittit opem*, vel *operam*, quâ tenebatur ex juſtitiâ *impedire* alterius damnum *injuſtè* allatum, ſi aliàs *commodè* impedire poterat: hujuſmodi ſunt *Principes*, *Magiſtratus*, *Præpoſiti viarum*, *Judices*, *Cuſtodes*, ſpecialiter ducti pro cuſtodiâ, & hujuſmodi; & ſi damnum proximo ſecutum, eſt grave; prædicti peccant mortaliter contrà juſtitiam,

& con-

& conſequenter tenentur ipſi reſtituere, vel compenſare, ſi principales non reſtituunt, aut compenſant.

Nomine *Non manifeſtantis* venit ille, qui cum ex officio ſuo *teneatur* (& aliàs commodè poteſt) *omittit* manifeſtare malefactorem, ne ſequatur damnum, vel poſt damnum ſecutum, ad illud compenſandum; puta, *Teſtis in judicio*, dummodo tamen ipſe ſit cauſa damni, non manifeſtando; & ſi damnum eſt grave, peccat mortaliter contrà juſtitiam, & conſequenter tenetur ipſe reſtituere, vel compenſare, ſi principalis non reſtituit, aut compenſat.

Quæritur de quâ culpâ quis teneatur, quando, ex *ſui causâ negativâ*, proximo evenit quodcumque damnum temporale? Reſp. primò, quod illi, qui, ex *officio ſuo proprio*, tenentur impedire alterius damnum, & non impediunt, ſi commodè impedire poſſunt, tenentur de *culpâ leviſſimâ*: ſecundò; qui tenentur ex *contractu*, tenentur de *culpâ*, ſivè *latâ*, ſivè *levi*, ſivè *leviſſimâ* juxtà qualitatem contractus, ut dixi in tractatu de contractibus: tertiò, qui extrà *officium*, vel *contractum*; & iſti tenentur ſolùm de *culpâ latâ*. Omnia, quæ ad præſentem tractatum pertinent, deſumpſi ex communiori, & probabiliori DD. ſententiâ.

Decimæ rectè definiuntur, quod *ſint decima pars omnium fructuum juſtè acquiſitorum, Deo debita in recognitionem univerſalis ſui dominii; atque Miniſtris Eccleſiæ, quot annis exolvenda*: ſic deſumitur ex *Can. Decimas Deo 16. quaeſt. 7.*, & *cap. Tua nobis*.

Solutio Decimarum (quatenùs ſolvuntur à fidelibus ob Dei cultum, & in ſignum Supremi ſui dominii omnium rerum), eſt actus virtutis ſpectantis ad *Religionem*; & quatenùs eſt debita Eccleſiæ Miniſtris, nobis ſpiritualia præbentibus, eſt actus virtutis ſpectantis ad *juſtitiam*, & conſequenter quiſquis tenetur Decimas ſolvere; ſi commodè ſolvere poteſt, & non ſolvit (cum ſolvere teneatur), duo peccata mortalia committit; nempè: unum ſacrilegium contrà Religionem, & peccatum mortale contrà juſtitiam; & prętereà incurrit in excommunicationem comminatoriam, ut habetur ex *Trid. ſeſſ. 25. de ref. cap. 12.*, idem dic. de *impedientibus*; & abſolvi nequeunt, niſi poſt factam ſolutionem, niſi excuſet impoſſibilitas; idem omninò dic. eſt de *Primitiis*, & *Oblationibus*, de quibus loco proprio.

Sex modis accidere poteſt, ut quis eximatur ab obligatione ſolvendi

D

vendi Decimas: 1. ex privilegio Papæ: ità *Vallenſis tit. de Decimis* §. 8., & alii; 2. ex conſuetudine, alicubi legitimæ introductâ, dùmmodo tamen ex aliis redditibus, tantum ſuperſit, quantum ſufficiat congruæ Sacerdotum ſuſtentationi: ità *Covaruvias lib. 1. variarum reſol. cap. 17. num. 8.*, & alii; 3. ex præſcriptione, ritè abſolutâ in ordine ad particulares perſonas: ità *Covaruvias loco citato num. 10.*, & communiter; 4. ex compoſitione, ac remiſſione: ità *Vallenſ. loco cit. n. 5.*, & communiter; 5. ex neceſſitate extremâ, vel quaſi extremâ: ità communis DD. aſſenſus; 6. ex neceſſitate gravi, non tamen abſolutè, & ſimpliciter; ſed donec melior fortuna ſuperveniat.

Defenſio occiſiva (quæ *eſt illa, quâ quis occidit injuſtum invaſorem*) in quinque caſibus eſt licita: 1. in defenſionem *vitæ propriæ*, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ; occiſio enim injuſti invaſoris, ex eo cohoneſtatur, quia occiſor *directè, & per ſe*, non intendit occiſionem injuſti aggreſſoris, ſed ſolùm defenſionem vitæ propriæ, quæ alienæ prævalet; &, ſi contingit mors aggreſſoris; hæc evenit *per accidens*, quia occiſor *propriè, & per ſe*, nihil aliud intendit, quàm vitæ propriæ conſervationem; nàm quamdiù poteſt ſe defendere non occidendo, non occidit, nec juſtè occidere poteſt: ità communiter Theologi cum Juriſtis, ut apparet ex *tit. Inſtit. de Jur. naturæ Gentium, & Civ.*, nam prima charitas ordinata, incipit à ſe ipſo, ut ait *Tex. in l. Praſes C. de ſervitutibus*; 2. in defenſionem *vitæ proximi*, ex inevitabili tamen neceſſitate pro conſervandâ ejus vitâ; 3. in defenſionem *bonorum temporalium propriorum*, quæ ſint in gravi quantitate, juxtà ſtatum poſſidentis; & quæ aliter, quàm occidendo, defendi, aut recuperari nequeant; 4. in defenſionem *caſtitatis*, vel alterius *veræ virtutis*, ex indiſpenſabili tamen neceſſitate; 5. in defenſionem *proprii honoris*, in iis tamen terminis, qui præſcribuntur à *ſequenti propo. dam. ab Innoc. XI.*, *quæ eſt* 30. *in ordine*: *Fas eſt Viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari non poteſt: Idem quoque dic. ſiquis impingat alapam, vel fuſte percutiat*, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis *fugiat*. Idem Innoc. XI. propo. dam. 31. in ordine.

31. *Regulariter occidere poſſum pro conſervatione unius aurei; & propo.* 32.

32. *Non ſolùm licitum eſt, defendere defenſione occiſivâ, quæ*

actu poſſidemus, ſed etiam ea, ad quæ habemus jus incohatum, vel quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

Defloratio Virginis (quæ etiam dicitur *ſtuprum*) propriiſſimè accepta, nihil aliud eſt, quàm *injuſta Virginis fæminæ defloratio per vim facta*; undè propria ratio *ſtupri* conſiſtit in hoc, quod *clauſtro virginali vis inferatur*; undè ſuprà ſimplicem fornicationem, addit gravem injuriam puellæ, cui per vim integritas corporis (quæ maximè in fæminis exiſtimatur) adimitur. Eſt grave peccatum, quod etiam juxtà Jus commune Cæſareum, pænâ mortis plectitur, ut conſtat ex §. *Sin autem, Inſtit. de public. indic.*, & alibi: idem dic. de nuptâ, & viduâ. Vide alia ſub verbo ly *Stuprum*.

Degradatio *eſt ſuſcepti Ordinis perpetua depoſitio*: ità in re communiter: Degradatus, licèt ſit in perpetuum privus omni Officio, & Beneficio, tenetur tamen recitare Horas Canonicas, & ſervare votum caſtitatis, ne ex ſuo peccato reportet commodum, ut eſt communior DD. ſententia: non privatur tamen charactere Ordinis, cum ſit indelebilis; neque poteſtate validè conſecrandi, ſi eſt Sacerdos; neque validè miniſtrandi Sacramentum Pænitentiæ in articulo mortis.

Degradatio duplex eſt; nempè: *actualis*, & *verbalis*; & hæc *propriè* ſumpta dicitur *Depoſitio*; & inter utramque triplex datur differentia: 1. Quod degradatio *actualis*, fit actione reali, & includit privationem privilegii *Fori*, & *Canonis*, quæ duo non habentur in *verbali*, niſi (quoad privationem) conſtaret de incorrigibilitate; 2. quia in degradatione *actuali*, requiritur certa ſolemnitas à *Jure* præſcripta, ut videri poteſt in *cap. Degradatio de pænis in 6.*, quæ ſolemnitas, non requiritur in *verbali*; 3. quia in degradatione *actuali* Clericus degradandus, veſtibus Sacris indutus, portanſque præ manibus illa inſtrumenta, quæ ſpectant ad Ordinem ſuum; ab Epiſcopo, ordine retrogado, veſtibus, & ornamentis Sacris, cum certis verbis exuitur, & ultimò illius caput taliter tondetur, ut in eo apparere nequeat Clericatus, vel tonſuræ aliquod veſtigium; quæ omnia in *verbali* omittuntur, ſicuti etiam traditio Curiæ ſæculari, debitis pænis plectendus, in quo caſu; Eccleſia debet, pro eo intercedere, ut citrà mortis ſententiam damnetur, ut habetur ex *cap. Novimus de verb. ſignific.*

Ubicumque fit mentio de *Degradatione* ſinè ullo addito; ſemper intelligendum eſt de *verbali*, ideſt, de *ſolâ depoſitione*.

Dele-

D

Delectatio moroſa (quæ ità dicitur, ideſt ly *moroſa* à morâ rationis, quando ſcilicet homo, poſt advertentiam, adhuc perſeverat in illâ delectatione, quæ oritur ab illâ imaginariâ cogitatione, quæ verſatur circà aliquod objectum) *eſt voluntaria, ac deliberata complacentia in re turpi, ſinè ordine ad opus*: ità communiter in re: dicitur ly *ſinè ordine ad opus*, & per hoc *delectatio moroſa* differt à *deſiderio illicito*, quia iſtud *eſt actus, & motus efficax voluntatis, quo voluntas appetit, & fertur in objectum prohibitum*, ideſt, vult, & efficaciter deſiderat actum peccaminoſum, ipſo opere, complere, ſi poteſt; delectatio verò moroſa fertur in objectum, ut aliquo modo præſens, ſinè intentione tamen progrediendi ad ipſam operis executionem: ex hoc poſteà infertur, quod circumſtantiæ in *delectatione moroſâ*, v. g. an mulier, circà quam verſatur illa imaginaria cogitatio ſit virgo, vel nupta, aut vidua, conſanguinea, aut Monialis, & hujuſmodi; non ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione, cum ſint unum tantùm lethale peccatum internæ delectationis moroſæ, contrà ſolam virtutem caſtitatis, ut cum pluribus aliis tenet *Layman. lib. 1. tract. 3. cap. 6. num. 15.* E contrà dic. eſt de circumſtantiis circà *deſiderium illicitum*, quo quis deſiderat, vel proponit peccare contrà caſtitatem cùm muliere virgine, vel nuptâ, aut viduâ, conſanguineâ, vel Moniali; nam tales circumſtantiæ, ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione; & ratio eſt, quia deſideria illicita, tendunt in ipſam *malam actionem externam*, quam perficere quis vellet, ſi poſſet; & conſequenter habet illas malitias, quas habent *actus externi*.

Triplex datur delectatio moroſa; nempè: de *cogitatione*; de *re cogitatâ*; & de *modo*; & ad hoc, ut ſit peccatum mortale, tria copulativè requiruntur: 1. quod objectum, circà quod verſatur, ſit mortaliter peccaminoſum; 2. quod adſit advertentia actualis ad talem delectationem; 3. quod poſt plenam advertentiam, non expellatur, aut expelli conetur, ſed præbeatur plenus aſſenſus illi cogitationi; in illâ *voluntariè* permanendo: quando delectatio moroſa verſatur *purè*, & *ſimpliciter* circà *modum*, non eſt peccatum mortale.

Delectatio moroſa de objecto ſolùm *malo, quia prohibito*; non eſt peccatum mortale, ſi illi apponatur conditio; nempè: *ſi eſſet licitum*; & ratio eſt, quia, quæ ſolùm ſunt mala, quia prohibita non ſunt *intrinſecè* mala; ſed quæ non ſunt *intrinſecè* mala, non

 pro-

Digitized by Google

prohibent *actus merè internos*: ergo &c. Secùs dic. eſt, non ſolùm de deſiderio efficaci, ſed etiam de delectatione moroſâ circà objectum *prohibitum, quia malum*; & ratio eſt, quia, quæ ſunt *prohibita, quia mala*, ſunt *intrinſecè* mala; & quæ ſunt *intrinſecè* mala; numquam ab illis auferri poteſt illa malitia, quam habent, & conſequenter numquam poſſunt eſſe licita, ac proindè numquam illi apponi poteſt *illa conditio*; nempè: *ſi eſſet licitum*.

Quando conſenſus circà delectationem moroſam non eſt *formalis*, & *expreſſus*, ſed ſolummodo *virtualis*, & *interpretativus*; ut accidere poteſt, quando quis, advertens, ſe habere talem delectationem, nec conſentit in illam, nec diſſentit *formaliter*, & *expreſsè*, ſed tantùm *permiſſivè*, & *negativè* ſe habet: licèt ſecundùm probabiliorem opinionem, quam tenet Angelicus Doctor, cum pluribus aliis, ſit peccatum mortale (ſi verſatur circà objectum lethaliter peccaminoſum) attamen, ſecundùm *Cajet.*, *Sanchez*, *Palaum*, & alios; non eſt, niſi peccatum veniale; & hæc opinio, quæ non eſt tenuis probabilitatis, valeat maximè pro ſcrupuloſis.

Conjuges, habentes delectationem moroſam de actibus conjugii, præteritis, vel futuris, ſecluſo periculo pollutionis, non peccant: ſecùs dic. de Sponſis per verba de futuro, & de Viduis; & ratio eſt, quia ſicuti tales actus interni ſunt prohibiti, quia mali; ità conſequenter numquam poſſunt eſſe liciti.

Delictum privatum quadruplex eſt; nempè: *Furtum*; *Rapina*; *Damnum*; *Injuria*, de quibus loco proprio.

Quaſi delictum eſt illud, circà quod ſæpè contingit, ut quis non peccet, licèt aliàs quaſi reus cenſeatur de aliquo delicto, commiſſo ab aliquo ſuæ poteſtati ſubjecto; puta, à filio, ſervo, animalibus, & hujuſmodi; tenetur de *culpâ levi*, ut eſt communior DD. opinio.

Delictum occultum alterius tunc ſolùm ſinè peccato, manifeſtari poteſt, quando manifeſtatio, eſt ſimpliciter neceſſaria ad evitandum damnum grave ſpirituale, corporale, vel temporale tàm publicum, quàm privatum.

Dæmoneitas, ut ſpecies luxuriæ, *eſt concubitus hominis cum Dæmone ſivè incubo, ſivè ſucubo*: reducitur ad *ſpeciem beſtialitatis*, quia Dæmon in tali concubitu, non habet *corpus reale*, ſed *apparens*; & conſequenter diverſæ ſpeciei ab *humanâ ſpecie*.

Præter

D

Præter malitiam *beſtialitatis*, habet etiam malitiam *ſuperſtitionis* ob ſocietatem cum Dæmone habitam in illo concubitu; & juxtà *Filli.*, & plures alios, illi actus venerei, eſſe poſſunt diverſæ ſpeciei: puta, *Fornicationis, Adulterii, Stupri, Inceſtus, Sacrilegii*, & hujuſmodi, prout Dæmon in figurâ maſculi, vel fæminæ, ſivè *Virginis*, ſivè *liberæ*, ſivè *conjugatæ*, aut *conſanguineæ*, vel *habentis votum caſtitatis* apparet; & hoc, ratione voluntatis efficacis, quam habet ille, aut illa, quæ concubitum habet cum Dæmone.

Denunciatio *eſt manifeſtatio criminis de proximo, facta Superiori*: ità in re communiter: duplex eſt; nempè: *Paterna*, ſeù *Evangelica*; & *Judicialis*: Prima, ideſt, *Paterna* eſt, quæ fit Superiori, *ut Patri*; quæque bonum, & emendationem Fratris intendit: *Judicialis* eſt, quæ fit Superiori, *ut Judici*, ad hoc, ut, Judicis munere, faciat, quod expediens judicaverit, ſivè delinquentem puniendo, ſivè damnum reparando, ſivè utrumque faciendo.

Denunciatio judicialis alia eſt *ſpontanea*, & alia ex *præcepto Superioris*: prima obligat ex *præcepto charitatis*, juxtà illud Salvatoris, *in Matt. cap.* 18.: *Quod ſi eos non audiverit dic Eccleſiæ*: ſecunda obligat ex præcepto *charitatis*, & *obedientiæ* ſimul.

Denunciatio *judicialis* in hoc differt ab *accuſatione*, quod accuſator ſuſcipit in ſe obligationem probandi; &, ſi non probat, ſubjicitur pœnæ Talionis: ſecùs dic. de Denunciatore, qui ſolùm tenetur manifeſtare Teſtes Judici, ſi aliqui adſint.

Qui tenetur denunciare, ſivè ex charitate ſolùm, ſivè ex charitate, & obedientiâ ſimul, non eximitur ab obligatione denunciandi, licèt juraverit, ſe non denunciaturum; & ratio eſt, quia, cum tale juramentum ſit de re illicitâ, conſequenter eſt invalidum.

Denunciator, ſi utitur falſis Teſtibus ad probandam falſitatem, peccat mortaliter contrà juſtitiam. Vide alia ſub verbo ly *Accuſator &c.*

Denunciare nemo tenetur, ſi ex denunciatione *probabiliter* ſibi, ac ſuis, uſque ad quartum gradum, aliquod grave damnum timeat in bonis animæ, corporis, famæ, aut fortunæ: ità, cum pluribus aliis, *Dia. p.* 9. *tr.*8. *reſol.* 48. Idem dic. de *Teſte*, licèt ſit juridicè interrogatus, nam reſpondere non tenetur; hinc *Bonac. tom.* 1.

Digitized by Google

de obligat. denunciat. diſp. 6. num. 6., *& ſeqq.* ait, quod, ſi quis *privatim*, noverit aliquod delictum, & dignoſcat, quod delinquens ſcit, illi innoteſcere tale delictum, & delinquentem; non teneri denunciare, ſi exindè probabiliter ſibi, vel ſuis timeat aliquod grave damnum: excipiuntur tamen caſus ad SS. Inquiſitionem pertinentes, & alia gravia delicta, quæ *graviter* publicam pacem, & ſecuritatem perturbant, ut ſunt: *Homicidia*, *furta gravia*, *Adulteria*, & ſimilia; ſi tamen ſunt in *fieri*; ſecùs, ſi *jam facta ſunt*, & *emendata*.

Nemo denunciare tenetur, quod probare non poteſt; neque quod ſcit per injuriam; quatenùs, v. g. litteras alienas aperuit; neque ea, quæ de certò non ſcit: excipiuntur tamen ſequentia: 1. Hæreſis, & ſuſpicio, licèt levis, de hæreſi; 2. impedimenta Matrimonii dirimentia; 3. profanatio Sacrorum; 4. dilapidatio bonorum Eccleſiæ; 5. crimen læſæ Majeſtatis; 6. Patriæ proditio; 7. falſificatio monetæ; 8. Homicidium; 9. conſpiratio in Principem, vel Superiorem, ejuſque percuſſio; 10. Duellum; 11. Simonia; 12. ſubornatio in electionibus; 13. furtum famoſum, & publicum, quatenùs ſcilicet redundat in grave detrimentum Reipublicæ, vel Religionis; hinc nonnulla crimina, ut furtum, Fornicatio, Adulterium, Sodomia, & hujuſmodi, quæ in ſe ſunt *privata*, evadunt *publica*, ideſt, contrà *bonum publicum*, ſi fiant cum ſcandalo, & malo aliorum exemplo; & pro iſtis ſolent monitoria concedi, ut reveletur *occultus* delinquens *notorii* criminis, quæque punitionem intendunt, nam, ut ait *Ameno in prac. crim. pag.* 385. *num.* 4. Bonum Communitatis obtinetur, quando *malus* in aliorum exemplum punitur; 14. excipiuntur etiam crimina, quæ vergunt in *damnum tertii*, ſi aliàs ſunt in *fieri*, aut in *procintu*, quod fiant, ſi alio modo reparari non poteſt; immò licèt damnum, *ſit jam ſecutum*, ſi aliàs eſt *reparabile*: ità *Bonac. to.* 1. *pag.* 893. *n.* 5., Tamb. *lib.* 9. §. 4., & alii.

Ex prædictis ſequitur, quod non ſolùm reus *occultus* criminis *notorii*, quod probari poteſt; ſed etiam reus *occultus* criminis *occulti*, quod probari non poteſt, ſit *juridicè* denunciandus, ſi redundat in Reipublicæ, vel Innocentis damnum grave, quod alio modo vitari non poteſt. Tunc autem delictum in Jure dicitur *occultum*, quod licèt ſit *notum* duobus, vel tribus; attamen de eo, nulla exiſtit infamia, ideſt, non eſt ſparſus rumor: ità *Melphi in prac. crim. v. Inquiſitio*.

Do-

D

Depopulatores agrorum ſunt illi, qui ſegetes in alienis agris deprædantur, comburunt, aut deſtruunt; vel agros alienos vaſtant: Non gaudent Immunitate Eccleſiaſticâ. An poſteà intelligendum ſit de depopulatoribus tàm *diurnis*, quàm *nocturnis*? *Barb.* dicit, quod inſpectâ *Bullâ Greg.*, intelligi debet de *utriſque*; ſed attento *Jure commu.*, de ſolis *nocturnis* intelligi debet, ut conſtat ex *cap. Inter alia de Immunit. Eccleſ.* ibi: *Vel nocturnus depopulator*.

Depoſitum *eſt contractus*, *quo ſola rei cuſtodia*, *alteri committitur*: eſt contractus in gratiam *ſolius dantis*; undè accipiens, regulariter loquendo, non tenetur niſi de *culpâ latâ*: dixi *regulariter*, quia, ſi depoſitarius habet facultatem utendi re depoſitâ, v.g. libris depoſitis; tunc cum depoſitum fit in gratiam *utriuſque*, depoſitarius tenetur de *culpâ levi*: Si res depoſita *fortuitò* perit, depoſitarius ad nihil tenetur, niſi in caſibus poſitis ſub verbo ly *caſus fortuitus*, ut eſt communis DD. opinio, & expreſsè habetur in *Can. cap. un. de Commodato*.

Deriſio *eſt actus debonorativus proximi per verba*, *vel geſtus cum intentione illum confundendi*, *& pudore afficiendi*: ità in re communiter: in tribus caſibus eſt peccatum mortale: 1. quando manifeſtatur aliquod grave vitium occultum; 2. quando deriſor habet intentionem *graviter* confundendi, & pudore afficiendi deriſum; 3. quando deriſus *graviter* triſtatur. *Deriſio* differt à *contumeliâ* in hoc, quod deriſio, fit ex *ioco*, vel *contemptu*; contumelia autem ex *irâ*, vel *indignatione*.

Deſperatio, ut opponitur *Spei*, *Virtuti Theologicæ*, eſt, quâ homo, *diffidit*, *ſe conſequi poſſe æternam Beatitudinem*: ità in re communiter: duplex eſt: 1. eſt, quâ homo deſperat, quia credit, Deum parcere *non velle* peccata ſua; 2. eſt, quâ credit, Deum parcere *non poſſe* peccata ſua: utraque eſt peccatum mortale in Spiritum Sanctum, ſi tamen eſt cum pleno rationis aſſenſu; ſecùs dic. quando eſt ſolùm quidam motus rationis imperfectus, qui, ut plurimùm, procedit vel ex violentis tentationibus, vel gravibus afflictionibus, vel ex complexione melancholicâ, quia tunc veniale tantùm; ſi eſt cum pleno rationis aſſenſu, & cum errore in intellectu pertinaciter, utraque eſt cum hæreſi conjuncta.

Primus, qui in hoc Mundo deſperavit de Divinâ Miſericordiâ fuit *Cain*, ut legitur in *Gen. cap. 4. Major eſt iniquitas mea, quàm, ut veniam merear*; undè *S. Judas Taddaus*, in ſuâ epiſt.

Catho. ſic dixit: *Væ illis, quia in viâ* Cain *abjerunt*; & S. Hieronym. in epiſt. 83. ſic ait: *Conſurgit* Caina hæreſis; *atque olìm emortua vipera contritum caput levat, quæ non ex parte, ut antè conſueverat, ſed totum Chriſti ſubruit Sacramentum. Dicit enim eſſe aliqua peccata, quæ Chriſtus* non poſſit *purgare ſanguine ſuo*.

Detractio *eſt alienæ famæ, per occulta verba, injuſta denigratio*: ità in re communiter: Per ly *verba* intelliguntur etiam *ſcripturæ, ſigna, nutus*, & hujuſmodi; & per ly *occulta*, differt detractio à *contumeliâ*, quæ fit in præſentiâ *contumeliati*: dicitur poſteà ly *injuſta*, quia ſi res, quæ contrà proximum dicitur eſt notoria, vel publica, dici non poteſt *detractio*: idem etiam dicendum eſt, ſi, licèt neque publica, neque notoria; ille, de quo fit detractio, palàm ſe jactat de ſuo peccato.

Detractio duplex eſt; nempè: materialis, & formalis: *Materialis* eſt, quæ fit ſinè intentione nocendi, &, licèt non ſit peccatum mortale ex defectu plenæ deliberationis, eſt tamen obnoxia reſtitutioni famæ poſt advertentiam: *Formalis* eſt, quæ fit cum intentione nocendi, & hæc, ſecundùm *D. Tho. 2. 2. q. 73. a. 1. ad 3.*; & juxtà Scotum in *4. diſt. 15. q. 4.*, & communem DD. fit octo modis, qui continentur in ſequentibus duobus Verſiculis, quorum primi dicuntur *directi*, & ſecundi dicuntur *indirecti*.

Imponens; augens; manifeſtans; in mala vertens;
Qui negat; aut minuit; reticet; laudatque remiſsè.

Ille detrahit *imponendo*, qui falſum crimen alicui imponit: Hoc autem adeò injuſtum eſt, ut nec etiam illud facere licitum ſit, licèt eſſet ſimpliciter neceſſarium ad tuendam propriam famam, & honorem; immò etiam propriam juſtitiam, ut expreſsè conſtat ex propoſ. dam. ab Innoc. XI. infrà ponendis.

Ille detrahit *augendo*, qui ultrà crimen verum, aliquid aliud addit, quod non eſt verum; & iſtud etiam eſt injuſtum, ſicuti in imponendo.

Ille detrahit *manifeſtando*, qui alterius crimen, licèt verum; occultum tamen, aliis manifeſtat.

Ille detrahit *in mala vertendo*, qui alterius operationem bonam, vel indifferentem, coràm aliis ſiniſtrè interpretatur; de illâ malè loquendo.

Ille detrahit *negando*, qui alterius rectas operationes, vel laudabiles dotes, aut bonam indolem coràm aliis negat.

Ille

Ille detrahit *minuendo*, qui alterius rectas operationes, vel laudabiles dotes, aut bonam indolem coram aliis extenuat.

Ille detrahit *reticendo*, qui alterius bonas operationes tacet eo tempore, & loco, quo ejus ſilentium, alii interpretari poſſunt tacitam vituperationem.

Ille detrahit *remiſsè laudando*, qui ſimulatè, & frigidè laudat alterius operationem bonam, & quando ſimulat ſe laudare velle, vel talem operationem, vel Virum bonum, laude dignum; nihil tamen dicit, quod ſit laude dignum.

Detractio, licèt ſit peccatum mortale ex genere ſuo, & contrà juſtitiam, atque gravius furto, juxtà illud *Proverb. c.* 22. *Meliùs eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ*; in quinque tamen caſibus, eſt tantummodo veniale: 1. ex defectu plenæ deliberationis; 2. ex parte materiæ, quia levis; 3. ex parte intentionis detrahentis, quæ ſi eſt recta; nullum eſt peccatum; 4. ex parte perſonæ detractæ, eo quia apud omnes, ut talis habetur; vel ſi de eo, pejora publicata ſunt, demptâ tamen pravâ intentione nocendi, quia, hâc data, eſſet lethale; ex parte perſonæ, cum quâ ſit detractio, ut ſi quis, ex puro zelo, diceret Superiori alterius grave delictum ex fine bono emendationis; & in hoc caſu, nullum eſt peccatum.

Detractio gravis, quæ, ex defectu plenæ deliberationis, eſt tantummodo veniale, obligat tamen, ſub mortali, ad reſtitutionem, poſt advertentiam.

Detractori conſentire quis poteſt duplici modo; nempè: directè, & indirectè: *directè* dupliciter evenire poteſt: 1. quando quis *inducit*, aut *movet* alium ad detrahendum; 2. quando quis, audiendo detractionem, *delectatur de perſonâ detractâ*, & hoc etiam dupliciter evenire poteſt; nempe: 1. ex *odio* perſonæ detractæ; 2. ex quâdam *otioſitate*: Si *inducit*, aut *movet* alium ad graviter detrahendum; peccat mortaliter contrà juſtitiam; & conſequenter tenetur ipſe reſtituere famam, & compenſare damna, ſi quæ, ex cauſa talis detractionis, perſonæ diffamatæ, ſubſecuta ſunt, ſi ille, qui detraxit non reſtituit, & compenſat. De iſtis, qui *inducunt*, aut *movent* alios ad detrahendum, ſic loquitur *D. Bernardus lib.* 2. *de conſiderat. ſub finem*: *Detrahere, & detrahentem audire*: *quid horum deteſtabiliùs ſit? Non facilè dixerim*. Si *indirectè*; & delectatur de detractione propter *odium perſonæ detractæ*; peccat mortaliter, niſi excuſet inadvertentia actualis: ſi poſteà conſentit ex *quâdam otioſitate*, licèt cum advertentiâ; tunc ſolùm

eſt peccatum mortale, quando, attentâ qualitate perſonæ, eſt de materiâ gravi; ſi tamen reſiſtendo eſt ſpes fructus, & aliàs reſiſti poteſt, ſinè gravi damno, aut moleſtia: ità communiter DD.

Quando detractio verſatur circà unam, numero, perſonam, eſt unum tantummodo peccatum, licèt plures de illâ fiant detractiones in eodem tamen diſcurſu. Quando perſonæ, circà quas verſatur detractio, in eodem eloquio, ſunt plures; tot ſunt peccata, quot ſunt perſonæ diffamatæ, niſi tamen tales perſonæ conſtituerent *unum morale*; puta, una Civitas; una Communitas; una Familia, & hujuſmodi. Detractio facta coràm unâ, numero, perſonâ, non differt ſpecie, ac quando eſt facta coram pluribus, licèt aliàs obligatio poſteà reſtitutionis famæ reſpiciat, vel omnes ſimul, ſi poſſibile ſit, vel ſingulos diviſim. Quoties repetitur detractio, toties peccatur.

Infamare ſe ipſum in ſeptem caſibus eſt peccatum mortale: 1. quando quis, ſibi ipſi imponit grave crimen falſum; 2. quando, ſinè juſtâ causâ, peccatum ſuum grave, licèt etiam verum, aliis manifeſtat, & de illo ſe jactat; 3. quando ſe infamat de peccatis graviſſimis; 4. ſi ille, qui ſe infamat, eſt perſona publica, cujus infamia ſit aliis nociva; 5. ſi ex infamiâ ſui ipſius, ſecuta eſt infamia alterius; & in hoc caſu, eſt duplex peccatum reſtitutioni alterius famæ injuſtè denigratæ obnoxium; 6. ſi ex ſui infamiâ ſecutum ſit ſcandalum; 7. ſi illius fama, eſt illi omninò neceſſaria ad ſalutem animæ, & corporis.

Referre audita in quatuor caſibus, neque eſt peccatum mortale, neque contrahitur obligatio reſtituendi famam: 1. quando crimina non ſunt gravia; 2. quando neque augetur, neque magis confirmatur, quod auditum eſt, demptâ tamen intentione nocendi graviter proximo; 3. quando perſona, cum quâ eſt diſcurſus, prudens eſt, taliter quod, timeri non poſſit manifeſtatio; 4. quando ille, qui refert audita, non eſt talis, quod illi facilè credatur.

Detractiones omnes, tàm per *impoſitionem falſi*, quàm per *additionem ſuprà verum*, aut per *manifeſtationem veri*, ſed occulti; licèt differant ſpecie in *abſtracto*, non differunt tamen ſpecie in *concreto*; & conſequenter ſufficit dicere in confeſſione, v. g. impoſui falſum crimen grave proximo meo; manifeſtavi grave delictum, ſed occultum proximi mei, ſinè *ſpecificatione* delicti.

Quomodo ſit facienda reſtitutio famæ, vide ſub verbo ly *Fama* §. *Quando detractio &c.*, & quot ſint cauſæ, quæ excuſent à re-

ſtitutione famæ, vide ſub eodem verbo ly *Fama* §. *Famæ reſtituendæ &c.*

Innoc. XI. propo. dam. 30. in ordine: Fas eſt Viro bonorato occidere invaſorem, qui nititur inferre calumniam, ſi aliter hæc ignominia vitari non poteſt &c.; & propo. 43.

43. *Non eſt, niſi veniale, detrahentis authoritatem magnam, ſibi noxiam, falſo crimine elidere; & propo. 44.*

44. *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui falſum crimen alicui imponit, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat; &, ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologiâ.*

Devotio (ut eſt actus ſpecialis Religionis) *eſt actus voluntatis hominis, offerentis ſe ipſum Deo, ad illi ſerviendum*: ità in re communiter. Hujus devotionis cauſa principalis, eſt Spiritus Sanctus, intellectum illuminans, & voluntatem accendens, licèt aliàs, ex parte hominis, plurimùm ea foveatur ex frequenti, & attentâ Divinarum perfectionum conſideratione.

Diſpenſatio, *eſt relaxatio legis, cognitâ cauſâ*: ità in re communiter. Qui ſint, qui poſſint *licitè*, & *validè* diſpenſare, ſunt ſequentes: 1. Papa diſpenſare poteſt in omni Jure Eccleſiaſtico, non tamen in lege Divinâ, ut eſt communis DD. aſſenſus; poteſt tamen aliquando interpretari in lege Divinâ *poſitivâ*, ità quod, ob certas circumſtantias, declarare poteſt, quod hic, & nunc eſſet obligatio, ut patet ex *lib. 1. Machab. cap. 2. ℣. 41.*, in quo legitur, quod *Judæi interpretati ſunt præceptum Divinum poſitivum de Sabbato cuſtodiendo, non obligare; ſed eis licitum eſſe pugnare, ſi ipſis, in die Sabbati, pugna inferatur ab hoſtibus, ne citiùs diſperdantur à terrâ*; 2. quilibet Legislator, aut ejus Superior, vel Succeſſor in juriſdictione, poteſt diſpenſare cum ſuis Subditis in lege à ſe conditâ; 3. Inferior diſpenſare nequit in lege Superioris, niſi in quatuor caſibus: 1. ex permiſſione Juris; 2. ex delegatione, ſibi factâ à Superiore; 3. ex privilegio; 4. ex conſuetudine, legitimè præſcripta.

Quando diſpenſatio fuit obtenta per *ſubreptionem*, vel *obreptionem*; talis diſpenſatio eſt illicita, & invalida; ut eſt communis Theologorum conſenſus, atque Legiſtarum. Subreptio poſteà dicitur, quando *exponitur falſum*; & obreptio dicitur, quando *tacetur verum*.

Quæritur primò, an, quando conceditur diſpenſatio in *lege*

 huma-

humanâ, *de re gravi*, *ſine juſtâ causâ*; talis diſpenſatio ſit *licita*, & *validâ*? Reſp. 1. cum communi DD. conſenſu talem diſpenſationem, eſſe *illicitam* ex utrâque parte; & conſequenter ambos peccare, ideſt, tàm diſpenſatorem, (ſi tamen hic ſcit non reperiri juſtam cauſam ſic diſpenſandi), quàm diſpenſatum, dummodo hunc non excuſet bona fides. Reſp. 2., quod, licèt plures DD. afferant, talem diſpenſationem eſſe *invalidam*; attamen ſecundùm *Bonac. diſp. 1. de legibus q. 2. punc. 3.*, & plures alios, ibi citatos, eſt *valida*; & conſequenter, ſecundùm *cit. Bonac.*, & alios, & præſertim *Herinez diſp. 4. de legibus q. 1. n. 15.*, diſpenſatus *licitè* uti poteſt tali diſpenſatione.

Quæritur ſecundò, an Papa, urgente gravi causâ, diſpenſare poſſit in *Votis*; *Juramentis*; *Matrimonio rato*, & hujuſmodi, quæ ſunt de *Jure Divino*? Reſp. cum *Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp. 24. num. 5.*, *& lib. 8. diſp. 6. num. 6.*, quod, ſicuti Jus naturale Divinum, aliud eſt *abſolutum*, ut, de non fornicando, non perjurando, & hujuſmodi; & aliud eſt *fundatum in actu*, vel *contractu humano*, ut eſt votum, juramentum, Matrimonium ratum, & hujuſmodi; ità, cum diſtinctione procedendum eſt; quapropter dico primò, quod, circà primum, ideſt, *abſolutum*; nullo modo diſpenſare poteſt; & circà ſecundum, ideſt, fundatum in *actu*, vel *contractu humano*, ut eſt votum, juramentum, Matrimonium ratum, & hujuſmodi, poteſt diſpenſare, non tollendo tamen *obligationem* voti, juramenti &c., ſed ſolùm tollendo *fundamentum* obligationis, quatenùs, ſcilicèt, Papa loco Dei (cujus vices gerit in Terris) remittit Jus, à Deo acquiſitum, ex vi voti, juramenti, & ſimilium, vel ut plures DD. volunt, declarat Pontifex, Jus Divinum, vel naturale non obligare, quando juſta intervenit cauſa.

Divinatio, ut ſpecies ſuperſtitionis, *eſt enunciatio inordinata eorum, quæ naturaliter cognoſci nequeunt*: ità in re communiter: duplex eſt: prima eſt, quâ *apertè* invocatur Dæmon, ùt dicat occulta; ſecunda eſt, quâ *tacitè ſolùm* invocatur Dæmon, ut, quando quis, ad cognoſcendas res, utitur certis mediis, quæ nullam habent virtutem naturalem indicandi tales res: Porrò hæc ſubdividitur in duo genera, quorum primum, juxtà *Angel. Doct. 2. 2. q. 95. art. 3.*, *& ſeqq.*, plures recenſet ſpecies, quarum prima dicitur *Aſtrologia judiciaria*, quæ in tribus caſibus eſt lethaliter peccaminoſa, ut dixi ſub verbo ly *Aſtrologia*; ſecunda dicitur *Phyſiognomia*, per quam, ex lineamentis corporis; puta, vultus,

palmæ, manus, & hujuſmodi, proſpera, vel adverſa prædicuntur in liberè agentibus; 3. fit *per ſomnia*, & eſt mortaliter peccaminoſa, quando adeſt Dæmonis invocatio, licèt tacita, & etiam, quando illis præſtatur firma fides; 4 dicitur *Augurium*, quod fit ex avium, piſcium, aut aliorum animalium obſervatione in motu, cantu, volatu, & hujuſmodi, proſpera, vel adverſa prædicuntur in liberè agentibus, &, ſi iſtis præſtatur firma fides, non caret peccato mortali; 5. dicitur *Sortilegium*, quod eſt quædam divinatio, quæ conſiſtit in aliquibus actibus humanis: triplex poſteà datur ſortium genus; nempè: *Divinatorium*; *Diviſorium*; *Conſultorium*. *Divinatorium* eſt mortaliter peccaminoſum, quia ibi tacitè invocatur Dæmon, niſi in aliquo caſu expectetur reſponſum, ſeù judicium à Deo, eo modo, quo Saul immiſit ſortem ſuper Jonatam, & nautæ ſuper Jonam: *Diviſorium* eſt licitum, ſervatis tamen tribus conditionibus: 1. quod in eo non committatur injuſtitia; 2. quod non fit contrà publicum bonum; 3. quod non fiat in dignitatibus, & Beneficiis Eccleſiaſticis: *Conſultorium* eſt, quando judicium expectatur à Dæmone, & eſt mortaliter peccaminoſum, non ſolùm contrà primum præceptum Decalogi, ſed etiam contrà Religionem; immò, ſi eſt cum errore in intellectu pertinaciter, eſt cum hæreſi conjunctum; ſi poſteà Judicium expectatur à Deo eſt licitum, ſi tres conjunctim concurrant conditiones: 1. neceſſitas; 2. reverentia; 3. quod non fiat in rebus prophanis.

Divortium *eſt legitima ſeparatio conjugis à conjuge in legitimo Matrimonio conjunctis*: triplex eſt; nempè: quo ad *thorum tantùm*; quo ad *thorum*, & *habitationem ſimul*; & quo ad *vinculum*.

Cauſæ divortii quo ad *thorum*, & *habitationem ſimul*, ſunt octo, quarum prima durat in *perpetuum*; aliæ verò ſeptem *ad tempus* ſolummodo: Prima ergo fit ex cauſâ vel Adulterii; vel peccati nefandi; vel beſtialitatis, & hæc durat, ut dixi, in *perpetuum*: ad *tempus* ſunt ſeptem ſequentes: 1. periculum grave animæ, vel corporis, ſivè in maſculo, ſivè in fæminâ; 2. hæreſis ſuperveniens, ſivè Marito, ſivè uxori, poſt contractum Matrimonium; 3. ſævities, ideſt, nimia crudelitas, quæ, ut plurimum eſt in maſculis, & non in fæminis; 4. Veneficietas, ideſt, quando uni conjugum, certò conſtat, alterum eſſe maleficum; 5. Inſania ſuperveniens uni, vel alteri conjugi, poſt contractum Matrimo-

trimonium; 6. morbus contagioſus quicumque, ſuperveniens uni, vel alteri conjugi poſt contractum matrimonium; 7. Votum caſtitatis emiſſum, de communi conſenſu, ad tempus.

In quinque caſibus *Adulterium*, non eſt cauſa ſufficiens, pro faciendo divortio: 1. quando uterque conjux adulteravit; & hoc, licèt unus unâ vice tantùm, & alter etiam centies; 2. quando Maritus dedit Uxori *cauſam proximam* adulterandi; puta, illam proſtituendo, vel conſentiendo; ſecùs dic. eſt, ſi *cauſa* fuit tantummodo *remota*; putà, eijciendo de domo; neceſſaria negando, niſi tamen conſtaret de pravâ intentione Mariti; 3. Bona fides, quando, ſcilicet, unus conjugum, per errorem inculpabilem, habuit copulam cum extraneâ perſonâ, bona fide putans, eſſe ſuum proprium conjugem; 4. violentia; ſecùs tamen dic. de metu, licèt gravi, cadente in conſtantem virum; 5. condonatio non ſolùm explicita, ſed etiam implicita, & virtualis.

Conjux innocens, poſt divortium legitimè factum ob alterius conjugis adulterium, poteſt, in foro conſcientiæ, caſtitatis votum emittere; Religionem ingredi, & profeſſionem emittere, altero etiam invito; ſecùs dic. de adultero, niſi cum licentiâ expreſsâ, liberâ, & voluntariâ innocentis. Facto divortio; filii educandi ſunt ab innocente, expenſis adulteri.

Divortium quo ad vinculum, in tribus caſibus fieri poteſt: 1. quando ex duobus conjugibus *infidelibus*, ex eo, quod unus converſus eſt ad fidem Catholicam; alter non vult cum eo cohabitare; 2. quando licèt cohabitet; eſt tamen cum injuriâ Salvatoris; puta, quia infidelis ejus nomen contemnit; vel quia fideli prohibet Sacramentorum receptionem, & hujuſmodi; 3. quando infidelis ſollicitat fidelem ad apoſtaſiam à Fide, vel ad alia peccata mortalia.

Dolus duplex eſt; nempè: bonus, & malus: *Dolus bonus* (qui etiam eſt licitus) *eſt quædam ſolertia in operando*, quâ ſolertiâ uſus eſt etiam *Apoſt.*, ut apparet ex 2. *ad Cor. cap.* 12. *Cum eſſem aſtutus, dolo vos cæpi*: ſecundus, ideſt, *dolus malus*, eſt *ſtudioſa machinatio adhibita ad decipiendum*: ità *Tex. in l.* 1. *ff. de dolo*, tripliciter fieri poteſt; nempè: *mentiendo*; *ſilendo*; *arte verborum*.

Dolus dupliciter contingere poteſt; nempè: circà *ſubſtantiam*, & circà *accidentia*: quando *dolus* verſatur circà *ſubſtantiam rei*, annullat contractum, non ſolùm ſi *dat cauſam contractui*, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam ſi ſolùm *incidat in contractum*; quando poſteà verſatur circà *accidentia* non annullat contractum, niſi quando *dat cauſam* contractui; quando dolus annullat contractum, quia verſatur circà *ſubſtantiam*; illum annullat jure naturæ: *Quod tibi non vis fieri; alteri ne feceris*: tunc poſteà dicitur, dolum verſari circà ſubſtantiam, ſi, v. g. loco vini pactuiti, daretur cervicia; & tunc dicitur verſari circà accidentia, ſi, v.g. loco vini Montis Pulciani in pacto expreſſi, daretur vinum Montis Brianzæ.

Dolus, poſteà, *dans cauſam* contractui, eſt ille, qui ſi cognitus fuiſset tempore contractus ab alterâ parte; nullo modo celebratus fuiſſet talis contractus; &, ſi venit ab alterâ parte, vel etiam, ſi, quòcumque modo, altera pars ſit particeps doli, ſivè in *mentiendo*, ſivè in *ſilendo*, ſivè in *arte verborum*, quicumque contractus eſt invalidus in utrôque foro, *excepto matrimonio*; & in foro *externo*, excipiuntur etiam contractus *ſtricti Juris*, ſed in iſtis poſteà datur *actio judicialis*, ut conſtat ex *tex. de dolo dato l. 1. ff. de dolo*.

Dolus *incidens* in contractum eſt ille, qui ſi cognitus fuiſſet tempore contractus; licèt fuiſſet celebratus talis contractus, non tamen eôdem modo, aut eôdem pretio; & ſi verſatur circà *ſubſtantiam rei*, annullat contractum; ſecùs dic. ſi ſolùm verſatur circà *accidentia*.

Dolus, verſans circà *cauſam finalem*, eſt, quando diſponens non diſpoſuiſſet, niſi dolus adhibitus fuiſſet; & tunc quæcumque diſpoſitio eſt nulla.

Dolus, verſans circà *cauſam impulſivam* eſt, quando quis, ſinè tali dolo, dediſſet quidem, aut feciſſet, ſed non ità libenter, aut facilè, aut citò, hic autem dolus non annullat contractum.

Dominium duplex eſt; nempè: *juriſdictionis*, & *proprietatis*: Dominium *juriſdictionis*, eſt, quo quis habet facultatem gubernandi ſuos ſubditos, & duplex eſt: *Eccleſiaſticum*, ſcilicet, & *Laicale*: Dominium *proprietatis*, eſt, quo quis habet Jus diſponendi de re aliquâ, tamquam ſuâ in ſuum commodum, niſi lege prohibeatur: Iſtud triplex eſt; nempè: *directum*; *utile*; *mixtum*: Dominium *directum* habet ille, qui habet proprietatem rei, ſinè uſufructu: Dominium *utile* habet ille, qui, ſinè proprietate rei, habet Jus fruendi tali re, ſivè ad tempus, ſivè in perpetuum: Dominium *mixtum* habet ille, qui ſimul cum proprietate rei, habet etiam uſumfructum; & iſtud eſt *verum*, *perfectum*, & plenum proprietatis dominium.

Res

Res poſteà, in quas Homo habere poteſt verum, & perfectum *proprietatis* dominium, ſunt omnes *res corporeæ, inferiores*; puta, beſtiæ, arbores, agri, montes, terra, aquæ, metalla, & hujuſmodi, ut habetur in *Geneſi cap.* 1. Poteſt etiam Homo habere dominium non ſolùm *jurisdictionis* in alios Homines, ut Pater in filios, Princeps in ſubditos, Dominus in ſervos, & hujuſmodi, ſed etiam dominium *proprietatis*, ut Dominus in mancipia.

Non poteſt Homo habere dominium *vitæ propriæ*, juxtà illud *Sapientiæ in cap.* 16. *Tu es Dominus, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem*; habet tamen Homo dominium *propriæ famæ*, & *honoris*, ità quod, exiſtente *juſtâ causâ*, tantum bonum *licitè negligere* poteſt, & etiam *prodigere*, niſi tamen in aliorum præjudicium, aut damnum vergat: ità *D.Thom.* 2. 2. *q.* 73. *art.* 4., quod Homo ſit Dominus propriæ famæ, & honoris modo ſuprà dicto, liquet ex publicis confeſſionibus à Divo Auguſtino factis; & quod *ſinè juſtâ causâ*, illam negligere, aut prodigere non poſſit licitè; conſtat ex illo *Eccleſ. in cap.* 41. *Curam habe de bono nomine*.

Dominium rerum corporalium quatuor modis præcipuè acquiri ſolet: 1. *Jure naturæ*; 2. *Jure Civ., & Canonico*; 3. *privatâ Hominum voluntate*, ideſt, *contractibus*, *donationibus*, *conventionibus*, *pactis*, & hujuſmodi; 4. *Jure belli juſti*.

Illæ res, quæ numquam habuerunt Dominum, ut *gemmæ* in montibus, *margaritæ* in litore maris, & ſimilia, ſunt primi occupantis: ità communiter, & ſic expreſsè habetur ex §. *Feræ Inſtit. de rebus diviſ.*

Res incertæ, quæ Dominum habuerunt, ſed habere desierunt; ſi ab alio ſunt inventæ; iſte tenetur adhibere moralem diligentiam ad dignoſcendos veros Dominos, ut illis reſtituere poſſit; &, ſi poſt adhibitam diligentiam moralem, dignoſcere nequit veros Dominos; juxtà tutiorem DD. Sententiam, errogare eas debet in pauperes, vel alia pia opera, ut ſupponi debet, quod talis ſit voluntas Dominorum, quoniam ipſi ſuas res habere nequeunt, licèt aliàs *Leſſius lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 28 Layman *lib.* 3. *tract.* 1. *c.* 5. *num.* 24, Herinez *diſp.* 4 *de Juſtitiâ, & Jure quæſt.* 8. *n.* 149. Maſtrius *diſp.* 3. *Theol. Moral. num.* 52., & alii dicant, & ſatis probabiliter, quod inventores talium rerum incertarum, ſibi ipſis retinere poſſunt: Si inventor eſt *pauper*; nullum debet eſſe dubium, & maximè, ſi res inventa eſſet illi neceſſaria, ad ſe liberandum de occaſione proximâ peccandi mortaliter. Circà res incertas

certas ſunt etiam attendenda Decreta particularia Diæceſum.

Dominus, reſpectu ſervorum ad duo tenetur; nempè: ad ſalarium, illis ſolvendum, juxtà conventionem, cum ipſis factam; & correctionem vitiorum; undè peccat mortaliter, ſi tolerat aliquem ſervum, qui, ſuo malo exemplo, & depravatis moribus, ſcandalizat alios conſervos, vel familiares.

Donatio, ideſt, doni datio, *eſt datio liberalis, compenſationem non intendens*: ità in re communiter: multipliciter dividitur, & primò in *merè gratuitam*, & *remunerativam*; ſecundò in *abſolutam*, & *conditionatam*; tertiò inter *vivos*, & *mortis causâ*; & hæc, quôcumque tempore revocari poteſt, dùm vivit donator, etiam pro ſolo illius arbitrio: Illa, ideſt, *inter vivos*, ſemel perfecta, non ampliùs *temerè* revocari poteſt, ideſt, *ſinè graviſſimâ causâ*, qualis eſt ingratitudo Donatarii, vel Proles ſuperveniens donatori, ut habetur ex *Text. in l. ſi umquam*; *& l. fin. C. De revocandis donationibus*.

Donatio facta *ſolo verborum officio*; ſi eſt acceptata, dat dominium *ad rem*; ſi eſt facta cum *actuali traditione rei* dat dominium *in re*. Antè acceptationem explicitam, vel implicitam revocari poteſt, licèt ſit facta per publicum Inſtrumentum; & ſi illi apponatur aliqua conditio *turpis*, vel *impoſſibilis*; haberi debet tamquam non appoſita.

Donatio, licèt facta cum actuali traditione rei, & explicitè acceptata, in ſex caſibus revocari poteſt: 1. quando eſt omnium bonorum inter vivos; 2. donatio inter vivos ob ænormem ingratitudinem donatarii, quæ ingratitudo tamen à Judice approbari debet an ſit talis; 3. donatio facta mortis causâ; 4. donatio facta à Patreſamilias, ſi eſt tanta, ut non relinquat filiis ſuis, quantum petit eorum *legitima* portio; &, ſi eſt facta extraneæ perſonæ animo defraudandi filios, tota revocatur; 5. ſi donatio facta à Rege *ænormiter* Regnum lædit, ab ipſo, vel ſucceſſore revocari poteſt; 6. Pater filiis carens; ſi pro tempore, quo filiis caret, magnam bonorum partem donavit: filiis ſupervenientibus revocari poteſt quo ad *legitimam*, ſi eſt facta Eccleſiæ, vel Loco Pio; & *in totum*, ſi eſt facta ob profanas cauſas.

Donationes *inter vivos*, factæ *inter conjugatos*, ſunt à Jure prohibitæ, exceptis quinque caſibus: 1. ſi fiunt mortis causâ, ſeù in tempus ſoluti matrimonii; 2. ſi fiunt ob piam cauſam, vel ſint remuneratoriæ; 3. ſi Uxor donet Marito ex causâ dignitatis obti-

nendæ, vel publici muneris exercendi; 4. ſi Maritus condonet dotem, aut faciat contradotem, ſeù ob juſtam cauſam augeat Uxoris dotem, vel ſi quid annuum, vel menſale donet Uxori, ob veſtimenta, & alias neceſſitates, vel ſi fiat Religioſa; 5. ſi Maritus eſt dives, & modicè donet.

Donatio *inter Sponſos* per verba de *futuro* valet, dummodo non fiat in tempus *futuri* matrimonii: ſi matrimonium eſt invalidum; revocari poſſunt, quæ donata ſunt, licèt aliàs compenſari debeat damnum pudoris.

Donatio *inter vivos*, ultrà *quingentum ſolidos*; Jure communi Cæſareo eſt invalida quò ad *exceſſum*, niſi accedat inſinuatio apud Judicem, exceptis quinque caſibus: 1. ſi eſt facta Eccleſiæ, vel ad alias pias cauſas, dummodo tamen non ſit inofficioſa; 2. ſi eſt facta à Principe, vel Principi à Perſonâ privatâ; 3. ſi eſt facta militibus à belli Ducibus ex propriis bonis, vel hoſtium ſpoliis; 4. ſi ad cauſam; puta, ob cauſam militiæ, nuptiarum, ad redimendos captivos, & hujuſmodi; 5. ſi eſt facta in remunerationem beneficiorum, obſequiorum, & ſimilium: *Tex. l. Sancivimus*; *& l. ſi quis pro redemptione C. de donationibus*, & alibi.

Dotis proprietas ſemper remanet in pleno Uxoris dominio, licèt aliàs adminiſtratio, & uſusfructus pertineant ad Maritum, ut conſtat ex *l. 2., & l. Dotis fructus ff. de Jure Dotium*: immò etiam vivente Marito, ſi hic ad inopiam reducitur, taliter quod ſit periculum, ut dotem conſumet, fas eſt Uxori eam repetere, ut ait *Layman in l. 3. tract. 4. cap. 13. num. 7.*, & mortuo Marito præfertur Uxor in repetendâ dote omnibus aliis perſonalibus creditoribus, etiam tempore prioribus, & hypotecam habentibus, licèt aliàs duo dentur caſus, in quibus dotis dominium plenè ad Maritum tranſit, ſed cum obligatione tantundem reſtituendi, ſoluto matrimonio: primus caſus eſt, ſi dos conſiſtit in numeratâ pecuniâ, vel aliis rebus uſu conſumptibilibus: ſecundus eſt, ſi res dotales uſu non conſumptibiles ità æſtimatæ dentur, ut æſtimatio faciat emptionem, & venditionem; & ratio eſt, quia in prædictis duobus caſibus Maritus acquirit dominium ipſarum, & ſummæ taxatæ pecuniæ; & conſequenter veluti pretii debitor efficitur, ac proindè, ſoluto matrimonio, poteſt ſibi retinere rem, & pro re offerre taxatam pecuniam.

Duellum, ideſt, *duorum bellum*, Græcè *monomachia* dictum, *eſt pugna ſingularis ab utrâque parte, ſpontè ſuſcepta*: ità in re com-

communiter: Per *Conc. Trid. ſeſſ.* 20. *de ref. cap.* 19. eſt prohibitum ſub pænâ excommunicationis latæ, nemini tamen reſervatæ; & per *Greg. XIII.* eſt prohibitum ſub pænâ excommunicationis latæ, Papæ reſervatæ extrà Bullam Cœnæ tamen, dummodo tres ſimul concurrant conditiones; nempè: 1. aſſignatio *loci particularis*, in quo pugnari debeat in duello; 2. aſſignatio *temporis*, in quo utraque pars inveniri debeat in *tali loco aſſignato*, pro pugnando in duello; 3. quod *utraque pars* pervenerit *tempore aſſignato* ad *locum determinatum*, pro pugnando in duello.

Incurritur prædicta excommunicatio, licèt duellantes non pugnent in duello, dummodo per eos non ſteterit, quod pugnarent; incurritur, licèt duellum fiat ſinè Patrinis: quod dicitur de duellantibus, in ordine ad prædictam excommunicationem; idem dic. eſt de Patrinis, & de illis omnibus, qui concurrunt ad duellum, non ſolùm *poſitivè*, ideſt, quôcumque modo cooperando, ſed etiam *negativè*, ideſt, illud non prohibendo, ne fiat, ſi commodè prohibere poſſunt: idem etiam dic. eſt de *ſcienter* adſtantibus ad videndum duellum, licèt fiat ſinè Patrinis; dixi *ſcienter*, quia ignorantia quæcumque, exceptâ affectatâ, tàm *Juris*, quàm *facti*, excuſat ab incurrendâ præfatâ excommunicatione in *ſcienter* adſtantibus, ad videndum duellum.

Duellum, licèt mortaliter peccaminoſum, & prædictis excommunicationibus ſubjectum, eſt tamen licitum in quatuor caſibus, ità quod neque ſit læthaliter peccaminoſum, neque ulli cenſuræ obnoxium: 1. tempore belli, quando Hoſtis duellum offert Exercitui; *licitè* acceptari poteſt, tamquam neceſſarium ad evertendam totius exercitus ignominiam, animoſque hoſtium debilitandos, ſuorumque confirmandos, ut evenit de duello Davidis cum Gigante Goliat, ut legitur in 1. *Reg. cap.* 17.; 2. Si in bello ex communi partium conſenſu, totum bellum ad duorum, vel paucorum certamen committeretur, ne, in communi certamine, tanta hominum ſtrages fieret; 3. quando quis, pro tuendâ propriâ vitâ, cogeretur acceptare duellum, eo quia ad evitandam mortem, aliud remedium ſibi non ſuppeteret, cum hoc ſit de Jure naturæ: idem dic. ſi duellum eſſet ſimpliciter neceſſarium pro conſervatione propriorum bonorum temporalium; 4. Si duo, vel plures eſſent condemnati ad mortem; & Judex ad tentandam ſortem unius, vel aliquorum faceret, ut pugnarent in duello.

Alex. VII. propo. dam. 2. *in ordine*: *Vir Equeſtris, ad duellum*

D

lum provocatus, poteſt illud acceptare, ne notam timiditatis apud alios incurrat.

Dulia *eſt honor, & ſervitus debita Sanctis*, ſivè, *eſt virtus, exhibens cultum Creaturæ rationali, ob excellentiam acquiſitæ Beatitudinis.* Appellatur *Dulia*, ſivè, *ſervitus*, quia nos, tamquam Servi, magnâ animi demiſſione, debemus Sanctos venerari, tamquam Patronos, & Protectores noſtros: ità *Polmann. in Brev. Theol. 2. 2. n. 10. 14.*

E

Ebrietas, quæ oritur ex vitio gulæ, *eſt actus, quo quis ità immoderatè utitur potu, ut uſum rationis perdat ad tempus*: ità in re communiter: Ebrietas eſt lethaliter peccaminoſa, ſi tamen prævidetur; & ratio eſt, quia in tali caſu ebrius ſibi voluntariè notabile damnum infert, amittendo illum rationis uſum, qui à brutis illum differre facit: excuſat tamen à peccato, ſi non ſit directè intenta, & cenſeatur permiſſa tamquam ſimpliciter neceſſaria ad recuperandam ſanitatem corporis, dummodo tamen, ex tali ebrietate, rationabiliter non timeatur aliquod grave damnum ſpirituale; eſt etiam peccatum mortale ſe ipſum voluntariè exponere periculo ebrietatis; alios ſcienter inebriare, vel exponere periculo ebrietatis, eſt peccatum mortale, niſi excuſet neceſſitas, pro evitando proprio, vel alieno gravi damno ſpirituali, corporali, vel temporali.

Quilibet actus, qui ex genere ſuo ſit peccaminoſus, ſivè mortaliter, ſivè venialiter, factus ab ebrio, qui voluntariè ſe inebriavit, vel ebrietatem prævidit, eſt taliter peccaminoſus, ac ſi eſſet factus cum uſu rationis in actu exercito, ſi actus ille fuerit intentus, directè, ità quod ſe inebriaverit ad finem committendi in ebrietate talem actum, v. g. homicidium, vel prævideri, & non fecerit debitam diligentiam ad illud præcavendum, ut eſt communis DD. opinio; & idem dic. eſt de illis, qui alios ſcienter inebriant, modò non excuſet neceſſitas, ut dixi ſuprà: quilibet contractus ab ebrio factus eſt invalidus, & nullus, quia *ebrius* reputatur ut *amens*.

Innocens XI. propo. dam. 8. in ordine: Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis frui actibus ſuis. Eccle-

E

Eccleſiæ nomine intelligitur *certus Hominum cætus ad veram Dei cognitionem, & cultum, veramque Religionis ſocietatem divinitùs evocatus*; Dividitur in *Triumphantem*; *Purgantem*; & *Militantem*.

Eſt de Fide Divinâ, veram Jeſu Chriſti *Eccleſiam Militantem*, eſſe in Terris *viſibilem*, cujus primarium Caput (licèt pro nunc inviſibile) eſt Jeſus Chriſtus Salvator noſter, &, poſt ejus admirabilem Aſcenſionem in Cælum, ejus caput viſibile eſt *Romanus Pontifex* legitimus D. Petri Apoſtolorum Principis, ſucceſſor, ac proindè verus Jeſu Chriſti in Terris Vicarius.

Hæc vera Eccleſia viſibilis, tota ſimul, & univerſalis, neque errare poteſt in articulis fidei, juxtà illud *Matt. in cap. 16.*, neque totaliter deficere, juxtà *eundem Matt. in cap. 28.*, & *Joannem in cap. 16.*, & extrà hanc veram Jeſu Chriſti Eccleſiam, nemo ſalvari poteſt.

Notæ pro dignoſcendâ verâ Jeſu Chriſti Eccleſiâ ſunt quatuor, ideſt, quod ſit *Una*; *Sancta*; *Catholica*; *Apoſtolica*: *Una*, juxtà illud Apoſt. in 1. ad Cor. c. 14. *Non enim diviſionis eſt Deus, ſed pacis*. *Sancta*, juxtà illud Pſal. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas*. *Catholica*, ideſt, una, & eadem, & *univerſaliter*, in toto Mundo, juxtà illud Marci in cap. 16. *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium*. *Apoſtolica*, ideſt, illa, quæ originem habuit ab *Apoſtolis*, & ſinè ullâ temporis interruptione, uſque ad præſentem diem pervenit: ſicque, à partium enumeratione, & conſideratione, nulla alia vera Jeſu Chriſti Eccleſia unquam aſſignari poterit, niſi *Romana*, quæ eſt illa *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apoſtolica*, quam nos Catholico-Romani fatemur, & veneramur.

Quod vera Dei Eccleſia, Jeſu Chriſti Sponſa, fuerit, ſit, & in perpetuum futura ſit *Una numericè*; nullus ex Chriſti fidelibus, revocare poteſt in dubium; quia, ſicuti *unus eſt Deus*, ità *Una numericè*, *debet eſſe* ejus Eccleſia, in quâ profiteatur *illa numero fides*, ſinè quâ impoſſibile eſt placere Deo; quamque Jeſu Chriſti docuerunt Apoſtoli, ſicuti, & ipſi, à Jeſu Chriſto audierunt.

Quod poſteà *hæc Una numero Eccleſia*, uſque ad prima ſex ſæcula completa, hoc eſt, uſque ad obitum Gregorii, hujus nominis, primi, Pontificis Romani, fuerit *Romana*; nullus Hæreticorum negat (licèt ab Aſcenſione Domini uſque ad Gregorium; ſeptuaginta aliæ fuerint Eccleſiæ, ſicuti ſeptuaginta fuerunt hęreſes ſpecie,

& ma-

& malitiâ diſtinctæ non tantùm à Romanâ, ſed etiam inter ſe, ut accuratè notavit Berninus) nam Calvinus Hæreſiarca Inſtit. lib. I. cap XI. ſect. 13. ſic ſcripſit: *Meminerimus quingentis circiter annis magis adhuc floruiſſe Religionem, & ſynceriorem viguiſſe doctrinam*. Bulingerus adverſùs B rent. in cap. I. partis I. ſic ſcripſit: *Hanc doctrinam ſynceram, inviolatamque; conſenſu unanimi*, & Catholico, *conſervavit vetus, Sanctaque illa, & Orthodoxa Chriſti ab ipſis Apoſtolorum temporibus Eccleſia* per integra ſex ſæcula, *& multò plura*; & parte altera cap. de patr. priſæ Eccleſiæ ſic: *Quando Patres referunt, non tantùm quid ipſi dumtaxat ſenſerint, ſed quæ fuerit ætate ipſorum ex Scripturâ, Sancta, vera*, Apoſtolica, & Catholica *Fidei profeſſio* in Orthodoxâ, & Catholicâ Chriſti Eccleſiâ; *ſanè ab iis citrà crimen impietatis, & ſalutis veræ diſpendium, recedere, aut iis reluctari, non licet*. Bartholomæus Kechermanus in lib. 3. cap. 14. Syſtem. Logici ſic ſcripſit: *Diligenter inquirenda eſt antiquitas*; & magna eſt confirmatio fidei, *cognitâ ſerie temporum, Eccleſiæ eligere teſtimonia eorum, qui fundamenta retinuerunt. Si vis autem ſcire, quæ ſit vera, pia, & erudita antiquitas; dicam tibi uno verbo, quod res eſt. A tempore Apoſtolorum uſque ad initium Papatus, hoc eſt*, annis ferè ſexcentis, floruerunt Diſcipuli Apoſtolorum, & eorum audientes, *ut Policarpus, Ignatius, Irenæus, Juſtinus, Tertullianus, Cyprianus, Euſebius, Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Theodorettus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Proſper Aquitanicus, & Maximus*. Quoties igitur vetuſtatem laudamus; *de his, & ſimilibus, quos jam nominavi, loquimur*. Anonimus quidam, (plures alios brevitatis gratiâ, prætereo), qui, ſe veteris Catholicæ Fidei, amatorem appellans; in quôdam ſuo Opuſculo, cujus titulus eſt: *Concordia Bernenſis Eccleſiæ cum doctrinâ Apoſtolorum, & quatuor Æcumenicorum Conciliorum* Bernæ impreſſum anno 1650., ſic Germanico idiomate ſcripſit: *Si etenim Hyſtorias* primorum Epiſcoporum Romanorum, *revolvimus; comperiemus in veritate, quod illorum triginta, & unus; devoti, laborioſi, & humiles Prædicatores, ideſt, fideles Paſtores, & ordinarii verbi Dei Doctores fuerint, qui etiam Evangelio, teſtimonium ſuo ſanguine reddiderunt*; his uſque ad annum ſexcenteſimum, *adhuc triginta tres ſucceſſerunt* uſque ad Gregorium Primum, *qui etiamnùm, tamquam populi Doctores prædicarunt*: *ſiquidem* Gregorius Primus,

ulti-

ultimus erat, qui prædicationis officio functus eſt; *ità ut ſexaginta quatuor* Epiſcopi Romani, *ſucceſſivè uſque ad* annum ſexcenteſimum fuerint, *qui juxtà inſtitutum Chriſti, Oves verbo Dei paverunt*, & *juxtà D. Pauli doctrinam prædicarunt*: Et propo. 6. tria dat documenta; nempè: primum; *quod Eccleſia dicitur VERA, quia extrà eam omnes doctrinæ ſunt falſæ*: ſecundò; *quod dicitur CATHOLICA, quia à quatuor Æcumenicis Conciliis, ſit verbo conformis judicata*: tertiò; *quod Eccleſia, quæ credit ea, quæ ab his Conciliis, credita fuere, non habeat fidem novam, ſed veterem; ſitque* Vera, & Catholica *Eccleſia*.

Ex confeſſione ergo præcipuorum modernorum Hæreticorum, ut viſum eſt; & ex teſtimonio omnium Patrum, qui Sacroſancto primo Generali, & Æcumenico Concilio Nicæno; & Sancti Gregorii, evidenter conſtat, quod vera Dei Eccleſia, Jeſu Chriſti Sponſa, ab Apoſtolis uſque ad ſextum ſæculum completum ſucceſſivè, & ſinè ullâ interruptione fuerit *ROMANA*, cum Patres cit. Concilii Nicæni poſt facta Decreta, & Canones, ſcripſerunt ad Silveſtrum *Romanum Pontificem*, ut dignaretur approbare, & ratum habere quidquid in Concilio geſtum erat (tom. 1. Conc. in Conc. Romano ſub Silveſtro), & S. Gregorius in expoſit. 5. Pſalt. Pænit. ſic ſcripſerit: *Hæc Sedes Romana ſpeculatorem ſuum toto Orbi indicit; & novas Conſtitutiones omnibus mittit.*

Sicuti omnes penè Hæretici moderni fatentur, quod vera Dei Eccleſia, Jeſu Chriſti Sponſa uſquè ad Sanctum Gregorium incluſivè fuerit *Romana*; ità penè omnes aſſerunt, quod immediatè poſt Sanctum Gregorium defecerit: Sunt tamen inter ſe diſcordes in aſſignandâ causâ, cur defecerit; nam aliqui ſunt ex illis, de quibus *S. Auguſt. in Epiſt.* 137. ſic ſcripſit: *Qui non habentes, quod in causâ diviſionis defendant; non niſi hominum crimina, colligere affectant; & ea ipſa plura falſiſſima, jactant.*

Eſtò, quod Hæreticorum, & Lutheri præſertim, calumniæ, eſſent veritates; quid indè ſequitur? *Ex Perſonis probamus Fidem; an ex Fide Perſonas*, reſpondet Tertull. in lib. de præſcrip. cap. 2. *Soli Dei Filio ſervabatur ſinè delicto permanere*, ibidem ſubdit idem Tertullianus. *Paucorum culpa* (ait S. Hieronym.) *non præjudicat Religioni; Apoſtolorum Fidem, Judæ proditio, non deſtruxit*. Eſtò, iterum dico, quod Hæreticorum calumniæ eſſent veritates: quid indè? Jeſus Chriſtus non dixit Petro: Ego rogavi pro te Petre, *ut non deficias*; ſed dixit: *ut non deficiat*

Fides

Fides tua: Petrus cum juramento negavit Chriſtum; ex tali ergo errore perſonali, inferri poteſt, quod Dei Eccleſia defecerit? Abſit. Auſcultent Hæretici, quid S. Hieron. dicit in lib. 2. adversùs Jovinianum: *Si altiſſima illa ſublimitas cecidit* (dicit de Lucifero) *quis cadere non poſſit? Si in Cœlo ruinæ; quanto magis in terra?*

Audiant Hæretici, qui in Romanorum Pontificum, aliorumque Eccleſiæ Prælatorum oculis, feſtucas vident; Magiſtrorum verò ſuorum, nullatenùs trabes conſiderant: percipiant, dico, quales fuerint *Lutherus*, *Zuinglius*, *& Calvinus* eorum deceptores, & Dei Eccleſiæ non reformatores (ut ipſi jactant), ſed veri deformatores: Lutherus in lib. de Eccleſ. Ord. Epiſc., Mundo ſic ſe ipſum publicavit: *En appello me* Eccleſiaſten; *Dei gratiâ, hoc titulo inſignivi meipſum; & ſi* Evangeliſtam, *me etiam, Dei gratiâ, nominarem, citiùs eſſem oſtenſurus*. Et in lib. contrà Regem Angliæ, hoc modo: *Ego adversùs dicta Patrum Hominum, Angelorum, Dæmonum pono, non antiquum uſum, non multitudinem Hominum, ſed unius Majeſtatis æternæ verbum, Evangelium . . . ut nihil curarem, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ contrà me ſtarent . . . An non ſum ego pretioſus, & nobilis Vir? Immò certè bis mille annis vix nobilior fuit ſanguinis, quàm Lutherus*. In Gloſsâ poſteà contrà Edictum Imperatoris, his verbis: *Ego Doctor Martinus Lutherus, Domini noſtri Jeſu Chriſti indignus Evangeliſta*. In colloquiis autem latinis, cap. de morbis, ſic: *David, Daniel, Iſajas; excellentiſſimi fuerunt Prophetæ: Ego ſum Iſajas, Philippus, Jeremias*.

An credibile ſit, quod Deus, qui ſuperbis reſiſtit; Cujus Filius exemplar, & Magiſter humilitatis, hoc dedit documentum: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde &c.* miſerit hunc Luciferum ad reformandam Eccleſiam ſuam? judicent, & reſpondeant Lutherani. An, inquam, credibile ſit, quod Deus miſerit ad reformandam Eccleſiam ſuam illum Lutherum, modernorum Hæreticorum Anteſignanum, qui in colloq. menſal. German. pag. 274. confeſſus eſt, *quod, quando cum hominibus erat, non nocebat illi Diabolus; ſed quando ſolùm deprehendebat; tunc illum erudiebat in moribus; & quod Diabolus frequentiùs, & propiùs cum illo condormiebat, quàm Catharina ſua Concubina*, ut ibidem legitur pag. 281. Luthero, dico, à Fide; ab Ordine, & à Reli-

Religione apoſtatam? judicent, & reſpondeant Lutherani.

Idem omninò dicendum eſt de *Zuvinglio* Hæreſiarcâ, Lutheri contemporaneo, à Fide, & ab Ordine apoſtatâ, qui de ſeipſo ſic præſuntuosè ſcripſit (teſte Hottingero à Patre Ruſcâ relato in Judicio Eccleſ. pag. 207.) *Ut primùm hùc Tigurum, vocatus, perveni; Evangelium Matthæi citrà omnem humanarum nugarum traditionem, Eccleſiæ expoſui; & hoc inſtitutum meum de Evangelio abſque humanis commentationibus, ex ſolis fontibus Scriptura Sacra prædicando &c.* Et in Epicher. de Can. Miſſæ, ſic ſuperbè ſcripſit: *Orandi pro Defunctis morem, Chryſoſtomus, & Auguſtinus tradiderunt, ab Apoſtolis uſque ad ſe manaſſe, quod ego vehementer admiror. Et ſi verum eſt, non puto, Apoſtolos aliâ de causâ, quàm indulgentiâ, infirmis quibuſdam, permiſiſſe pro mortuis orare.* Et in Choronide de Euchariſt., fatetur, *ſe in ſomnis à Diabulo edoctum fuiſſe ad ſcribendum contrà realem Corporis Chriſti præſentiam in SS. Euchariſtiâ.*

An credibile ſit, quod Deus ad reformandam Eccleſiam ſuam, miſerit hominem præſuntuoſum, ſuperbum, à Diabulo edoctum? Judicent, & reſpondeant Zuvingliani.

De Calvino Hæreſiarcâ nequiſſimo, à Fide, & ab Ordine Apoſtatâ; hoc ſolùm dicere ſufficiat, quod ipſemet in *Conc. X. Gall. in epiſt. ad Epheſ.* confeſſus fuerit *homines ſuæ Sectæ, omnium mortalium eſſe ſceleratiſſimos, & facinoroſiſſimos*: & in hoc Calvinus, ità locutus eſt, ut veritas ipſa loqui, viſa fuerit, ut inter alios patet de *Bezâ*, ejuſdem Calvini in doctrinâ diſcipulo, & in crimine peſſimo, igne purgando, aſſeclâ: Hic raptam Claudiam conjugatam, quam Candidam appellabat, ſecum duxit Genevam, ubi ſic canere non erubuit.

Namque Vezeliis carere poſſum,
Et carere parente, & his, & illis,
At non Candidulâ, Audobertuloque.
Sed utrùm rogo præferam duorum?
Priores tibi defero Audoberte;
Quod ſi Candida *fortè conqueratur,*
Quid tùm? baſiolo tacebit uno.

de hoc dant teſtimonium *Schlupelburgius Lutheranus*; & *Tilenanus in cap.* 18. *Apologiæ* dicit, quod Audobertus, quo abutebatur, erat ex Provinciâ Arelatenſi. Hic optimè quadrat illud Jeſu Chriſti dictum: *Sufficit diſcipulo, ſi ſit ſicut Magiſter ejus.*

Teomorus Calviniſta (relatu Reſcii in Miniſtromachiâ) recenſet novem maculas turpiſſimas à ſuæ Sectæ hominibus, Calvino inuſtas; nempè: *Hæretico pejorem, ambitioſum, uſurarium, trapezitam, avariſſimum, aleatorem, ſcortatorem libidinoſiſſimum,* & quidem eo more, quod non liceat homini loqui, *vindictæ appetitiſſimum, & iracundiſſimum fuiſſe.*

An credibile ſit, quod Deus ad reformandam Eccleſiam ſuam, miſerit Calvinum nefandiſſimum hominem, & tot, talibuſque vitiis maculatum? Judicent, & reſpondeant Calviniani.

Hæretici ergo illi, qui dant cauſam defectionis veræ Dei Eccleſiæ Romano-Catholicorum criminibus; ejiciant prius magnas trabes, quas habent in oculis propriis, & tunc perſpicient educere feſtucas ex alienis oculis.

Illi Hæretici, qui defectionis, veræ Dei Eccleſiæ, hominum criminibus dant cauſam; Donati Hæreſiarchæ, veſtigia ſequuntur, ejus falſam doctrinam profitentes; nam *Divus Auguſtinus in brev. Coll. lib. 3. cap. 4.*, narrat, quod Carthagine celebratum fuit Concilium (ſedente in Cathedrâ Petri Innoc. I., qui creatus fuit Papa anno 402.), in quo idem Auguſtinus interfuit ſimul cum aliis 287. Epiſcopis Catholicis; & 279. Epiſcopis Donatiſtis: In hoc Concilio principalior articulus fuit (ut ibi dicit idem Auguſtinus) *an, ſcilicet, propter peccata hominum, defeciſſet vera Dei Eccleſia*, quod cum Catholici negarent; & Donatiſtæ affirmarent; Catholici demonſtrarunt originem, & perpetuitatem Eccleſiæ Dei; principium, & novitatem Eccleſiæ Donatiſticæ, & utentes verbis *Tertull. de Præſcript. cap. 31.* ſic clamabant: *Edant Donatiſtæ originem ſuarum Eccleſiarum; evolvant ordinem ſuorum Epiſcoporum*, & poſteà cum eôdem Tertull. ibidem cap. 3. ſic eos interrogabant: *Qui eſtis vos? Undè veniſtis?* Et cum Optato Milevitano adversùs Parm. lib. 1. ſic illis dicebant: *Veſtræ Cathedræ vos originem oſtendite, qui vultis vobis Sanctam Dei Eccleſiam vindicare?* & tandem cum S. Hieronymo in epiſt. ad Ocean., & Pamach., quæ in ordine eſt 65. concludebant *in eâ permanendum eſſe Eccleſiâ, quæ ab Apoſtolis fundata, uſq; in illam diem, erat durata.*

Idem poſteà D. Auguſt. poſt coll. cap. 19. ſubdit, quod Donatiſtæ ſe ſubſcripſerunt propoſitioni Catholicæ, & quod confeſſi fuerunt Sanctam Eccleſiam Catholicam eſſe veram, & ſolam Magiſtram veritatis, licèt aliàs ex poſt ad vomitum reverſi fuerint

ſuorum

zed by Google

ſuorum errorum; more ſolito Hæreticorum, qui ſemper rationum evidentiâ convicti remaneant; numquam victos, ſe oſtendunt. Prædicta optimè quadrant pro Hæreticis modernis.

Alii aſſerunt veram Dei Eccleſiam defeciſſe in *Bonifacio Tertio* (qui creatus fuit Papâ anno 606. poſt Sabinianum primum, qui electus fuit anno 604 immediatè poſt Gregorium primum) eo quia, ut ipſi dicunt, electus fuit à *Phoca* Imperatore; ſed iſti errant etiam per teſtimonium *Lutheri in lib. de poteſt. Papæ; Magdeburgentium in Cent. 6. cap. 1., Mornæi in myſterio iniquitatis progreſſu 22.* prædicti enim non dicunt, quod electio Bonifacii fuerit facta à Phocâ, ſed ſolùm dicunt, quod Bonifacius recepit à Phocâ privilegium, quod Sedes Romana eſſet prima aliarum Eccleſiarum; ſed errant toto Cælo, nam Sedes Romana ab incunabulis ſemper fuit prima, & Magiſtra omnium aliarum Eccleſiarum, ut liquet ex omnibus Eccleſiaſticis Hiſtoriis; quapropter *Card. Bellarm. de Rom. Pontificibus lib. 2. cap. 17.* dicit, quod Phocas ſancivit *declarando*, & *aſſerendo*, non tamen *inſtituendo* aliquid novi.

Bonifacius; eo quia Cyriacus Patriarca Conſtantinapolitanus temerè prætendebat, quod Sedes Conſtantinapolitana haberet primatum ſuprà Sedem Romanam; ad reprimendam inſolentem audaciam Cyriaci, uſus eſt auxilio brachii ſæcularis recurrendo ad Phocam pro juſtitiâ; & Phocas declaravit, & aſſeruit, quod Sedes Romana, erat prima, & Magiſtra omnium aliarum Eccleſiarum. Verè Cyriaco congruebat illa D. Auguſtini ſententia (lib. de utilit. credendi cap. 17.) *Romanæ Eccleſiæ, nolle primatum dare; vel ſummæ impietatis eſt; vel præcipitis arrogantiæ.*

Sed eſtò, quod falſitas eſſet veritas; ideſt, quod electio Bonifacii non fuiſſet facta à Clero Romano, ſed à Phoca; ſic dico: Vel electio Papæ ſpectabat ad Imperatorem, vel ad Clerum Romanum: Si ſpectabat ad Imperatorem; ergo electio Bonifacii fuit Canonica; ergo corruit fundamentum Hæreticorum aſſerentium, quod ideò defecit in Bonifacio vera Dei Eccleſia, quia ejus electio non fuit Canonica, & conſequenter invalida. Si poſteà electio non ſpectabat ad Imperatorem, ſed ad Clerum Romanum; quâ fronte attritâ, & æneo vultù moderni Hæretici dicunt, & ſuſtinere prætendunt, quod electio Papæ ſpectet ad Imperatorem? Reſpondeant quidquid volunt, quod ſemper illaqueati remanebunt; nàm ut ait *Petrus Cellenſis lib. 5. epiſt. 4.*, ſicuti veritas ventilata clareſcit;

& ſpecies Aromatica piſtillorum tunſione fragraſcit; ſic Eccleſia Catholica Hæreticorum oppreſſione plùs creſcit.

Pro coronide referam, quod ſcribit *Divus Bernardus ad Eugenium Tertium in lib. de conſiderat.* ſic ergo illi dicit: *Tu Sacerdos Magnus. Tu Summus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum. Tu Hæres Apoſtolorum. Tu Primatu, Abel; Gubernatu, Noe; Patriarcatu, Abraham; Ordine, Melchiſedech: Dignitate, Aaron; Authoritate, Moyſes; Judicatu, Samuel; POTESTATE, PETRUS; UNCTIONE, CHRISTUS.*

Divus Bernardus, ſicuti, & Eugenius III. vixerunt pluribus ſæculis poſt Bonifacium III. De S. Bernardo; *Lutherus in colloq. convival.* dicit, quod omnes Eccleſiæ Doctores vicerit; *Daniel Hejeſenſis in orat.* 3. teſtatur, quod opera, quæ Sanctus Bernardus ſcripſit, ſunt: *Rivus Paradiſi; Ambroſia animarum; Pabulum Angelicum, & medulla pietatis*: Et Calvinus Inſtit. lib. 4. cap. x. aſſerit, quod S. Bernardus in lib. de conſiderat., *ità locutus fuerit, ut veritas ipſa loqui viſa fuerit &c.* Si ergo per ipſos Hæreſiarcas, & Hæreticos modernos, S. Bernardus vincit omnes Eccleſiæ Doctores; ejus Doctrina eſt Rivus Paradiſi, & Pabulum Angelicum; & id quod ſcripſit in lib. de conſiderat., ſit verum, ut ipſamet veritas; & aliàs Divus Bernardus pluribus ſæculis vixerit poſt Bonifacium Tertium: neceſſariò ſimpliciter concludere debent moderni Hæretici, quod aut vera Dei Eccleſia Jeſu Chriſti Sponſa illibata duraverit uſque ad Eugenium Tertium, de quo S. Bernardus dat teſtimonium, quod *Poteſtate erat* Petrus; *& Unctione* Chriſtus; vel deteſtari ſuos Magiſtros, ut mendaces. Hoc eſt argumentum ſtrangulatorium, quod ſolvi non poteſt.

Everſo totaliter à radicibus fundamento Hæreticorum, quod vera Dei Eccleſia defecerit in ſeptimo ſæculo; conſequenter dicendum eſt, quod præſenti tempore vera Dei Eccleſia, ſit numericè *Romano-Catholica*; cum Hæreticorum latratus non poſſint ſe extendere, niſi ad errores Eccleſiaſticorum perſonales, in quos incidit ille idem Petrus, cui Jeſus Chriſtus dixerat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Cum autem vera Dei Eccleſia, in quâ profitetur illa numericè Fides, ſinè quâ impoſſibile eſt placere Deo, quamque docuerunt Apoſtoli, ſicuti ipſi à Jeſu Chriſto audierunt, ſit *Romana*, cujus Caput pro nunc viſibile, eſt Clemens XIII. fæliciter regnans; indè neceſſariò ſequitur, quod ſit Sancta, & Apoſtolica, non ſolùm in

Digitized by Google

E

Fidei doctrinæ, ab ipsâ traditæ, Sanctitate; ſed etiam in mediis ad Sanctitatem conſequendam juxtà illud S. Petri in epiſt. 1. cap. 1. *Sancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus ſum*: proponit enim Eccleſia Romana filiis ſuis Evangelicam voluntariam Paupertatem, Obedientiam, Caſtitatem; Operum Miſericordiæ ſpiritualium, & corporalium exercitationem; Jeſu Chriſti cum gaudio Crucem bajulari in anguſtiis, & tribulationibus; ejuſdemque ſequi veſtigia in inimicorum dilectione, & conſiliorum Evangelicorum exercitatione. Sancta, & Apoſtolica denique in tot filiis ſuis, ex quibus idem Lutherus (lib. de cap. bab. cap. de bapt., & cap. de Euchariſt.) Sanctos appellat Bernardum, Dominicum, Franciſcum, & Thomam Aquinatem, quorum tres primi, etiam à Melanctone Lutherano Sancti vocantur. Catholica denique cum una, & eadem numero ſit in omnibus Terrarum Orbis partibus, ubi ejus filii reperiuntur.

Quærere quis poſſet, cur vera Dei Eccleſia, quæ ab incunabulis *Chriſtiana* appellabatur, ut colligitur ex *Act. Apoſt. cap. xi.*, nunc appelletur *Eccleſia Catholica*: Credo in unam Sanctam *Catholicam*, & Apoſtolicam Eccleſiam? Reſp. hujus mutationis cauſam fuiſſe *Gnoſticos* Hæreticos, quorum Anteſignanus fuit *Carpocrates* circà annum vigeſimum ſecundi ſæculi, cujus hæreſes abominabiles infeſtarunt Aſiam, Africam, & Europam. *S. Epiphanius hæreſ. 26.* narrat, ſe in Ægypto, talia de hoc Hæreſiarcâ audiviſſe, ut quando reminiſcebatur, ipſamet excogitatio horreret: Hoc dicere ſufficiat, quod aſſerebat, & prædicabat, quod ſi aliquis moriebatur antequam guſtaſſet omnes delectationes carnalis ſenſualitatis, ejus anima in pœnam omiſſionis riunebatur corpori, donec ſatisfeciſſet plenè appetitum; undè *cit. S. Epiphanius hæreſ. 27.* ſic ſcripſit, *Teneri unumquemque ad omnia genera ſcelerum perpetranda, & ſi, cum homines moriebantur, non perpetraſſent omnia, quæ perpetrare poterant, remitti ad corpora, idque toties, donec implerent ſcelerum menſuram*; & in tali ſenſu exponebat illud Evangelii in *Matt. cap. 5. Non exies indè, donec reddideris noviſſimum quadrantem*: ejus malitia tandem uſque ad talem exceſſum pervenit, ut puniret, & aliquando etiam pœnâ mortis illos, qui ſivè ex causâ verecundiæ propter publicitatem; ſivè ex motivo remorſus conſcientiæ, renuiſſent committere quodcumque peccatum cujuſcumque ſpeciei luxuriæ, allegando illud *cit. Matt. Conſentiens eſto adverſario tuo citò, dùm es in viâ cum eo, ne fortè*

tradat

tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro, & in carcerem mittaris &c. Idem cit. S. Epiphanius ſic de *Gnoſticis* addit: *Dicere timeo, ut ne de ſterquilinii occultati, carnalem revelem, & quibuſdam videar graviolentiæ inductionem operari &c.* Origenes *de denominatione Chriſtianorum, & Catholicorum* narrat, quod ipſimet Gentiles oderant, & deteſtabantur Chriſtianorum nomen, evitantes converſationes, & diſcurſus gentis tàm perverſæ, & abominabilis, eo quia omnes exiſtimabant ſervare eadem dogmata: quapropter ut refert *S. Epiphanius loco citato*, tunc cæperunt *Chriſtiani non Gnoſtici* denominari *Catholici*, ne cum Hæreticis nomen haberent commune. Contrà *Gnoſticos* tunc ſcripſerunt *S. Juſtinus, S. Theophilus, & Antenagora* illas admirabiles Apologias, quibus ad evidentiam demonſtrarunt, quod fraudolenter Gnoſtici, ſibi ipſis Chriſtianorum nomen uſurpabant.

Eccleſia non ſolùm poteſt *directè* præcipere *actus externos*, ut fatentur omnes DD. Catholici, ſed etiam *actus internos*, ſicuti deducitur ex *Trid.*, *ſeſſ. 13. in Decreto de SS. Euchariſtiá*, ubi Sancta Synodus interdicit, ne de SS. Euchariſtiâ *aliter credatur*, quàm quod in eôdem Decreto definitur; ſed *credere* eſt actus *purè internus*: ergo Eccleſia *directè* præcipere poteſt *actus purè internos*. Ex hoc poſteà ſequitur, quod Eccleſia non ſolùm poteſt exercere *poteſtatem juriſdictionis*, quæ in hominis utilitatem pertinet, ut patet de diſpenſatione in *votis merè internis*, ſed etiam exercere poteſt *poteſtatem legislativam*, & *coactivam*, ut patet ex *primá propo. dam. ab Alex. VII.*, & aliis ab *Innoc. XI.*, quæ ſunt 5., 6., 7., 10., 11., 13., 14., 15., 16., 17., 18., 19., 20., 21., in quibus omnibus præcipiuntur, vel prohibentur *actus merè interni*.

Eccleſiaſtica Immunitas rectè dividitur in *Realem*, *Localem*, & *Perſonalem*: prima, ideſt, *Realis*, eſt, quæ competit *rebus Eccleſiaſticis*; Secunda, ideſt, *Perſonalis*, eſt, quæ convenit *Eccleſiaſticis Perſonis*; Tertia, ideſt, *Localis*, eſt, quæ conceditur *Eccleſiis* (& de iſtâ hic eſt ſermo), & definitur, quod *ſit privilegium, loco Sacro conceſſum, ut ibi exiſtentes tuti ſint à laicâ poteſtate*.

Hac locali immunitate Eccleſiaſticâ gaudent omnes delinquentes, qui ad Eccleſiam confugiunt, ut patet ex *Conſtit. Greg. XIV.*, quæ incipit: *Cum aliàs nonnulli &c.* exceptis tamen caſibus in §. 3. expreſſis, & ſunt ſeptem ſequentes.

1 Publici latrones, viarumque graſſatores, qui frequentata itinera,

nera, vel publicas ſtratas obſident; ac viatores ex inſidiis aggrediuntur: Per ly *Latrones* intelliguntur illi, qui aggrediuntur, ſpoliant, & *occidunt* viatores; & per ly *graſſatores viarum* intelliguntur illi, qui viatores aggrediuntur, & ſpoliant, *ſed non occidunt*: Idem dic. eſt de *Pyratis*, ac de *illis*, qui publicas ſtratas *obſident*; aut *Arcem*, vel *Caſtellum* habent, ex quibus erumpere ſolent, ad *deſpoliandos* homines prætereuntes; ſecùs dic. de furibus, qui occultè, & ſinè armis furantur, & etiam de illis, qui, in viâ publicâ, hominum depredationes attentant, ſed non perficiunt; & hujus ratio eſt, quia in pænalibus, & odioſis, actus debent in ſuo genere eſſe perfecti, & conſummati, ut eſt communis DD. conſenſus.

2 Depopulatores agrorum; & iſti, ſunt illi, qui ſegetes in alienis agris depredantur, comburunt, aut deſtruunt, vel agros alienos vaſtant; ſivè hoc faciant *diurno* tempore, ſivè *nocturno* ſaltem ſecundùm *Barboſ. lib. 2. Jur. Eccl. cap. 3. n. 87.*

3 Qui homicidia, vel membrorum mutilationes, in ipſis Eccleſiis, earumque Cæmeteriis, committere non verentur, dummodo tamen homicidium, vel mutilatio ſint facta in Eccleſia, vel Cæmeterio; nam, ſi quis in Eccleſiâ, vel Cæmeterio exiſtens alium extrà Eccleſiam, vel Cæmeterium, exiſtentem, occideret, vel mutilaret; non ideò privaretur Eccleſiaſticâ Immunitate, ut ait *Barb. cit. cap. 3. num. 111.* cum pluribus aliis: à contrario ſenſu intelligendum eſt, ſi quis, extrà Eccleſiam, vel Cæmeterium exiſtens, alterum in Eccleſiâ, vel Cæmeterio, exiſtentem, occideret, vel mutilaret; & hoc, licèt in Eccleſiâ, vel Cæmeterio vulneratus, ibi non obiret, ſed extrà Eccleſiam, vel Cæmeterium moreretur; & ratio eſt, quia, ſicuti delictum fuit in Eccleſiâ, vel Cæmeterio commiſſum; ità qui illud commiſit, ejus aſylo gaudere non debet, ut ait *Bonac. to. 2. q. 7. pun. 6. §. 2. n. 5.*, & communiter. Attendatur Bulla Ben edicti XIII.

4 Homicidæ *proditores*. In quo poſteà conſiſtat ratio *proditorii*? Reſp., quod, licèt accidentaliter varient DD., ſubſtantialiter tamen in hoc conveniunt, quod *ratio proditorii* in hoc conſiſtit, quod occidatur homo, rationis compos, qui hìc, & nunc, impotens eſt, ad ſe præcavendum, vel ſub ſpecie amicitiæ.

5 Aſſaſſinii Rei; *Aſſaſſinorum* poſteà nomine intelliguntur illi, qui occiſorem, promiſſo pretio, conducunt; vel qui opera ſua ad occidendum locant, quod idem eſt, ac dicere *Mandantes*, & *Mandatarii*.

6 Hæ-

6 Hæreſis Rei, ideſt, *Hæretici*, *ob crimen hæreſis*, privantur Eccleſiaſticâ immunitate: an etiam tali aſylo priventur propter alia delicta, in Bullâ Gregoriana non excepta? Reſp., quod, licèt aliqui DD. teneant *affirmativam* opinionem; *negativa* tamen, ut communior, & probabilior, eſt ſequenda, ut, inter plures alios, tenet *Zoeſius tit. de Immunit. Eccleſ. num.* 16.; & ratio eſt, quia, cum Hæretici per Baptiſmum, ingreſſi ſint Eccleſiam, & conſequenter remaneant obligati ejus legibus, in odioſis, & pænalibus, ut eſt communis DD. conſenſus; debent proindè etiam gaudere de illius favoribus.

7 Rei læſæ Majeſtatis in *perſonam ipſius met Principis*: notanter dicitur ly: *in perſonam ipſius met Principis*, nam excludi debent alia delicta, quæ licèt ſint *læſæ Majeſtatis*, non ſunt tamen in *perſonam ipſius met Principis*: Qui poſteà ſint Rei læſæ Majeſtatis *in perſonam ipſius met Principis*: vide ſub verbo ly *crimen* §. ly *Prima ſpecies*.

Benedictus XIII. per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit: *Ex quo, divinâ diſponente gratiâ &c.* emanata *anno* 1725. confirmavit Conſtitutionem *Gregor. XIV.*, & prædictis ſeptem caſibus exceptis, ſex ſequentes addidit:

1 Interficientes proximum ſuum animo præmeditato, & deliberato.

2 Falſificantes literas Apoſtolicas.

3 Miniſtros Môntis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depoſitis Principis, privatarumque perſonarum deſtinati, furtum, aut falſitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione Arca pecuniaria, ità minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus ſit.

4 Conflantes, adulterantes, vel tondentes quaſcumque monetas aureas, vel argenteas etiam Principum exterorum quotieſcumque in loco, aut Provinciâ, ubi crimen admittitur, liberum habeat uſum, & commercium.

5 Ipſas monetas conflatas, adulteratas, aut detonſas ſcienter ità expendere, & erogare præſumentes, ut fraudis conſcii, atque participes cenſeri poſſint.

6 Illos, qui ſub nomine Curiæ, ſeſe introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, eaſque re ipsâ committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domeſticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio ſequatur.

In

E

In eâdem Bullâ prædictus Benedictus XIII. declarat: 1. circà *Latrones*, *& viarum graſſatores*, ſufficere unicam tantùm graſſationem in viâ publicâ, aut vicinali admiſſam, ut quis publicus latro, & graſſator dici valeat, dummodo tamen graſſati mors, aut membrorum mutilatio ſecuta fuerit. Declarat 2., quod non ſolùm illi, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Eccleſiis, earumque Cæmeteriis committere audent, ſed etiam eos, qui ſtantes in Eccleſiâ, vel Cæmeterio interficiunt ſtantes extrà Eccleſiam, vel Cæmeterium, aut ipſis membrum mutilant, nec non eos, qui ſtantes extrà Eccleſiam, vel Cæmeterium occidunt ſtantes intrà Eccleſiam, vel Cæmeterium, aut iis membrum mutilant. Declarat 3. Illos, qui confugientibus vim inferunt, atquè ipſos ab Eccleſiâ, aliôque loco immuni violenter extrahunt, & abducunt. Declarat 4. in tribus præmiſſis caſibus ejuſmodi Reos, non illius tantùm Eccleſiæ, quam violarunt, ſed cujuſcumque etiam alterius Eccleſiæ Immunitate gaudere nequaquam poſſe, aut debere. Declarat 5., quod per ly *Aſſaſſinii Reos*, intelliguntur tàm Mandatarii, quàm Mandantes, qui certum præmium, aut mercedem, ſivè in pecuniâ, ſivè in aliis rebus tradiderint, aut promiſerint, quamvis promiſſio nullum habuerit effectum, dummodo aſſaſſinium re ipsâ patratum fuerit.

Statuit, præcipit, & mandat prætereà, nullam in hoc Decreto haberi rationem cujuſcumque interpretationis ejuſdem Gregorianæ Conſtitutionis, quæ à quôcumque Doctore prodierit, neque praxes à quibuslibet Curiis, aut Tribunalibus invectæ; immò, nec quarumcumque declarationum, quæ ab hujus Almæ Urbis noſtræ Tribunalibus, ſivè etiam à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Immunitati Eccleſiaſticæ præpoſitorum emanaverint, quatenùs præſenti noſtræ Conſtitutioni adverſentur, ſed in occurrentibus caſibus ſequens norma obſervetur: nimirùm.

Quotieſcumque Curia Eccleſiaſtica, à Curiâ Sæculari fuerit requiſita, ut Laicum aliquem delinquentem à loco immuni extrahi, ac illi conſignari faciat, eaque ſuper delicti excepti qualitate, ac perſonæ reitatæ ſubminiſtrata, vel acquiſita ſint indicia, quæ ad capturam decernendam ſufficere videantur; tunc Curia Eccleſiaſtica ad ejuſdem Delinquentis extractionem ab Eccleſiâ, aliiſve locis immunibus, ope, ac medio ſuorum Executorum, implorato

etiam, quatenùs opus ſit, brachii ſæcularis auxilio, & cum interventu Perſonæ Eccleſiaſticæ, ab Epiſcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque, ad ſuos Carceres aſportari, ac ibi ſub tutâ cuſtodiâ detineri, curet, & faciat. Ubi verò ex proceſſu informativo deſuper conficiendo, conſtet de crimine excepto, ac inſuper adverſus eundem extractum, talia reſultent indicia, ut crimen ab eo fuiſſe patratum moraliter credi poſſit (quæ quidem indicia, juxtà regulas Juris vocantur *ultrà torturam*) eo tandem caſu præfatum extractum, Miniſtris, & Officialibus Curiæ ſæcularis, tradere, & conſignare poſſit, ac debeat, exactâ tamen, & receptâ priùs ab ipſis obligatione in formâ Juris validâ, reſtituendi extractum Eccleſiæ ſub pænâ excommunicationis latæ ſententiæ Nobis, ac pro tempore exiſtenti Romano Pontifici reſervatæ, quatenùs idem extractus indicia contrà ipſum acquiſita, in ſuis defenſionibus purget, ac diluat. Quod ſi ea minimè purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit; Curiæ Sæculari in ipſum tali caſu, ut Juris eſſe cenſuerit, agere, atque procedere liceat.

Inſuper idem Summus Pontifex præcipit, & mandat ſub pænâ excommunicationis latæ ut ſuprà, & aliis pænis à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis adversùs eos, qui Juriſdictionem Eccleſiaſticam quòquo modo lædunt, ac violant, ne quicumque alius, quâcumque ſæculari dignitate præfulgens, ullo pacto ſeſe ingerant, aut immiſceant ad cognoſcendum, & declarandum, an delicta, pro quibus inquiſiti ad loca immunia confugerunt, & in eis, ſe receperunt, ſint nec ne de genere, ac numero exceptorum, niſi ſoli Epiſcopi privativè, & nullus alius, qui ſit inferior Epiſcopis, licèt ſint locorum Ordinarii, aut nullius Diæceſis, aut Conſervatores à Sede Apoſtolicâ ſpecialiter, vel generaliter deputati.

2. Quoad intelligentiam caſuum poſitorum in Conſtitutione Gregoriana; attendi debet hæc Benedicti.

In aliis caſibus quibuſcumque; delinquentes, ad Eccleſiam confugientes, gaudent Eccleſiaſticâ Immunitate; &, ſi quis Eccleſiaſticam Immunitatem violaverit, non ſolùm committit grave ſacrilegium, ſed etiam in plures pænas incurrit, & præſertim in excommunicationem majorem à Jure, & ipſo facto, à quâ *ex vi unius Decreti Sac. Cong. Immunit., emanato ſub die* 20. *Aprilis Anno* 1673., abſolvi non poteſt, nec etiam vigore *Jubilæi generalis*,

lis, niſi in Bullâ Jubilæi fiat particularis mentio de violatoribus Eccleſiaſticæ Immunitatis.

Nomine poſteà *Eccleſiæ localis* veniunt omnes Eccleſiæ, non ſolùm conſecratæ, ſed etiam tantummodo benedictæ Epiſcopi authoritate, ſed etiam cum ſolâ Crucis erectione, ad publicum Miſſæ Sacrificii uſum deputatæ, ut clarè conſtat ex *cap. Eccleſ. de Immu. Eccleſ.*, & hoc intelligendum eſt, licèt tales Eccleſiæ eſſent interdictæ, vel pollutæ, ut ait *Pring. tit. de Immun. Eccleſ. num.* 3. cum *Sylveſtro*, & aliis: Eccleſia poſteà polluitur in quinque caſibus: 1. ob homicidium peccaminoſum; 2. ob injurioſam effuſionem ſanguinis humani; 3. ob notoriam ſeminis humani effuſionem; 4. ob ſepulturam non baptizati; 5. ob ſepulturam excommunicati vitandi, & Hæreticorum. Veniunt etiam *Cæmeteria*, licèt ab Eccleſiâ *ſeparata*, dummodo Epiſcopi authoritate ſint deſignata, & Sacrata: ità *Barb. cit. num.* 62., *& ſeqq.*; Veniunt etiam omnes ſtructuræ, quæ ad Eccleſiam pertinent, ut: *Sacriſtia*, *Turris Atrium*, *Porticus*, *Ambitus*, quia hæc omnia vel ſunt ipſi Eccleſiæ annexa, vel ad Eccleſiæ fabricam ſpectant.

Item Monaſteria, Conventus, Religioſorum Domus, & quæcumque in ſpatiis Monaſterii, Conventus, vel Domus continentur: Item Hoſpitalia, Oratoria Epiſcopi authoritate conſtructa, & omnia alia loca, quæ Religioni, vel pietati ſunt deſtinata, dummodo Epiſcopi authoritate fuerint fundata: ità *Barb. cit. c.* 3. *n.* 67. *& ſeqq.* cum pluribus aliis.

Delinquentes confugientes ad Sacerdotem manibus geſtantem SS. Euchariſtiæ Sacramentum extrà Eccleſiam, gaudent Immunitate Eccleſiaſticâ, ut vult *Barboſ. loco cit. cap.* 3. *num.* 69., qui etiam ibidem plures alios citat, in hujus opinionis confirmationem.

Item illi, qui pro aſylo confugientes ad Eccleſiam, illam clauſam reperientes, ejus januam, vel ſeram manibus apprehendunt: *Barb. ibid. nu.* 65.; immò illi etiam, qui parietem Eccleſiæ exteriorem tangunt, Immunitate Eccleſiaſticâ gaudent, ut benè probant *Bonac. diſp.* 3. *in Decal. q.* 3. *punc.* 4. *n.* 5., & Diana *part.* 3. *tract.* 1. *reſp.* 73.

Rei cujuſcumque criminis (exceptis treſdecim ſupradictis) gaudent Eccleſiaſticâ Immunitate, & conſequenter in prædictis locis capi nequeunt, aut vinculis conſtringi, & multò minùs per vim

ab ipſis locis extrahi ſub pœnâ, ut ſuprà dictum eſt: idem dic. ſi Reus per *dolum*, vel *fraudem* eſſet inductus ad deſerendum locum Sacrum, in quo erat; & mediante *dolo*, vel *fraude* eſſet captus, niſi Eccleſiæ ſit reſtitutus: ità *Barboſ. cit. num.* 54., & plures alii.

Quamdiu Reus manet in Eccleſiâ, non poteſt à Judice per ſententiam condemnari ad quamcumque pœnam corporalem, neque ad pœnam ſervitutis, exilii, aut triremium: ità communiter DD. Inſuper prohiberi non poteſt, quominùs ad ipſum deferantur neceſſaria pro ſuſtentatione vitæ; & ratio eſt, quia oppoſitum facere eſſet aperta coactio, ut communiter dicunt DD.

Rei ad Eccleſiam confugientes recipiendi ſunt, neque indè excludi poſſunt, aut repelli; quin immò ſi non habent, undè vivere poſſunt, illis ſubminiſtrari debet quantum pro ſuſtentatione vitæ eſt neceſſarium, licèt aliàs ipſi rei in tali caſu (ſi laborare poſſunt) laborare teneantur pro Eccleſiâ, ubi inveniuntur, & hoc pluribus de cauſis, & præſertim; ne ex delictis commiſſis, reportent commodum.

Occidens, vel mutilans in Monaſterio, gaudet aſylo in Eccleſiâ: ità cum communi *Sperell. deciſ.* 60. *n.*4., & Antonell. *de reg. Eccl. lib.* 10. *cap.* 9. §. 1. *n.* 17.

Beneficio aſyli non privatur, qui ex purâ rixâ, ex improviſo ſubortâ, occidit, vel mutilat in Eccleſiâ, ut declaravit *Sac. Cong. Immunit. die* 24. *Martii* 1636.

Clerici ſæculares gaudent immunitate pro delictis non exceptis, ab ipſis commiſſis: ità *Sperell. deciſ.* 59. *n.* 36., ubi in fine notat ſic fuiſſe deciſum à *Sac. Cong. Immun.*

Regulares intrà ſepta Monaſterii delinquentes; ad hoc ne regularis diſciplina corruat, & ne delicta impunita remaneant, extrahi poſſunt ab Eccleſiâ, & ſalutaribus pœnitentiis corripi, ut declaravit *Sac. Cong. Immun. in unâ Æſinâ* 10. *Aprilis* 1701.

Epiſcopus non poteſt dare facultatem Judici laico, ut quis examinetur in Eccleſiâ, vel alio loco immuni, præſertim cum juramento: neque quod cadavera exhumentur, ut fiat recognitio in *Eccleſiâ*, ſed *ſolùm extrà*, & *ad arbitrium ipſius Epiſcopi*, ut declaravit *Sac. Congreg. Immunit. die* 2. *Maji* 1629., quæ declaratio ab *eâdem Sac. Cong.* confirmata fuit *anno* 1645. *die* 8. *Auguſti*.

Sac.

Digitized by Google

E

Sac. Cong. Immun. in unâ *Narnienſi* emanatâ *anno* 1665. 27. *Januarii* declaravit, *plateam Cathedralis* non gaudere Immunitate, quæ declaratio approbata fuit à *Papâ* 21. *Februa. ejuſdem anni*: ſecùs dic. eſt de *Domo Parochi*, licèt etiam *non hæreat Eccleſiæ*, ut declaravit *Sac. Congreg. Immunit.*, teſte *Pignat. conſult.* 436.

Extractus à loco immuni, eidem loco reſtituendus eſt, ut declaravit *Sac. Congr. Immunit. in unâ Cajacenſi die* 20. *Novembris* 1640., & ſolus Papa diſpenſare poteſt, ut alteri loco reſtituatur.

In dubio, an quis propter crimina excepta in Gregorianâ gaudeat, nec ne Immunitate, ſpectat ad Epiſcopum judicare, & in caſu, quo concurrente Epiſcopi licentiâ, Reus à loco Sacro extrahi deberet, ad Carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponendus erit, nec Curiæ Sæculari conſignandus, niſi poſtquam Epiſcopus pronunciaverit conſtare de *crimine in Gregorianâ excepto*. Vide Conſtit. Bened. §. *Inſuper*.

Eleemoſina *eſt opus, quo ſubvenitur indigentiæ alterius ex miſericordiâ procedens*: ità in re communiter.

Indigentia, ſeù neceſſitas quadruplex eſt: *Extrema*; *quaſi extrema*; *gravis*; *communis*: Prima, ideſt, *extrema* eſt illa, in quâ quis poſitus, invenitur in probabili periculo mortis, vel gravis infirmitatis, niſi ſubveniatur: *Quaſi extrema* eſt illa, quæ eſt proxima prædicto periculo, ità quod, ſi quis in illâ exiſtens non ſubvenitur conſtituitur in recenſito periculo: *Gravis* eſt illa, in quâ quis poſitus; talia patitur incommoda, quæ vitam ei reddunt nimis miſeram, & moleſtam: *Communis*, eſt illa, in quâ quis poſitus; licèt incommoda patiatur; non ſunt tamen talia, quæ ei vitam nimis miſeram, & moleſtam reddant juxtà patientis ſtatum, & conditionem; & talis neceſſitas, regulariter loquendo, eſt illa, quæ reperitur in *mendicis*, qui hinc, indè ſubveniuntur, dùm oſtiatim petunt eleemoſinam: His præmiſſis ſit.

In *extremâ*, vel *quaſi extremâ* neceſſitate proximi; quiſque tenetur ſub mortali, ei errogare eleemoſinam etiam de *neceſſariis ſimpliciter ad decentiam ſtatus*, ut cum communi Theolog. tenet *Jo: de Cardenas ad propo. dam. ab Innoc. XI. in ordine* 12., *n.* 5. ſecùs dic. eſt de *neceſſariis ſimpliciter ad propriam, atque familiæ ſuſtentationem*, niſi tamen poſitus in prædictâ neceſſitate, eſſet Perſona publica, Reipublicæ neceſſaria, quia tunc eleemoſina eſſet debita ſub mortali etiam de *neceſſariis ſimpliciter* ad propriam, atquè

atquè familiæ ſuſtentationem ; ut eſt communis DD. aſſenſus.

In *gravi neceſſitate* ; eleemoſina eſt debita ſub mortali *ex ſuperfluis ſtatui*, ſi alius non ſit, qui ſubveniat proximo in *gravi neceſſitate* conſtituto, nec in ſimili neceſſitate poſito, ut patet ex *Evangelio*, ubi ſic; *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum; eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare &c.*, ubi not. eſt, quod per ly *eſurivi*: Chriſtus ſolùm loquitur de *neceſſitate gravi*, ut communiter explicant DD.

Licèt non deſint, qui dicant, quod in communibus neceſſitatibus eleemoſina ſit debita ex *conſilio tantùm*, & non ex *præcepto* etiam de ſuperfluis ad *naturam*, & *ſtatum*; probabiliùs tamen eſt, quod divites, qui habent ſuperflua *naturæ*, & *ſtatus*, peccent mortaliter, ſi *nullam eleemoſinam* errogare volunt *mendicis*, & hi enumerari poſſunt inter divites Epulones, omni charitate Dei, & Proximi exutos.

Homines privati non tenentur inquirere pauperum neceſſitates, ſed ſolùm Prælati ex officio, & Principes reſpectu ſuorum ſubditorum, quorum ſunt Patres.

Graviori neceſſitati priùs ſuccurrendum eſt in quòcumque ſubjecto illa ſit: Parentes priùs, quàm Uxor, & Filii in æquali neceſſitate ſuccurri debent ex juſtitiâ: Eleemoſina priùs erroganda eſt *juſto*, quàm peccatori.

Superfluum *Perſonæ* eſt illud, ſinè quo decens ſtatus perſonæ ſubſiſtere poteſt: ſuperfluum *naturæ* eſt illud, ſinè quo vita ſervari poteſt.

Neceſſarium, & ſuperfluum conſiderari debent non ſolùm reſpectu temporis præſentis, ſed etiam futuri, & periculorum.

Innoc. XI. propo. damn. 12. in ordine: Vix in ſæcularibus, etiam Regibus, invenies ſuperfluum ſtatui; & ità vix aliquis tenetur ad eleemoſinam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

Emphitheuſis *eſt contractus rei immobilis*, cujus dominium utile *tantummodo transfertur in accipientem*, retento directo *apud concedentem, cum pacto certæ penſionis ſolvendæ proprietario in recognitionem dominii directi*.

Emptio *eſt acceptio alicujus rei pro certo pretio*: ità in re communiter: conditiones pretii ſunt tres: 1. quod ſit *pecunia numerata*, aliter eſſet *permutatio*; 2. quod ſit *certum*; 3. quod ſit *juſtum*: pretium poſteà *juſtum* duplex eſt; nempè: *naturale*, & *legale*:

pre-

pretium *naturale* triplex eſt; nempè: *ſummum*, *medium*, & *infimum*; pretium *legale* conſiſtit in *indiviſibili*; & quilibet exceſſus tàm *ſuprà* in vendendo, quàm *infrà* in emendo in *foro conſcientiæ* eſt reſtitutioni obnoxius; ſecùs dic. in *foro externo*, dummodo non excedat medietatem, quia ſicuti in tali caſu daretur *læſio enormis*, ità daretur etiam *actio judicialis*, ut conſtat ex *l. 2. C. de reſcindendâ Venditione*.

Ad ſubſtantiam tàm emptionis, quàm venditionis ultrà pretium; alia duo requiruntur: 1. quod res, quæ emitur, vel venditur exiſtat vel *de præſenti*, ut, ager, vinea, domus, ovis, triticum, vinum, caro, caſæus, ova, & ſimilia; vel *de futuro*, ut fructus naſcituri, Jura, actiones, & hujuſmodi, quæ omnia emi, & vendi poſſunt; 2. pactio, ideſt, quod circà rem emendam, vel vendendam fiat *pactio pretii*, & in illud tàm emptor, quàm venditor præbeant liberum aſſenſum.

Res, quæ habent pretium, ſunt in duplici differentiâ, nam aliæ ſunt, quæ ſunt neceſſariæ ad *victum*, & *veſtitum*, quæque conſiſtunt, aut in *pondere*, aut in *numero*, aut in *menſurâ*; & aliæ ſunt, quæ ſolùm inſerviunt ad *ornatum*, & *delectationem*: pretium primarum tàm naturale, quàm legale debet eſſe *juſtum*, ut ſuprà dictum eſt: pretium ſecundarum ſtat in voluntate ementium, & vendentium citrà fraudem tamen.

Ad juſtitiam *pretii naturalis*, nulla regula, quæ ſit certa, aſſignari poteſt; undè regulariter loquendo, ſtandum eſt ad locorum conſuetudinem, approbatam juxtà communem Hominum loci practicam, quæ quidem æſtimatio pretii, deſumenda eſt ex abundantiâ, vel penuriâ rerum, & aliis circumſtantiis, quæ infrà ponentur; quapropter dicendum eſt, quod non peccat contrà juſtitiam, qui emit aliquam mercem, v. g. uno ducato aureo ad libram, licèt talis emptor certò ſciat, quod poſt paucos dies pretium talium mercium habebit multum incrementum; & hujus ratio eſt, quia, ut ait *Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 17. num. 9.*, rerum pretia naturalia; non ex privatâ unius, vel alterius hominis notitiâ, vel affectione deſumenda ſunt, ſed ex communi hominum ſenſu, & æſtimatione.

Septem autem ſunt cauſæ, ob quas emi poteſt quæcumque res minori pretio naturali, quàm ſit juſtum pretium infimum: 1. quandò emptor emit in gratiam venditoris, eo quia emptori commodum non eſt tunc emere; ſed à venditore rogatur, ut emat; 2. ratione

tione modi vendendi; quapropter merces ultroneæ vileſcunt pro tertia parte; 3. ratione multitudinis mercium ejuſdem ſpeciei; 4. ratione multitudinis mercium diverſæ ſpeciei ſimul emptarum; 5. ratione paucitatis emptorum; 6. ratione inopiæ pecuniæ; 7. ob donationem ſpontaneam.

Hic adv. eſt, quod non quilibet exceſſus pretii naturalis, tàm infrà in emendo, quàm ſuprà in vendendo, eſt mortaliter peccaminoſus, & reſtitutioni obnoxius, ſed ſolùm quando quantitas eſt *notabilis*, nam ſi *modica* eſt; tàm emptor, quàm venditor non cenſentur peccare contrà juſtitiam, cum nimis durum ſit inter homines ſemper obſervari exactiſſima juſtitia; undè *Scotus in 4. diſt. 13. q. 2. a. 2.* notat, ferè omnem contractum comitari aliquam donationem; & ſtatim ſic addit: *Satis probabile eſt, quod quando contrahentes ſunt mutuò contenti; mutuè volunt ſibi remittere, ſi ſecundùm aliquid deficiunt ab illâ juſtitiâ requiſitâ.* Hanc doctrinam communiter tenent Theologi.

Emptoris obligationes ſunt quatuor: 1. ſolvere juſtum pretium pactuitum tempore inter partes ſtatuto; 2. reſarcire damna venditori ſecuta ob moram culpabilem in ſolvendo pretium tempore ſtatuto; 3. reſtituere, ſi rem emit minori pretio *notabili*, quàm ſit juſtum pretium naturale, & etiam reſarcire damna, ſi quæ ex indè ſubſecuta ſunt venditori; 4. monere venditorem de juſto rei pretio, ſi per ignorantiam, rem vendit minori pretio, quàm ſit juſtum pretium, ſaltem infimum.

Fraudes ex parte emptoris duæ eſſe poſſunt: 1. Si falsò deprimit valorem rei, dicendo eſſe vitioſam, cum talis non ſit; 2. ſi alios terret ab emptione, ut ipſe minori pretio emat. Circà hunc emptionis tractatum, probabiliores eligi DD. opiniones.

Epicheja *eſt benigna legis interpretatio ſecundùm æquum, & bonum, declarans caſum aliquem particularem ex mente legislatoris ob ſuas circumſtantias ſpeciales ſub lege univerſaliter latâ, non eſſe comprehenſum*: ità communiter in re.

Equivocatio tunc ſolùm eſt licita, quando quis interrogatur de re aliquâ, quam non eſt obligatus manifeſtare, & quam manifeſtare non poteſt ſinè proprio, vel alieno damno.

Error quatuor modis reddit contractum invalidum: 1. quando error eſt in *ſpecie* contractus; 2. quando eſt in *pretio*; 3. quando verſatur *circà rem*; 4. quando verſatur *circà ſubſtantiam rei*; ratio eſt, quia in prædictis quatuor caſibus deeſt conſenſus, *cum nullus*

nullus ſit errantis conſenſus, ut habetur ex *l. Non idcircò C. de Juris, & facti ignorantiâ*, & *alibi*; & conſequenter quilibet contractus, cum aliquo ex prædictis quatuor erroribus factus, eſt nullus.

Quando error verſatur ſolùm circà *accidentia*; contractus eſt validus, dummodo *error*, vel *dolus* non dederint cauſam contractui; vel niſi qualitas fuerit deducta in pactum tempore contractus per modum conditionis: ità communiter DD.

Metus gravis cadens in conſtantem Virum, & ab *extrinſeco* proveniens; ſi eſt *injuſtè* incuſſus ad extorquendum conſenſum pro quòcumque contractu, annullat quemcumque contractum in *foro interno conſcientiæ*; & in *foro externo* reſcindi debet per Judicis ſententiam, ut communiter docent Legiſperiti, & deſumitur ex *Jure Canonico cap. Abbas &c. Ad audientiam de iis, quæ vi, metuſque causâ fiunt*, ubi dantur ſequentes duæ regulæ generales: 1. *Quæ* metu, *&* vi *fiunt, de Jure debent in irritum revocari*; 2. *Quæ* vi, metuſque causâ *fiunt*, *carrere debent robore firmitatis*: ſecùs dic. de metu levi cadente in inconſtantem Virum; aut ſi fuit gravis; *juſtè* tamen fuit incuſſus, aut etiam ſi talis metus, licèt gravis, provenit ab *intrinſeco*: ità communiter DD.

Euchariſtia *eſt Sacramentum novæ legis, in quo ſub ſpeciebus panis, & vini conſecrati continetur Corpus, Sanguis, Anima Chriſti, & Divinitas ob nutrimentum vitæ ſpiritualis in Baptiſmo receptæ, & ob illius conſervationem, & propagationem*; ità in re communiter.

Licèt ſub utrâque ſpecie, & ſingulis utriuſque ſpeciei partibus ſenſibilibus, contineatur totus Chriſtus, tàm quò ad ſubſtantiam, quàm quò ad accidentia tàm ſpiritualia, quàm materialia; adhuc tamen SS. Euchariſtia dicenda eſt, quod ſimpliciter, & abſolutè ſit unum tantummodo Sacramentum, non quidem *unitate indiviſibilitatis*, ſed unum *unitate integritatis*, atque *perfectionis*, ut docet *Scotus in 4. diſt. 8 q. 1.*

Materia conſecrationis Corporis Chriſti, eſt panis triticeus, compoſitus, & coctus, ut eſt noſter quotidianus uſualis, & poteſt eſſe tàm azimus, quàm fermentatus, licèt aliàs in nullo caſu, poſſit *Sacerdos latinus in Eccleſiâ latinâ celebrare in fermentato*, nequè *Sacerdos Græcus in azimo in Græcâ Eccleſiâ*: Panis ex ordeo, avenâ, & aliis ſimilibus granis, non eſt materia ſufficiens,

pro ut cum multis aliis tenet *Bonac. diſp. 2. de Euchariſt. quæſt. 2. pun. 1.*

Materia conſecrationis Sanguinis Jeſu Chriſti, eſt *ſolum vinum vitis*, & etiam *miraculoſum*, ut eſt communis Theolog. conſenſus: conſecrare cum muſto ex uvis expreſſis, licèt maturis, eſt peccatum mortale, niſi excuſet neceſſitas prò perficiendo Sacrificio imperfecto: idem dic. eſt de vino congelato; vel quod incipit aceſſere: ità communiter.

Præter augmentum gratiæ ſanctificantis, quod ex ſe, & propriâ inſtitutione confert SS. Euchariſtiæ Sacramentum, ut habetur ex *Trid. ſeſs. 16. cap. 6.*, cauſat etiam alios effectus, inter quos delet peccata venialia *immediatè ex opere operato*; præſervat à mortalibus, & cauſat dulcedinem ſpiritualem.

Sacramentum Euchariſtiæ, *adultis* eſt neceſſarium neceſſitate *præcepti Divini poſitivi* juxtà illud *Jo: Niſi manducaveritis carnem Filii Hominis &c.*, & præcepti *Eccleſiaſtici*. De Jure Divino obligat ſub mortali ſemel in anno, & in articulo mortis, ut omnes Theologi fatentur; de Jure Eccleſiaſtico obligat ſub mortali, & aliis pænis Eccleſiaſticis tempore Paſchali.

Hìc quæritur, an ſi quis, ſivè *culpabiliter*, ſivè *inculpabiliter* non ſumeret SS. Euchariſtiam tempore Paſchali; an teneretur illam ſumere in illo eôdem anno ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiaſtico? Reſp. *affirmativè* cum *Lugone diſp. 16. de Euchariſt. ſect. 4.* Maſtrio *diſ. 12. Theol. Moral. n. 54.*, & pluribus aliis contrà paucos à *Lugone* ibidem citatos: Dixi in præcedenti §. ly *Adultis*, ſub quorum nomine veniunt illi omnes, qui ad annos *diſcretionis* pervenerunt; & per annos *diſcretionis* intelligi debet, quando *Puer* ſcit diſcernere inter hunc Sacrum cibum ſpiritualem, & communem corporalem, ità quod intelligat Majeſtatem Divinam, eſſe in illâ particulâ conſecratâ.

In articulo mortis; ſufficit, quod *Puer* aliqualem cognitionem habeat hujus Sacramenti: idem dic. eſt de *adultis debili ratione utentibus*, non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam tempore Paſchali; & idem dic. de *ſemifatuis*; qui ſi tales ſunt præ ſenio, & aliàs conſtat, quod antè chriſtianè vixerint, etiam frequentiùs: ſecùs dic. de amentibus, qui numquam habuerunt uſum rationis in actu exercito; illi tamen amentes, qui aliquando habuerunt uſum rationis in actu exercito; communicandi ſunt in articulo mortis, dummodo nullum ſit periculum irriverentiæ, & aliàs non conſtet inci-

Digitized by Google

incidiſſe in amentiam in peccato mortali: ità communiter DD.

Euchariſtia confert gratiam in illo inſtanti, quo ſpecies Sacramentales tangunt ſtomacum; & quamdiù illæ ſpecies Sacramentales durant in ſtomaco incorruptæ; confert aliquem effectum ſpecialem gratiæ, ſi aliàs Homo meliùs diſponitur: ità *Cajet.*, *Lugo*, & alii contrà *Palaum*.

Si quis in peccato mortali ſumeret SS. Euchariſtiam, & poſt ſumptionem (dum adhuc in ſtomaco durant ſpecies Sacramentales incorruptæ) eliceret actum contritionis; tribueretur illi gratia præcedentis communionis: ità *D. Tho.*, *Cajet.*, & alii.

Qui in articulo mortis ſumpſit SS. Viaticum in peccato mortali; tenetur ex præcepto Divino illud iterum ſumere in gratiâ in eâdem infirmitate, ſi poteſt: ita paſsim DD.

In articulo mortis: qui eâdem die ſe communicavit, & *poſt prandium* reperitur in articulo mortis; non ſolùm *poteſt*, ſed etiam *tenetur* iterum ſumere SS. Euchariſtiam pro *Viatico*, ut plures affirmant DD.; & ratio eſt, quia præceptum ſumendi SS. Euchariſtiam in articulo mortis eſt *Divinum*, quod prævalet *Eccleſiaſtico*, ſententia tamen oppoſita eſt probabilis.

Miniſter ordinarius pro diſpenſatione hujus Sacramenti, eſt ſolus Sacerdos; in neceſſitate etiam Diaconus: ad diſpenſationem hujus Sacramenti, requiritur juriſdictio ordinaria, vel delegata, aut ſaltem interpretativa Parochi; aliter eſſet peccatum mortale, eo quia uſurparetur jus alienum in re gravi, ut communiter tenent DD.

Sacerdos ſanus (dempto ſcandalo), poteſt ſe ipſum communicare, ſi non adeſt alius, qui ei adminiſtret SS. Euchariſtiam: In articulo mortis (abſente Parocho, & periculo in morâ exiſtente) poſſunt Regulares *licitè* miniſtrare SS. Viaticum laicis: ita *Diana* cum pluribus aliis, contrà *Toletum*: Sacerdos, qui celebrat, poteſt dare particulam Hoſtiæ à ſe conſecratæ, non ſolùm *infirmo*, ſed etiam *ſano*; dummodo non ſit alia particula conſecrata, & aliàs urgeat aliqua neceſſitas.

Ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiaſtico de annuâ communione tempore Paſchali; debet unuſquiſque communicari de manu proprii Parochi, vel Epiſcopi; & de hujus licentiâ, in quâcumque Eccleſiâ: In ſextâ feriâ majoris hebdomadæ, miniſtrari poteſt SS. Viaticum exiſtentibus in articulo, vel probabili periculo mortis.

Regulares poſſunt in propriis Eccleſiis miniſtrare SS. Euchariſtiam ſæcularibus etiam tempore Paſchali, ut declaravit *Sac. Cong.*

Digitized by Google

Conc. die 31. *Januarii* 1682., exceptâ tamen *die Paſchatis*. Adv. tamen eſt, quod ſæculares tali tempore Paſchali, ſe communicantes in Eccleſiis Regularium non ſatisfaciunt *Præcepto Eccleſiaſtico*, ad quod tenentur ſub mortali, niſi Eccleſia ſit *Parochialis*; & ſi eſt *Parochialis*, ſoli Parochiani ſatisfaciunt.

Quicumque *culpabiliter* tempore Paſchali non communicatur; ſi poſt monitionem perſeverat in contumaciâ; interdici debet ab ingreſſu Eccleſiæ, & privari ſepulturâ Eccleſiaſticâ: ſecùs ſi *inculpabiliter*.

Parochus tenetur miniſtrare SS. Euchariſtiam ſuis ovibus toties, quoties, illam *rationabiliter* petunt: infirmo diuturno, illam poſtulanti ex devotione, tenetur defferre etiam extrà mortis periculum: Poteſt pluries defferre SS. Viaticum infirmo, ſi tamen pluries in eâdem infirmitate incidit in periculum, & dummodo intercedant aliquæ dies: Non tenetur miniſtrare SS. Euchariſtiam ſuis ovibus cum periculo vitæ, ut cum aliis tenet *Diana*, qui etiam teſtatur ſic declaraſſe *Greg. XIII.*. Licèt conſecratione factâ; antè communionem diſtribui nequeant particulæ, eo quia ſpectant ad unam, & eandem numerò victimam; excipitur tamen caſus periculi mortis pro SS. Viatico differendo infirmo, in tali ſtatu exiſtenti.

Eſt de Fide Divinâ, quod ſub ſpeciebus panis, & vini conſecrati, verè, & realiter ſecundùm ſuam propriam ſubſtantiam, & accidentia, tàm ſpiritualia, quàm materialia, continetur Corpus, Sanguis, Anima Chriſti, & Divinitas, ut fuit definitum in pluribus Conciliis Generalibus Æcumenicis, & noviſſimè in *Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 1., *& Can.* 2. Adv. tamen eſt, quod ex vi verborum conſecrationis ſub ſpeciebus panis continetur ejus Corpus; & ſub ſpeciebus vini, ejus Sanguis: cætera verò concomitanter ſolùm, & hæc Catholica veritas habetur ex *cit. Trid. cap.* 3.

Judas Iſcariotes primo, deindè Simon Magus; tertio Baſilides Hæreſiarca; quarto Manichæi; quinto Iconoloclauſti; ſexto Zuvinglius, & Calvinus negarunt realitatem Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti in SS. Euchariſtiâ, aſſerentes, ibi non eſſe Chriſtum ſecundùm ſuam propriam ſubſtantiam; ſed ſolùm ut ſignum, & figuram.

Hanc doctrinam *Zuvinglius in Coronide de Euchariſtiâ* fatetur didiciſſe in ſomnis à Diabulo ex illâ Scripturâ *Exod. cap.* 12. *Eſt enim Phaſe, hoc eſt, tranſitus Domini*, ubi, inquit ly *eſt*, idem ſonat, ac ly *ſignificat*; quæ Scriptura, ait, *omnem nebu-*

lam

lam diſcuſſit. Adeòque *non eſt leve*, *quod per ſomnium didicimus*. Ità Zuvinglius à Diabulo edoctus, talem ſequacibus impreſſit doctrinam; & clariùs in *libello de ſubſidio Euchariſtiæ pag.* 149. *edito Tiguri anno* 1581. fatetur illi apparuiſſe nocturno tempore unum fantaſma, quod certum illum fecerat, nihil aliud adeſſe in Euchariſtiâ, quàm *figura* Corporis Chriſti, ſicut figura tranſitus Domini erat commemoratio *Phaſe* in Exodo deſcripti: *Credo, quod in Sacrâ Euchariſtiâ* (ſic ibi dicit), *hoc eſt gratiarum actionis Cœnâ, verum Chriſti Corpus adſit fidei contemplatione: hoc eſt, quod illi, qui gratias agunt Domino pro beneficio nobis in Filio ſuo collato; agnoſcunt illum verè carnem aſſumpſiſſe, verè in illâ paſſum eſſe, verè noſtra peccata Sanguine ſuo abluiſſe, & ſic omnem rem per Chriſtum geſtam, illis fidei contemplatione, velut præſentem fieri: Sed quod Chriſti Corpus per eſſentiam, & realiter, hoc eſt, Corpus ſuum naturale in Cœnâ, aut adſit, aut ore, dentibuſque noſtris manducetur, quemadmodum Papiſtæ, & quidam alii, qui ad Ollas Ægyptiacas, reſpectivè perhibent; id verò non ſolùm negamus, ſed errorem eſſe, qui verbo Dei adverſatur, aſſerimus.*

En qualis eſt Achiles rationum, quas Zuvinglius dat in confirmationem ſuæ falſitatis? Fantaſma nocturnum, ideſt, Diabolus. Miror, quod ſequaces habere potuerit, maximè cum dixerit, Papiſtarum dogma adverſari verbo Dei, cum totum appareat contrarium ex *Evang. Matt. cap.* 26., & *Evang. Joannis cap.* 6., *ex Apoſt. in* 1. *ad Cor. cap.* 10. Verè huic perfido Hæreſiarchæ congruit illa ſententia D. Auguſt. in lib. 7. ad Marcellinum: *Nimis perverſè ſeipſum amat, qui, & alios vult errare, ut error ſuus lateat.*

S. Auguſtinus, eo quia Manichæi detorquentes textus Evangelicos; etiam ipſi dicebant, quod ly *eſt Corpus meum,* intelligendum erat in eo ſenſu, quo Chriſtus dixit: *Ego ſum vitis vera*; ideò in lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 1. ſic ad æternam memoriam ſcripſit: *Quando verba Scripturæ ſumi poſſunt* propriè; *numquam ſunt* figuratè *accipienda, niſi aliundè conſtet, id eſſe manifeſtâ neceſſitate admittendum. Quæ quidem neceſſitas, licèt de* Vitis parabolâ *urgeat, non tamen de* Chriſti Corpore, *conſtat*; & in Conc. 1. in Pſal. 33. in verba illa: *Ferebatur in manibus ſuis* ſic dixit: *Quomodo hoc intelligatur in Davide; ſecundum litteram non invenimus: in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim*

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum Corpus ſuum dixit: Hoc eſt Corpus meum: *Ferebatur enim* illud Corpus *in manibus ſuis*. Hæc ille Auguſtinus, de quo *Calvinus Inſtit. lib. 4. cap. 14. ſect. 26.* hoc dat teſtimonium, quod, ſcilicet, ex totâ antiquitate, ſit optimus, & fideliſſimus teſtis.

Omnes illi Orthodoxi Patres, qui intrà prima quinque ſæcula vixerunt, & de SS. Euchariſtiâ ſcripſerunt; evidentiſſima, & irrefragabilia dederunt teſtimonia de realitate Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. in Sanctiſſimo Sacramento.

S. Cyprianus in Serm. de Cœnâ Domini ſic ſcripſit: *Panis iſte, quem Dominus Diſcipulis ſuis porrigebat; non effigie, ſed naturâ mutatus eſt: Omnipotentiâ Verbi factus eſt Caro*.

S.Epiphanius in ſept. Syn. act. 6. ſic: *Numquam invenies, neque Dominum, neque Apoſtolos, neque Patres, incruentum illud Sacrificium, quod à Sacerdote offertur*, Imaginem *dixiſſe*, ſed ipſum Sanguinem.

S. Joannes Damaſcenus in lib. 4. de fide cap. 14. ſic: *Dominus dixit*: *Hoc eſt* non Corporis ſignum, *ſed Corpus*; non Sanguinis ſignum, *ſed Sanguis*.

S. Hilarius Epiſ. in lib. 8. de Trinit. antè medium ſic: *De naturali enim in nobis Chriſti veritate, quæ dicimus; ſtultè, atquè impiè dicimus. Ipſe enim ait*: Caro mea, *verè eſt eſca*; & Sanguis meus, *verè eſt potus*. *Qui edit* carnem meam; *& bibit* ſanguinem meum, *in me manet, & ego in eo*. De veritate carnis, & ſanguinis; *non relictus eſt ambigendi locus*.

S. Ambroſius in lib. 4. de Sacram. cap. 4. ſic: *Tu fortè dicis: meus panis eſt uſitatus. Sed panis iſte, panis eſt antè verba conſecrationis: Ubi acceſſerit conſecratio*; de pane, fit Caro Chriſti.

S. Cyrillus Epiſ. Alex. lib. 4. in Jo: cap. 17. ſic: *Qui manducat, inquit*, (*ideſt Jeſus Chriſtus*) carnem meam, & bibit ſanguinem meum, *in me manet, & ego in illo. Sicut enim, ſi quis liquefacta cera, alteram ceram infuderit; alteram cum alterâ per totum commiſceat, neceſſe eſt*: ſic qui carnem, & ſanguinem Domini recipit, *cum ipſo ità conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur*.

S. Cyrillus Epiſc. Hieroſol. in Cathecheſi Myſtagog. cap. 4. ſic: *Ipſa B. Pauli Apoſtoli doctrina, abundè ſufficere videtur, ut certam vobis de Divinis Myſteriis, fidem faciat: quibus digni redditi, corporei, ut ità dicam, & conſanguinei Chriſti facti eſtis*.

Ipſe

Digitized by Google

E

Ipſe enim modò clamabat, quod in nocte, quâ tradebatur Dominus noſter Jeſus Chriſtus accipiens panem, & gratias agens fregit, & dedit Diſcipulis ſuis dicens: accipite, & manducate. Hoc eſt Corpus meum. *Et accipiens Calicem, & gratias agens, dixit: accipite, & bibite:* Hic eſt Sanguis meus. *Cum igitur ipſe de pane pronuntiaverit, ac dixerit:* Hoc eſt corpus meum: *Quis deinceps audebit ambigere? Et cum idem ipſe tàm aſſeveranter dixerit:* Hic eſt ſanguis meus: *Quis umquam dubitaverit, ut dicat, non eſſe ejus ſanguinem?*

S. Gregorius in Hom. 14. in Evang. ſic: *Fecit quod monuit, oſtendit quod juſſit. Bonus Paſtor pro ovibus ſuis animam ſuam poſuit, ut in Sacramento noſtro* Corpus ſuum, & ſanguinem verteret; *& Oves, quas redimerat* carnis ſuæ *alimento ſatiaret.*

S. Joannes Chryſoſt. in Hom. 60. ad Populum Antioch. ſic: *Audiamus igitur, & Sacerdotes, & Subditi, quali eſcâ facti ſumus digni: audiamus, & horreamus.* Sanctis Carnibus ſuis, *nos dedit impleri, ſemetipſum appoſuit immolatum:* Et Hom. 61. ad eundem Populum ſic: *Ut itaque non tantùm per charitatem hoc fiamus, verùm etiam ipsâ re in illam miſceamur carnem: hoc namque per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium, quod ergà nos habet. Propterea ſemetipſum nobis immiſcuit,* & Corpus ſuum *in nos contemperavit, ut unum quid ſimus, tamquam corpus capiti coaptatum.* Alios Sanctos, & Orthodoxos primævæ Eccleſiæ Patres, qui de realitate Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti, evidentia dant teſtimonia, brevitatis gratiâ prætereo, ut dem locum teſtimoniis Gentilium, immò etiam modernorum Hæreticorum.

Averroes celebris, & antiquus Philoſophus in Comment. in Metaphyſicam ſic ſcripſit: *Mundum peragavi; multaſque, adeoque omnes regiones circuivi; varias Sectas inveni; ſed Chriſtianâ deteriorem, aut etiam fatuam non reperi: quia* Deum, *quem colunt* devorant. Si enim in illis primis ſæculis, quando etiam juxtà Calvinum, ſyncerior vigebat doctrina, & purior florebat Religio: ſub ſpeciebus panis, & vini conſecrati fuiſſet Jeſus Chriſtus in ſigno, vel figurâ, & non realiter, & entitativè ſecundùm ſuam propriam ſubſtantiam, & accidentia; ille doctus Philoſophus non invehiſſet contrà Religionem Chriſtianam, eam appellando omnibus Sectis pejorem, immò fatuam, non aliâ de cauſâ, niſi quia illum Chriſtum manducabat, quem aliàs, ut Deum colebant.

In

Digitized by Google

In ſecundo ſæculo Chriſtiani à Gentilibus fuerunt accuſati, quod eſſent Antrophagi, ideſt, Carnis humanæ comeſtores (ut refert Tertull. in Apollog. contrà Celſum lib. 6. cap. 7. & 9), & quo fundamento fuerunt accuſati? Cauſam adduxerunt: quia *Chriſti ſui carnem comedebant, & ſanguinem bibebant*. Si enim in illis Eccleſiæ principiis Dogma circà Sanctiſſimam Euchariſtiam fuiſſet ſolùm de ſigno, vel figurà in illo Sanctiſſimo Sacramento; Chriſtiani non fuiſſent accuſati tamquam Antrophagi.

Poggius Florentinus in epiſt. ad Leonardum Aretinum ſic: *Cum Hieronymus de Pragâ duceretur ad locum ſupplicii, interrogatus à quôdam ſuo familiari: quid ſentiret de Sacramento? Altâ voce, ſic reſpondit: A naturâ* panis; *poſt conſecrationem*, verum Chriſti Corpus. *Iſte Hieronymus de Pragâ erat Hæreticus Huſſita*.

Philippus Melancton Lutheri diſcipulus in conf. Auguſt. art. 10. editionis Witemberg. ſic ſcripſit: Mitto tibi (ſcribebat ad Federicum Myconium) *loculos veterum ſcripturarum de Cœnâ Domini, qui teſtantur illos, idem ſenſiſſe, quod nos ſentimus: videlicet*, Corpus, & Sanguinem Domini, *verè addeſſe in Cœnâ Domini. Licèt autem non pendeat fides ab humanâ authoritate, ſed à verbo Dei; tamen cum Scriptura imbecilles à fortioribus confirmari velit; juvat habere Eccleſiæ teſtimonium in omni genere tentationum: Ut enim vivos libenter conſulimus, quos judicamus uſum aliquem habere ſpiritualium rerum; ita & veteres, quorum ſcripta probantur, cenſeo conſulendos eſſe. Sunt & aliæ cauſæ, cur veterum teſtimonia non contemnam. Exiſtimo enim, hoc communiter ſenſiſſe Eccleſiam, quod ipſi ſcripſerunt. Neque verò tutum eſt à communi ſententiâ veteris Eccleſiæ diſcedere . . . clara, & aperta ſunt teſtimonia Hilarii, & Cyrilli, qui affirmant* Corpus Chriſti addeſſe in Cœnâ; *neque ego ullam ſatis firmam rationem invenio, cur ab hâc ſententiâ diſcedamus: fieri poteſt, ut alia ſententia blandiatur otioſo animo, quæ eſt magis conſentanea humano* judicio, *præſertim ſic inſtructa, & ornata argumentis eruditè cogitatis. Sed quid fiet in tentatione, cum diſputabit conſcientia? Quam habuerit cauſam diſſentiendi à receptâ ſententiâ in Eccleſiâ? Tunc iſta verba*: Hoc eſt Corpus meum, *fulmina erunt. Quid his apponet mens perterefacta? Quibus Scripturis, quâ voce Dei muniet ſe, ac ſibi perſuadebit neceſſariò fuiſſe hìc interpretan-*

pretandam metaphoram . . . Ego itaque ſequor veteris Eccleſiæ ſententiam, qua affirmat: addeſſe Corpus Chriſti in Cœnâ; *ac judico hanc habere Scripturæ teſtimonium. Non enim invenio firmam rationem, cur nomine* Corporis *in verbis Cœnæ, oporteat tantùm abſentis Corporis* ſignum *intelligi &c.* Iſte Etherodoxus mirabiliter confirmavit dicta Orthodoxorum Patrum; undè verificatur illa Sententia S. Hieron. ad cap. 3. Iſajæ: *Hæreticos, atque Gentiles contrà Domum David, argumentorum vi, ac dialecticæ artis dimicare; nulli dubium eſt*, ut qui inter ſe diſcrepant, *in Eccleſiæ oppugnatione conſentiant juxtà illud, quod Herodes, & Pilatus inter ſe diſcordes, in Domini paſſione fœderantur*.

Omnes Hæretici moderni, corde credunt, & ore confitentur, Jeſum Chriſtum in Cruce paſſum fuiſſe realiter entitativè ſecundùm ſuam propriam ſubſtantiam, & non in figurâ, aut ſigno tantùm: ergo pio corde credere debent, & veridicâ linguâ confiteri tenentur, Jeſum Chriſtum eſſe realiter, & entitativè ſecundùm ſuam propriam ſubſtantiam in SS. Euchariſtiâ: probatur conſequentia: Jeſus Chriſtus quando inſtituit SS. Euchariſtiæ Sacramentum, non dixit ſolummodo: *Hoc eſt Corpus meum*, ſed addidit ly *quod pro vobis tradetur*: neque tantummodo dixit: *Hic eſt Sanguis meus*, ſed addidit ly, *qui pro vobis effundetur*: ergo ſi Chriſtus fuit in Cruce realiter, & entitativè ſecundum ſuam propriam ſubſtantiam; & ſi ſanguis, quem in Cruce effudit, erat realiter, & entitativè verus ſanguis, eôdem modo eſt in SS. Euchariſtiâ. Nullâ unquam ratione quietativâ intellectus, ſolvi poterit hoc argumentum.

Cum Sancto Andreæ Apoſtolo dictum fuiſſet ab Ægeo Proconſule, ut ſibi conſulens, Diis immolaret; ſic Sanctus Apoſtolus reſpondit (ut Presbyteri, & Diaconi Achajæ, teſtes de viſu, & auditu ſcripſerunt): *Ego Omnipotenti Deo, qui unus eſt, & verus, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in Altari*: cujus carnem *poſteàquam omnis populus credentium manducaverit; Agnus, qui, ſacrificatus eſt, integer perſeverat, & vivus*. Unus Apoſtolus, qui fuit Judas proditor, fuit primus, qui negavit realitatem Corporis Chriſti in SS. Euchariſtiâ, ut refert D. Auguſtinus, & Andreas, qui fuit Apoſtolus fidelis; ore, & ſanguine teſtatus eſt hanc Divinam veritatem.

Innoc. XI. propo. damn. 55. in ordine: *Præcepto communionis*

 annuæ,

annuæ, ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

Alex. VIII. propo. dam. 22. in ordine: Sacrilegi ſunt judicandi, qui Jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint; & propoſ.23.

23. *Similiter arcendi ſunt à Sacrá Communione, quibus nondùm ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.*

Excommunicatio major juxtà *D. Auguſt. de unitate Eccleſiæ cap. ult.* nihil aliud eſt, quàm viſibiliter præſcindi ab Eccleſiâ, & deffinitur, quod ſit *Eccleſiaſtica Cenſura, quâ Homo Chriſtianus privatur bonis Fidelium communibus*: ità in re communiter.

Bona Fidelium communia ſunt tria; nempè: *Converſatio exterior; participatio Sacramentorum; Orationes,* atque *Suffragia Eccleſiæ*, quæ Suffragia Eccleſiæ conſiſtunt in *Sacrificiis Miſſæ*, aliiſque publicis Officiis; puta, in *Horis Canonicis*, in benedictionibus *ſolemnibus Aquæ benedictæ,Cinerum,Palmarum,Candelarum*; in *Proceſſionibus*, in *Conſecrationibus Eccleſiarum*, aut *Altarium*, in *Officiis Defunctorum*, & hujuſmodi: Dicitur ly *bonis*; ſed non additur *omnibus*, quia per excommunicationem Homo non privatur gratiâ, ſed propter peccatum ſolummodo privatur gratiâ, quam etiam recuperat per pænitentiam: dicitur ly *communibus* ad excluſionem *particularium*, ut ſunt orationes, quas alii Fideles privatâ intentione applicant pro excommunicatis: Excommunicatio non eſt malum culpæ, ſed pæna inflicta pro culpâ: Excommunicatus excommunicatione majori, dicitur *Græcè Anathema*, quod *latinè* idem eſt, ac *ſeorsìm poſitus*.

Prima excommunicatio, quæ fuit lata; à S. Petro Apoſtolorum Principe fuit fulminata contrà Simonem Magum, ut legitur in *Act. Apoſt. cap. 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem*: Et S. Greg. in *Homil. 26. in Evang.* circà excommunicationem, ſic ait: *Paſtoris ſententia juſta, vel injuſta, ſemper Gregi timenda eſt; & is, qui ſub manu Paſtoris eſt, timeat ligari etiam injuſtè, nec Paſtoris ſui judicium temerè reprehendat, ne, ſi,* injuſtè *ligatus eſt, ex ipsâ reprehenſionis ſuperbiâ, culpa, quæ non erat, fiat.*

Effectus excommunicationis majoris ſunt novem; nempè: 1. privatio converſationis exterioris, quæ continetur in ſequenti Verſiculo, & inferiùs explicabitur: *Os; Orare; Vale; Communio; menſa*

menſa negatur; 2. privatio Sacramentorum tàm activa, quàm paſſiva; 3. privatio communium Eccleſiæ Suffragiorum, modo ſuprà dicto; 4. privatio uſus Officiorum exceptâ Concione; 5. privatio Sepulturæ Eccleſiaſticæ; 6. incapacitas ad quodcumque Beneficium Eccleſiaſticum recipiendum; 7. quod reſcriptum Sedis Apoſtolicæ, ab excommunicato impetratum, ſit ipſo Jure nullum, & irritum; 8. privatio communionis forenſis, ità ut excommunicatus eſſe nequeat; *Judex*; *Tabellio*; *Advocatus*; *Actor*; *Teſtis*, & hujuſmodi in cauſis etiam *Civilibus*; 9. ſi excommunicatus per annum continuum inſorduerit in excommunicatione, ſit de hæreſi ſuſpectus.

Excommunicatio duplex eſt; nempè: *major*, & *minor*, & utraque alia eſt à *Jure*, & alia ab *Homine*: Illa eſt à *Jure*, quæ fulminatur per *Canonem*, vel *Statutum*, aut *Conſtitutionem*: illa eſt ab *Homine*, quæ fulminatur per *Judicis Sententiam*: Item tàm à Jure, quàm ab Homine, alia eſt *comminatoria*, ſeù *ferenda*; & alia eſt *lata*, quæ, ſcilicet, contrahitur *ipſo facto*, vel *Jure*: *comminatoria*, ſeù *ferenda* non ligat, niſi poſt Judicis ſententiam, ad quam Judex devenire non poteſt, niſi poſt trinam monitionem: *Lata* ligat Reum ipſo facto nullâ expectatâ Judicis ſententiâ: *comminatoria* explicatur per verbum *temporis futuri*; puta: excommunicetur; anathamatizetur, & hujuſmodi; *lata* explicatur per verbum *temporis præſentis*; puta, ſit excommunicatus, anathema ſit, habetur pro excommunicato, ipſo Jure, ipſo facto, & hujuſmodi.

Inter excommunicationem à *Jure*, & ab *Homine* poſteà, quintuplex datur differentia: 1. excommunicatio à *Jure* ſemper eſt generalis; ab *Homine* aliquando generalis, & aliquando ſpecialis; 2. à *Jure* ſemper durat; ab *Homine* ceſſat ceſſante officio ferentis, dummodo delictum ſit patratum poſt ceſſationem, vel obitum; 3. à *Jure*; ſi nemini eſt reſervata; quilibet Confeſſarius poteſt ab illâ abſolvere; ab *Homine*, ille ſolus, qui eam tullit, vel ejus Superior, aut Delegatus; & hoc intelligi debet, etiam ſi excommunicatus tranſtulerit domicilium in alienam Diæceſim; 4. à *Jure* ligat quoſcumque contrafacientes intrà Territorium Legiſlatoris, etiam ſi tempore legis conditæ, non eſſent Subditi; ab *Homine*; non ligat, niſi ſubditos tempore ſententiæ; 5. à *Jure*; ſi eſt per Statutum Metropolitani in Concilio Provinciali ligat etiam ſubditos Suffraganeorum; ab *Homine*, tantummodo Metropolitanos.

In *Jure* nullus alius datur caſus, in quo incurratur *excommunicatio minor*, niſi advertenter communicando cum excommunicato notorio, nominatim vitando in iis caſibus, in quibus non licet cum illo communicare: & ſi communicatio eſt in *crimine crimino ſo*; *eſt peccatum mortale*, & incurritur *excommunicatio major*, dummodo tres ſimul concurrant conditiones; 1. quod communicatio ſit in eôdem crimine, auxiliando, conſulendo, & hujuſmodi; 2. quod communicatio non ſit levis, ſed gravis; 3. quod communicans ſciat, illum eſſe excommunicatum denunciatum propter tale crimen.

Miniſtrare Sacramenta advertenter excommunicato, nominatim vitando, eſt *peccatum mortale*, & contrahitur *excommunicatio minor*, & *Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ*; & ſi eſt excommunicatus, ſed tolleratus, eſt *peccatum mortale*, ſed nulla incurritur cenſura: ſi poſteà eſt vitandus, & eſt *Clericus*; vel à *Papa* eſt excommunicatus; eſt *peccatum mortale*, & incurritur *excommunicatio major Papæ reſervata*.

In dubio *Juris*: nemo cenſendus eſt excommunicatus, neque in *foro externo*, neque in *interno*, ut eſt communis DD. conſenſus; & juxtà communiorem; idem dic. eſt in dubio *facti*.

Quando in *Jure* fit mentio de *excommunicatione*, ſinè alio addito; ſemper intelligendum eſt de excommunicatione *majori*.

Certiſſimum eſt dari in Eccleſiâ poteſtatem ferendi excommunicationem, & alias cenſuras, *Jure Divino* eidem Eccleſiæ conceſſam, ut eſt communis DD. Catholicorum conſenſus: illi poſteà, qui habent talem poteſtatem, ſunt omnes illi, qui habent *Juriſdictionem Eccleſiaſticam* in foro *externo*, dummodo non ſint *publicè* excommunicati excommunicatione majori, vel ſuſpenſi, aut interdicti, licèt aliàs cum diſcrimine; nam Papa, & Conc. Gener. Æcumenicum, excommunicare poſſunt per *Sententiam*, *Conſtitutiones*, *Statuta*, *Leges*, & *Canones generales*, obligantes omnes Chriſtianos: Concilium Provinciale, ſolùm per *ſententiam*, *Conſtitutiones*, & *Statuta Provincialia*: Cæteri inferiores, ſolummodo per *Sententiam*, & *Ordinationes particulares*.

Subjectum excommunicationis, eſt quilibet Homo, *determinatus*, *baptizatus*, *adultus*, *inferior*, *ſubditus*: unâ ſolâ ex prædictis quinque conditionibus deficiente, excommunicari non poteſt.

Si

E

Si excommunicatus, *nominatim* vitandus, *ſcienter*, & *temerè* ſepeliretur in *loco Sacro*; qui eum ſepeliret incurreret *ipſo facto* in excommunicationem, ut conſtat ex *Clement. 1. de Sepulturis*; locus remaneret *pollutus*, & cadaver *exhumari* deberet; & antè ejus exhumationem, non poſſent *in illo loco* ſepeliri cadavera aliorum fidelium, neque *Divina Officia* celebrari; & poſt exhumationem, deberet ille locus *reconciliari*, ut liquet ex *cap. Conſuluiſti de conſecrat. Eccleſ.*, & ex Herinez *diſp. 6. de Cenſur. q. 2. num.* 30. Idem à fortiori dic. eſt, ſi cadaver fuit relictum in illo loco Sacro, eo quia ab oſſibus aliorum Fidelium diſcerni non potuit: Secùs dic. eſt de *excommunicatis toleratis*; & ratio eſt, quia cum quibus licitum eſt communicare in habitatione in *vitâ*, licitum eſt etiam eôdem modo cum ipſis communicare in *morte*; excipitur tamen ſi excommunicatio erat *publica*, & excommunicatus obiit *impænitens*; & ratio eſt, quia ſicuti excommunicatio major non contrahitur, niſi propter peccatum mortale; conſequenter qui alligatus excommunicatione majori moritur, *impænitens* mori cenſetur, ac proindè in peccato mortali; & hac de causâ Hæretici, qui licèt ſint *notoriè excommunicati* in Bullâ Cœnæ Domini; attamen eo quia ſunt tollerati, cum ipſis licitum eſt communicare in habitatione dùm *vivunt*, non autem *poſt mortem*, ſi in eorum hæreſi decedunt, eo quia *impænitentes* moriuntur.

An poſteà; ſi *excommunicatus*, qui antè mortem dedit vera ſigna pænitentiæ, ſepeliri poſſit mortuus in *loco Sacro*, *antequam ſit abſolutus?* eſt controverſum; ſed *negativa* opinio, quam cum *Herinez*, *Zoeſio*, & aliis tenet *Ludovic. Engel. tit. de ſepult. num.* 19., ſicut eſt communior, ità ut tutior ſequenda eſt in praxi.

Excommunicatus *occultus*, ſe gerere poteſt *licitè*, tamquam non excommunicatus, intereſſendo Divinis Officiis, & miniſtrando Sacramenta, dummodo id ſit neceſſarium ad *occultandam* propriam infamiam, aut *evitandum* proprium, vel alienum grave damnum; & dummodo ex *culpâ ſuâ* non procedat, quin abſolvatur: Idem dic. ſi ob *cauſam occultam* factus eſt *irregularis*; undè celebrare poteſt, & Ordines recipere, ſi abſque notâ infamiæ, aut gravi damno, non poteſt diutiùs ſe abſtinere: ità cum communi *Herinez diſp. 3. de legibus q. 3.*

Cauſa excommunicationis majoris debet eſſe peccatum grave externum, excommunicationi proportionatum (ut dixi ſub verbo

ly *Cenſura*), & debet habere *rationem contumaciæ*; undè juxtà communem DD. opinionem: ſi quis ductus ex gravi metu mortis, cadente in Virum conſtantem, occideret Clericum; licèt lethaliter peccaret, non incurreret tamen in excommunicationem, neque in alias pænas; & ratio eſt, quia, qui facit, vel facere omittit quodcumque, non ſpontè propriâ, ſed ex gravi metu cadente in conſtantem Virum, nullatenùs dici poteſt, quod agat, vel facere omittat cum contumaciâ.

Ex triplici capite poſteà excommunicatio, & quæcumque alia cenſura redditur invalida: 1. ex defectu juriſdictionis in ferente; 2. ex defectu ordinis judicialis, ſubſtantialiter non ſervati; 3. ex defectu juſtitiæ: Vide alia ad propoſitum ſub verbo ly *Cenſura*.

Illa, in quibus contrahitur excommunicatio *minor*, communicando advertenter cum excommunicato, nominatim denunciato vitando, continentur in ſequenti Verſiculo, & etiam explicantur.

Os; Orare; Vale; Communio; Menſa negatur.

Per ly *Os*: intelligitur quæcumque *collocutio* verbis, ſcriptis, nutibus, & ſignis: Per ly *orare*: intelligitur *oratio communis*, ut ſuperiùs explicavi: Per ly *Vale*: intelligitur quæcumque honorifica ſalutatio: Per ly *Communio*: intelligitur *ſocietas*, ſivè in habitatione, ſivè in exercitio, ſivè in contractibus: Per ly *Menſa* intelligitur quælibet comeſtio per modum ſocietatis.

Quæ excuſant ab incurrendâ prædictâ excommunicatione, communicando, utſuprà, continentur in ſequenti Verſiculo, & explicantur.

Utile; Lex; Humile; Res ignorata; Neceſſe.

Per ly *Utile*: intelligitur utilitas, tàm ſpiritualis, quàm temporalis tàm participantis, quàm participati, modò ſit vera, & non ficta: Per ly *Lex*: intelligitur lex matrimonialis, quâ licet Conjugi, colloqui, conveſci, reddere debitum ſuo Conjugi excommunicato: Per ly *Humile*: intelliguntur filii familias, Religioſi, ſervi, famuli, ancillæ, & hujuſmodi, reſpectu Parentum, Superiorum, Dominorum, & ſimilium: Per ly *Res ignorata*: intelligitur ignorantia tàm juris, quàm facti, modo non ſit culpabilis: Per ly *Neceſſe*: intelligitùr neceſſitas gravis pro conſilio, refugio, vel eleemoſinâ tàm activè, quàm paſſivè.

Excommunicatio *minor*; ſi violetur, non inducit irregularitatem,

tem, ut conſtat ex *cap. ſi celebr. de Clerico excommunic. miniſtrante.*

Expenſæ dicuntur omnes ſumptus, quos poſſeſſor facit in re aliená, quam poſſidet; & deduci poſſunt in foro conſcientiæ, ſi tamen fieri poteſt, ſinè ullò rei alienæ detrimento: & dummodo non ſint voluptuariæ: ſunt autem in triplici differentiâ; nempè: *neceſſariæ*, quæ niſi fierent; res periret, vel deterior fieret; *utiles*, quæ, ſcilicet, ducunt rem ad majorem æſtimationem; *voluptuariæ*, quæ, ſcilicet, inſerviunt ſolùm ad ornatum, & delectationem.

Extrema Unctio *à Scoto in 4. diſt. 23. q. un.* definitur, quod ſit *Unctio Hominis infirmi, pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo, ab Epiſcopo conſecrato, miniſtrata à Sacerdote, ſimul certa verba proferente cum debitâ intentione, ex inſtitutione Divinâ, efficaciter ſignificans curationem finalem venialium*: cum extrema unctio, ſit ultimum ex illis Sacramentis, quæ vitam ſpiritualem cujuslibet Chriſtiani Catholico-Romani; quo ad ſe promovent; ideò à *Conc. Trid. ſeſſ. 14. in doctrinâ de extremâ unctione*, appellatur *Sacramentum exeuntium.*

Eſt de fide, Extremam Unctionem, eſſe verum, & propriè dictum Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum; ut cum *Conc. Florent. in decreto Unionis*, ſancivit etiam *Trid. ſeſſ. 14. de extrem. unct. cap. 1., & ibidem can. 1.*

Materia *remota* hujus Sacramenti, eſt *oleum olivarum*, ab Epiſcopo benedictum; quod oleum, debet eſſe ſimplex, ſinè ullâ admixtione cujuſcumque alterius liquoris, licèt aliàs, ſecundùm *Suarez par. 3. tom. 4. diſp. 40. ſect. 1., Maſtrium, Pontium*, & alios DD., ſi huic olivarum oleo, admiſceretur *Balſamum*, ut fit in confectione Chriſmatis; adhuc eſſet *materia remota apta* hujus Sacramenti: *materia proxima*, eſt ipſamet *Unctio*, facta cum hoc oleo, ab Epiſcopo benedicto; quæ unctio eſt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate Sacramenti.

Forma hujus Sacramenti ſunt verba, ideſt, *illa ſolemnis precatio*, quam Sacerdos adhibet ad ſingulas unctiones, quæ communiter fiunt in ſeptem corporis partibus, dùm dicit: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per ... deliquiſti*: dico in *ſeptem corporis partibus*, ideſt, in *oculis* propter *viſum*; in *auribus* propter *auditum*; in *naribus* propter *odoratum*; in *ore* propter *locutionem*,

E

nem, & *guſtum*; in *manibus* propter *tactum*; in *pedibus* propter *greſſum*; & in *renibus* propter *delectationem*, ibi vigentem: Forma eſt neceſſaria, neceſſitate præcepti.

Miniſter hujus Sacramenti, eſt *proprius Parochus*, vel alius Sacerdos de ejus licentiâ, etiam ſolùm præſumptâ in caſu neceſſitatis; quo moriente antè abſolutam unctionem in prædictis ſeptem corporis partibus; perfici poteſt Unctio ab alio Sacerdote; quin immò duo Sacerdotes ſimul, & ſemel; & *Diana* cum aliis addit, quod urgente neceſſitate, ungi poteſt una ſola pars, & meliùs, caput, in quo alii ſenſus vigent, dicendo omnia verba formæ, quæ in ſingulis ſeptem corporis partibus dicuntur, dùm ſolum caput ungit.

Subjectum hujus Sacramenti, eſt quilibet Catholico-Romanus, capax peccati, & doloris, infirmus ad mortem, morbo naturali, qui aliàs non ſit publicus peccator, & nullum dederit ſignum pænitentiæ: Gratia confertur in ultimâ unctione.

Sicuti hoc Sacramentum non eſt neceſſarium, neque neceſſitate medii, neque neceſſitate præcepti, ità ejus omiſſio non cadit ſub mortali citrà contemptum tamen, vel ſcandalum, aut in caſu, quo infirmus aliud Sacramentum, recipere non potuerit, licèt aliàs *Diana*, alios etiam citans dicat, quod voluntaria omiſſio hujus Sacramenti (regulariter loquendo) ſit mortaliter peccaminoſa ratione ſcandali, quod vix, aut numquam in tali caſu vitari poteſt.

Quando infirmus, eſt in tali ſtatu conſtitutus, quod nullum aliud Sacramentum, recipere poteſt: Parochus (juxtà communiorem DD. opinionem) tenetur ſub mortali, illi miniſtrare hoc Sacramentum *etiam cum periculo vitæ*; & ratio eſt, quia in tali caſu, eſt unicum Sacramentum pro æternâ Beatitudine conſequendâ, ad quam procurandam tenentur omnes *ex charitate*; ſed Parochi pro ovibus ſuis; tenentur *ex juſtitiâ* propter officium proprium, cum ſint Paſtores; & bonus Paſtor, debet dare animam ſuam pro ovibus ſuis.

Effectus hujus Sacramenti (præter gratiam, quam ex opere operato, cauſant omnia Sacramenta novæ legis) ſunt tres: 1. *remiſſio peccatorum*, ut patet ex *epiſt. Cath. S. Jacobi Ap. c. 5.*: *Et ſi in peccatis ſit; dimittentur ei*; quod intelligendum eſt de *venialibus*, & de *remiſſione pœnæ* pro peccatis retrò commiſſis, & jam abſolutis quo ad culpam, *debitæ*, ſivè in toto, ſivè in parte ſolùm, juxtà diſpoſitionem ſuſcipientis; & etiam de *mortalibus*,

non

non tamen *per ſe*, ſed *per accidens*; 2. *alleviatio infirmi*, juxtà citatam epiſtolam: *Et alleviabit eum Dominus*, quod juxtà *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 2. intelligendum eſt, quod infirmi animam alleviat, & confirmat; magnam in eâ Divinæ Miſericordiæ fiduciam excitando, quâ ægrotus ſublevatus, morbi incommoda, & labores, leviùs ſuſtinet, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis, faciliùs reſiſtit. 3. *liberatio infirmi ab infirmitate ſuâ corporali*, ſi ſaluti animæ, id expedierit juxtà *cit. epiſt.*; *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*.

Licèt ex cit. S. Jacobi epiſtolâ, evidenter appareat, *Extremam Unctionem*, verè, & propriè, eſſe Sacramentum; quod tamen Sacramentum dici non poſſet, niſi à Jeſu Chriſto inſtitutum fuiſſet, ut etiam educitur ex *Marco cap.* 6., ubi legitur, quod Apoſtoli ungebant oleo multos ægros, & eos ſanabant; cum oleum non habeat virtutem naturalem ſic ſanandi indiſcriminatim ægros ab infirmitatibus ſuis, & conſequenter, quod in virtute Sacramenti, ut ait Jacobus, Apoſtoli ungebant, & ſanabant ægros; adhuc tamen moderni Hæretici, obſtinatè negant, *Extremam Unctionem*, eſſe Sacramentum; negantes proindè, prædictam epiſtolam eſſe Jacobi Apoſtoli, & conſequenter non eſſe enumerandam inter libros Sacræ Scripturæ Teſtamenti novi, ac proindè *Extremam Unctionem* non eſſe Sacramentum à Jeſu Chriſto inſtitutum, ſed figmentum humanum, ab Eccleſiâ Romanâ inductum.

Quod Extrema Unctio ſit verum Sacramentum; idem *Calvinus Hæreſiarca*, teſtatur in *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 19., ubi ſic ſcripſit, licèt invitus: *Verùm illa de ſeptem Sacramentis opinio, omnium ferè ſermonum trita, Scholaſque, & Conciones pervagata, vetuſtate ipsâ radices egit*. Si Calvinus aſſerit, quod opinio de *ſeptem Sacramentis* vetuſtate ipsâ *radices egit*: ergo à principio Eccleſiæ; ſi à principio Eccleſiæ, ergo tenendum eſt de fide Divinâ, quod ſeptem ſint Sacramenta Eccleſiæ, à Chriſto Domino inſtituta, inter quæ enumeratur *Extrema Unctio*: probatur conſequentia ex eôdem *Calvino*, qui in *lib.* 1. *Inſtit. cap. xi. ſect.* 13. aſſerit, quod in primis quinque ſæculis (ideſt tempore vetuſtæ Eccleſiæ) floruerit Religio, & ſyncerior viguerit doctrina; probatur etiam ex teſtimonio *Bullingerii in cap.* 1. *primæ partis adverſus Brent.*, Kechermani in *lib.* 3. *cap.* 14. *Siſtem. Logici*; Gaſparis Peuceri in *lib.* 4. *Chron. de rebus Eccleſ. pag.* 145., & paſſim omnium Hæreticorum aſſerentium, quod vera Dei Eccleſia, & ſyncerior

doctrina floruerint per integra ſex ſæcula, ideſt tempore vetuſtæ Eccleſiæ, hoc eſt in principio Eccleſiæ.

Quod cit. epiſtola ſit Catholica, & à S. Jacobo Apoſt. ſcripta, & conſequenter Canonica; plura Concilia Generalia Æcumenica teſtantur, antequam, neque Lutherus, neque Zuvinglius, neque Calvinus eſſent in rerum naturâ; ideòque illis, & non iſtis credendum eſt; & præſertim, quia Patres *primi Conc. Nicæni* (quod fuit primum Æcumenicum Generale, celebratum in Eccleſiâ Dei) in *Canone* 69. irrefragabile teſtimonium toti Terrarum Orbi dederunt, quod *Extrema Unctio*, ſit verè, & propriè *Sacramentum*, ſic ibi præcipiendo: *Tranſacto anno, debet Sacerdos benedicere aquam*, & Oleum, *non ſicut fit in Baptiſmo, neque ſicut benedicitur Chriſma, ſed ſicut OLEUM INFIRMORUM*: Patres enim prædicti Concilii (quod etiam ab Hæreticis veneratur, ut Sacroſanctum) non feciſſent talem Canonem, ſi Extrema Unctio non fuiſſet Sacramentum à Jeſu Chriſto inſtitutum, & ab Apoſtolo Jacobo, publicatum cum ſuâ epiſtolâ Catholicâ. Idem dicendum eſt de *S. Auguſtino*, qui in *lib. 2. de viſit. infirm. cap.* 4. ſic ſcripſit: *Quoties aliqua infirmitas, occurrerit alicui*; Oleum benedictum *fideliter, ab Eccleſiâ petat, ut corpus ſuum ungatur; &* ſecundùm Apoſtolum *oratio fidei, ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, non ſolùm Corporis, ſed, & animæ, ſanitatem accipiet.*

F

Falcidia eſt quarta pars omnium bonorum, quæ aderant tempore mortis Teſtatoris, deductis tamen priùs ære alieno, & funerum expenſis: *Trebiliana* coincidit cum *falcidiâ*, & ſolùm differt in hoc, quod iſta reſpicit *legata*, illa verò *fidei commiſſa*, à quibus detrahitur.

Fallacia, quæ oritur ex avaritiâ, *eſt fraus in verbo conſiſtens*: quæ dicuntur de *fraude*; ità reſpectivè intelligenda ſunt de *fallaciâ*.

Fama *eſt notitia, & opinio bona, quam quis habet apud alios homines*: ità in re communiter.

Fama aliena injuſtè ablata reſtitui debet, ſi quattuor ſimul concurrunt conditiones; 1. ſi verè eſt ablata; 2. ſi eſt ablata injuſtè; 3. ſi non-

ſi nondùm eſt recuperata; 4. ſi non eſt condonata, dummodo perſona infamata non ſit talis, ex cujus infamiâ ſit ſecutum, vel ſequi poſſit damnum tertiæ perſonæ; aut infamia ſit graviſſima, quia in his caſibus *condonatio*, non excuſat à reſtitutione famæ, injuſtè ablatæ.

Famæ reſtituendæ obligatio eſt nulla in ſeptemdecim caſibus: 1. impotentia moralis, quando, ſcilicet, infamia, eſt taliter divulgata, ut moraliter loquendo, impoſſibilis ſit reſtitutio apud omnes; 2. ſi id, quod contrà alicujus bonam famam dictum eſt, jam in oblivionem prudenter abiiſſe exiſtimatur; 3. ſi crimen occultum alterius, quod injuſtè revelatum fuit, ex poſt ſit publicum; 4. quando reſtitutio famæ, injuſtè ablatæ; de facto eſt impoſſibilis; 5. quando reſtitutio fieri non poteſt ſinè periculo vitæ; 6. condonatio; eo tamen modo quo ſuprà dixi; 7. ſi bonâ fide aliquid contrà Proximum dictum eſt, credendo eſſe verum, & publicum, licèt aliàs falſum; & aliàs ſinè propriâ infamiâ, vel magno detrimento in bonis fortunæ, retractari non poteſt; 8. juſta compenſatio, quando, ſcilicet, duæ perſonæ, æqualiter ſe diffamaverunt ad invicem; 9. quando ex reſtitutione imminet periculum peccati mortalis, vel grave aliorum ſcandalum; licèt aliàs hic caſus, vix dari poſſit, niſi in caſu, quo diffamator, eſſet omninò talis authoritatis, quod ex ejus retractatione, meritò temeri poſſet publicum ſcandalum; 10. quando qui proximum diffamavit; id fecit propter ejus bonum ſpirituale; 11. quando id, quod dictum fuit, accipi poterat tàm in bonam, quàm in malam partem; 12. quando quis ſolùm audita narravit ſinè additione, vel majori confirmatione; 13. quando quis ità enarravit alterius peccatum, quod ſimul etiam narraverit illius condignam pænitentiam; 14. quando quis proximum infamavit in occaſione remota; puta, ſi quis cum altero jocans, per jocum illi objiceret aliquod crimen, ſciendo tamen non eſſe verum; & hic vociferando, & indignando conquereretur vehementer, ex quo alii adſtantes crederent, crimen objectum, eſſe verum; 15. quando diffamator, eſt multò ſublimior conditione, quàm diffamatus, quia ſufficit, quod diffamator compenſet famam pecuniâ, aut alio convenienti modo ſinè explicitâ retractatione; 16. quando fama ablata, jam fuit per aliam viam recuperata; 17. quando diffamator nullius eſt fidei, vel illi, cum quibus locutus eſt, jam ſciebant crimen: ità generatim DD., & præſertim *Maſtrius diſ.8.Theol.Moral.n.71.,& ſeqq.* Reginaldus, Leſſius, Lugo &c.

 Quam-

F

Quamvis *Beltradus in 8. p. ex Bonac.* dicat, quod, quando diffamatus etiam per *impoſitionem falſi criminis* eſt; aut per additionem ultrà verum, ſufficere, quod detractor dicat, quod diffamatus ſit Perſona virtuoſa, & honorata; & quod illi, qui eum diffamaverunt decepti fuerunt; & quod tempus id diſcernere faciet &c. hæc tamen opinio, nullatenùs mihi quadrat, tùm quia eſt contraria communi DD., tùm quia amarum eſſe non debet detractori, reſtituere famam, ſe expreſsè retractando, nam, ut ait *Scotus in 4. diſt. 15. q. 4. littera C.* fama diffamati, prævalet famæ detractoris, quia *injuſtè* diffamato, *juſtè* competit fama; detractori verò *injuſtè*, & conſequenter &c. Idem ſentit *D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2.* excipitur tamen, ſi detractor eſſet multò ſublimior conditione, ut dixi ſuprà *n. 15.*

Quando detractio fit per manifeſtationem criminis *veri*, ſed *occulti*; licèt diffamator, non teneatur ſe retractare cum mendacio (quod ſemper illicitum eſt) tenetur tamen aliquo licito modo reſtituere famam. Si ex quâcumque diffamatione, ſecutum fuit diffamato quodcumque damnum; detractor tenetur reſarcire, & compenſare tale damnum; & ratio eſt, quia cum detractor detrahendo alterius famam, fecerit contrà *juſtitiam*; conſequenter ex *juſtitiá* tenetur compenſare omnia damna, quorum fuit cauſa operando contrà *juſtitiam*: ità communiter DD.

Diffamatio unius apud alios, apud quos non eſt diffamatus, licèt ſit publicè diffamatus; adhuc in duobus caſibus eſt peccatum mortale: contrà *charitatem*, quando adeſt intentio illi nocendi; & contrà *juſtitiam*, ſi denuò recuperavit ſuam bonam famam, vel per vitæ emendationem, vel per temporis longitudinem; idem dic. eſt de alterius diffamatione in abſentiâ per litteras: ità communiter DD.

Fæmina fucans faciem; in duobus caſibus peccat mortaliter: 1. ſi ſe fucat cum intentione provocandi alios ad libidinem; 2. ſi ponit ultimum finem in illâ fucatione.

Feſta ſanctificandi præceptum, eſt mixtum Jure Divino, & Eccleſiaſtico: de *Jure Divino*, eſt prohibitum tantummodo *opus ſervile*, quod eſt illud, quod ordinariè fit per *ſervos*, & *opifices*, licèt aliquando etiam per *Dominos*: operis ſervilis duo præcipuè ſunt ſigna: unum eſt, quod fiat *per corpus*, ut inſtrumentum illi conſentaneum; alterum eſt, quod tendat in *utilitatem corporis*: excipiuntur tamen *artes liberales*, licèt fiant ex *intentione lucri*;

& ratio

& ratio eſt, quia pretium non facit tranſire artem liberalem, ad eſſe operis ſervilis, ſicuti e contrà opus ſervile, gratis factum, non facit tranſire tale opus ſervile, ad eſſe artis liberalis.

Inter opera ſervilia, & artes liberales ſunt aliqua opera media, quæ non ſunt prohibita, licèt fiant ob lucrum; puta, *itinerari; venari; piſcari*, & hujuſmodi: ità *Fælix Poteſtas pag. 212. num. 2024.*

De Jure Eccleſiaſtico; duo ſunt præcepta; nempè: unum præceptivum, & alterum prohibitivum: *Præceptivum* eſt de audiendâ Miſsâ in die Feſto præcepti: *Prohibitivum* quadruplex eſt; nempè: 1. *Contractus*; 2. *opus placitum*, ſub cujus nomine veniunt lites, jurgia, & quælibet cauſæ forenſes, quæ in Judicio agitantur: excipitur ſi fieret pietatis causâ; 3. ſententia mortis; 4 juramentum judiciale; attamen teſtes examinari poſſunt in die feſto, ſi juramentum fuit datum in die feriali; & etiam ſi fuit datum in die feſto, ſi aliàs expeditio cauſæ, urgeat ob bonum commune: ità *Clericat. cap. 47. n. 34.*

Eſt de fide, dari in Eccleſiâ, poteſtatem inſtituendi *feſta de præcepto*, ità quod non ſolùm Papa, aut Conc. General. Æcumenicum, vel etiam Conc. Provinciale, ſed etiam Epiſcopi habent talem poteſtatem reſpectu ſuarum Diæceſum, interveniente tamen conſenſu *explicito* Cleri, & etiam Populi, ſaltem *implicito*, & hoc habetur ex *cap. ult. de Feriis*; ad quæ feſta ſervanda, tenentur etiam *Regulares*, ut expreſsè habetur ex *Trid. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 12.*

Quantitas temporis requiſita ad hoc; ut *opus ſervile Jure Divino prohibitum*, ſit materia peccati mortalis, ſecundùm aliquos DD. eſt *una hora ſola*, ſed hæc opinio videtur *nimis arcta*; ſecundùm alios, ſunt *tres horæ integræ*, & hæc videtur *nimis lata*, licèt octava pars videatur eſſe materia levis; *Diana*, & quamplures alii dicunt, quod dummodo *non excedantur duæ integræ horæ*, non ſit peccatum mortale; & hæc opinio, ſicuti eſt communior, ità videtur eſſe probabilior, & *Filliu. in tract. 27. cap.* x 1. monet, conſiderandas eſſe circumſtantias perſonarum, operum, & neceſſitatum: idem dic. eſt in *caſibus contractuum*, ab Eccleſiâ prohibitorum.

Novem excuſant à peccato mortali, laborando in die feſto præcepti: 1. parvitas operis, vel levitas materiæ; 2. in honorem Dei, vel cultum Divinum immediatè; 3. opera pietatis; 4. obedientia,

dientia, ſeù violentia, ut in ſervis; 5. neceſſitas propria, vel proximi; 6. diſpenſatio, licèt ſolùm virtualis, quando adeſt juſta cauſa; 7. bonum Reipublicæ; 8. abſentia à loco; 9. quando perderetur occaſio magni lucri: Idem proportionaliter, & diſtributione accomodâ dic. eſt, non ſolùm de contractibus, ſed etiam de aliis præceptis Eccleſiaſticis, quæ ſunt inferiora præcepto Divino de non laborando in die feſto præcepti.

Illi Artifices, qui ſunt neceſſarii ad ſuſtentationem vitæ, vel ad ſanitatem corporis, licitè laborare poſſunt in die feſto præcepti.

Regulares, nec etiam in propriis Monaſteriis, neque per ſe ipſos, neque per alios Operarios ſæculares, incumbere poſſunt diebus feſtivis, operibus ſervilibus: ità *Peyrin. de* privilegiis Regularium *tom.3. cap.4. n.59.*, quando ſæculares ex causâ alicujus neceſſitatis, laborare debent in die feſto præcepti, in aliquo Monaſterio Regularium, petere debent licentiam à propriis Parochis, cum Prælati Regulares nullum Jus habeant in ſæculares, niſi ſint ſervi commenſales &c.

Innoc. XI. propo. dam. 52. in ordine: Præceptum ſervandi feſta, non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus; & propoſ. 53.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejùs partes, immò quatuor ſimul, à diverſis celebrantibus audit.

Feudum *eſt contractus rei immobilis, cujus* dominium utile *tantummodo, transfertur in accipientem, ideſt*, Feudatarium, *retento dominio directo apud concedentem, ideſt*, Infeudatorem, *cum onere non aliquid ſolvendi, ſed ſolùm exhibendi* Domino directo *fidelitatem, & obſequium perſonale*: differt ab *Emphytheuſi* in hoc ſolùm, quod in iſtâ debetur *penſio realis*, quæ non debetur in Feudis.

Fictio dupliciter accipi poteſt: 1. pro *defectu intentionis*; 2. pro *indiſpoſitione recipientis*: primo modo, & invalidat Sacramenta, & obſtat Sacramentorum effectibus: ſecundo modo impedit ſolùm Sacramentorum effectus: claritatis gratiâ ſit exemplum: Titius *fictè*, ideſt, cum *intentione oppoſitâ* recipiendi Baptiſmum, permittit ſe exteriùs ablui aquâ, cum omnibus illis cerimoniis, & ritibus, adhiberi ſolitis in Baptiſmo ſolemni; in hoc caſu cum Titius *fictè* recipiat Baptiſmum, ideſt, cum *intentione oppoſitâ*, illud ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipiendi; talis Baptiſmus neque imprimit characterem, neque unquam habere poterit effectum gratiæ conſequendæ ex opere operato: Si poſteà Titius *fictè* recipit Baptiſmum, ideſt, in *peccato mortali*, ſed cum *intentione* illud ſuſcipiendi; tunc Baptiſmus, licèt non conferat gratiam, imprimit tamen characterem; & deleto peccato mortali per Sacramentum pænitentiæ, vel per actum contritionis in voto Sacramenti pænitentiæ, producit ſuum effectum, conferendo primam gratiam ex opere operato.

Fidejuſſio *eſt contractus, quo quis ſuo periculo ſuſcipit alterius factum, aut debitum, præſtiturus ipſe, aut ſoluturus, ſi alter non faciat, aut ſolvat*: ſi principalis non facit, aut ſolvit; tenetur Fidejuſſor facere, vel ſolvere, poſt declaratoriam tamen Judicis ſententiam; & non niſi priùs in judicio, creditor egerit contrà debitorem, niſi conſtet de impoſſibilitate, aut fugerit: Non poteſt eſſe *Fidejuſſor*, qui bona non habet; & etiam ſi habet, ſi tamen illorum adminiſtrationem non habet.

Fideicommiſſum *eſt illud relictum, quod hæredis fidei committitur, ab eo dandum alicui alteri*: ſic fit cum Teſtator dicit: Hæres fidei tuæ committo, ut poſt additam hæreditatem; ex eâ tantum, aut tantam partem; vel hoc, aut illud predium, huic conſignes; idque vel ſtatim; vel poſt mortem tuam: ita ex *l. 1. ff. de Legatis*.

Fides *eſt aſſenſus eorum, quæ per Spiritum Sanctum Eccleſiæ revelata ſunt, quatenùs à Spiritu Sancto ſunt*: ita in re communiter.

Sicuti fides *habitualis*, ſufficit non habentibus uſum rationis pro æternâ Beatitudine conſequendâ, ut habetur ex *Trid. ſeſſ. 7. can.13.*, ita habentibus uſum rationis, non ſufficit; ſed requiritur fides *actualis*, ut deducitur ex ſequenti *Prop. dam. ab Innoc. XI.*, quæ eſt *16. in ordine*: *Fides non videtur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe*.

Fidei actualis præceptum, triplex eſt: 1. ſciendi res fidei ſaltem *implicitè*: explicitè *neceſſitate abſolutâ*, quæ nullam admittit excuſationem in iis, qui habent uſum rationis, ad peccatum mortale ſufficientem, eſt, quod Deus ſit Trinus, & Unus; remunerator Bonorum, & vindex malorum; Incarnatio, paſſio, mors, reſurrectio D.N.J.C.: *neceſſitate præcepti*: Symbolum Apoſtolorum; Orationem Dominicam; præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, atque illa Sacramenta, quæ quiſque recipere tenetur: rudiores ra-

tione

tione incapacitatis ſunt excuſati, ſi non ſciunt tàm benè explicitè prædicta. Secundum præceptum, eſt credendi *firmiter* res fidei ſinè *ullâ dubitatione*, quia dubietas in fide reducitur ad hæreſim, ut habetur ex *cap.2. de hæreticis*: tertium præceptum eſt, confitendi fidem in *neceſſitate*, quando, ſcilicet, auſertur honor Dei, vel impeditur utilitas Proximi; undè quamvis poſſit quis occultare fidem illis ſignis, quæ ſunt indifferentia; attamen ſi aliquis Princeps infidelis, vel hæreticus, talia ſigna præciperet, ſivè in contemptum veræ Fidei Catholico-Romanæ, ſivè ad profitendam ſuam falſam ſectam; tunc ea ſigna, occultare non poſſet pro profitendâ verâ fide; nec etiam occultare poſſet veram fidem illis ſignis, quæ ad profitendam falſam Religionem ſunt inſtituta, ut inter cæteros alios docet *Maſtrius in diſp.10. Theol. Moral. nu.12.*

Circà tempus, quo fidei præceptum obligat ſub mortali; *primum* juxtà *D.Tho.*, eſt illud, quo fides ſufficienter unicuique innoteſcit: *Secundum* eſt, quando tentatio gravis urget contrà fidem; quæ tentatio alio modo ſuperari non poſſit: *Tertium* eſt in articulo mortis: *Quartum* pluſquam ſemel intrà quinquennium.

Alex.7. Propo. dam.1. in ordine: Homo nullo unquam tempore vitæ ſuæ, tenetur elicere actum fidei, *ſpei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.*

Innoc. XI. Propoſ. damn.16. in ordine: Fides non videtur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe; & Propoſ. 17.

17 *Satis eſt, actum fidei ſemel in vitâ elicere; & Propoſ.* 18.

18 *Si à Poteſtate publicâ quis interrogetur; fidem ingenuè fateri ut Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere ut peccaminoſum per ſe, non damno; &* Propoſ. 19.

19 *Non poteſt voluntas efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo, ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium; &* Propoſ.20.

20 *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem; &* Propoſ.21.

21 *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitiâ ſolùm probabili revelationis; immò cum formidine, quâ quis formidet, ne non ſit locutus Deus; & Propoſ.* 22.

22 *Non niſi fides unius Dei, neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris, &* Propoſ.23.

23 *Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilique motivo ſufficit ad juſtificationem; & Propoſ.*64.

64 *Ab-*

F

64 *Abſolutionis capax eſt Homo, licèt laboret ignorantiâ myſteriorum fidei; & etiam ſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C. & Propoſ. 65.*

65 *Sufficit illa myſteria, ſemel credidiſſe.*

Alex. 8. Propoſ. damn. xi. in ordine: Omne, quod non eſt ex fide Chriſtianâ ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt; & Propoſ. 12.

12 *Quando in magnis peccatoribus defficit omnis amor, defficit etiam fides; & etiam ſi videatur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.*

Filii erga Parentes ad tria tenentur ex præcepto Divino; nempè: ad *amorem*; *obedientiam*; & *reverentiam*: peccant mortaliter contrà *amorem* in tribus caſibus: 1. ſi contrà Parentes ſigna odii oſtendunt; 2. ſi grave malum, illis ex deliberatâ voluntate exoptant; 3. ſi in neceſſitatibus non ſubveniunt, cum poſſint.

Contrà *reverentiam* in quinque caſibus: 1. ſi verbis contumelioſis, graviter illos offendunt; 2. ſi eos percutiunt, licèt leviter; 3. ſi cum advertentiâ manus, vel pedes ad percutiendum, elevant; 4. ſi eos deſpiciunt, eo quia pauperes ſunt; vel eos ex tali motivo agnoſcere nollunt; quod ſi poſteà ex juſtâ causâ, nollunt eos apud ſe habere; & ſolùm exteriùs, ſe eos agnoſcere diſsimulant, excuſantur à mortali, dummodo in eorum neceſsitatibus, illis ſubveniant; & ratio eſt, quia in talibus caſibus, Parentes præſupponi non debent *rationabiliter* inviti; 5. ſi in foro externo, eos accuſant de quocumque crimine, licèt vero; exceptis criminibus *hæreſis; conſpirationis in Principem, & proditionis Patriæ.*

Circà *obedientiam* in tribus caſibus: 1. ſi quo ad bonos mores, & gubernationis onus (loquendo de materiâ gravi), ſunt illis inobedientes; 2. ſi contrà expreſſam Parentum voluntatem ducunt uxorem de ſe indignam; 3. ſi nubunt Parentibus inconſultis: attamen ſi conſulunt, & aliàs Sponſa, eſt de ſe digna, & Parentes acquieſcere nollunt; non peccant, ſi contrà eorum voluntatem nubunt; & ratio eſt, quia in electione ſtatus, Filii ſunt ſui juris, ut cum *Buſemb.*, & aliis tenet *Bonac.*

In duobus caſibus, non tenentur Filii obedire Parentibus ſuis: 1. quando præcipiunt aliquid, quod ſit peccatum, licèt ex levioribus; 2. quando impedire volunt electionem ſtatus perfectioris, licèt aliàs adv. ſit cum *D. Tho. 2. 2. q. 189. a. 6.*, & communiter,

quod ſi Parentes ſunt in *gravi neceſſitate* conſtituti, ita quod valdè indigeant filiorum obſequio; iſti eligere nequeunt ſtatum religioſum, relictis Parentibus in *gravi neceſſitate*, & hoc de *Jure Divino*, & *naturali*, ſi tamen remanentes in ſæculo, eorum obſequio, ſublevare poſſunt Parentes ſuos in eorum neceſsitatibus.

Filii minores viginti quinque annis, licèt conjugati, immò Sacerdotes, ſubſunt Parentum poteſtati; & Filia quando complevit vigeſimum quintum annum; ſi nubit contrà Parentum voluntatem, non peccat, dummodò ex tali matrimonio, non ſequatur grave damnum, vel dedecus Parentibus.

Circà obedientiam: filius (regulariter loquendo) præferre debet Patrem Matri, ut prudentiorem; & circà ſuſtentationem (in æquali neceſsitate) Matrem Patri, ut infirmiorem.

Filiorum nomine veniunt etiam *adoptivi*, *naturales*, & *ſpurii* cum hac tamen differentiâ, quod *ſpurii* præferre debent Matrem Patri, ut certiorem: veniunt etiam Nepotes, Pronepotes, & omnes deſcendentes per lineam rectam uſque in infinitum.

Frater dives tenetur alere Fratres, & Sorores pauperes, licèt uterinos tantùm; immò tenetur etiam dotare Sorores, ſi à Patre non ſunt dotatæ: ita cum aliis *Molina de Juſtitiâ tom.3. diſp.224.*

Innoc. XI. Propoſ. damn.14. in ordine: Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris; ſed ut bonum cupientis, quia, ſcilicet, ei obventura eſt pinguis hæreditas; & Propoſ. 15.

15 *Licitum eſt Filio gaudere de patricidio, à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias, indè ex hæreditate conſecutas.*

Fornicatio prima ſpecies luxuriæ, *eſt copula ſoluti cum ſolutâ*: Fornicatio non ſolùm eſt peccatum mortale, quia *prohibita à lege Divinâ*, ſed etiam quia eſt *prohibita, quia mala, ipſique rectæ rationi diſſonans*: duo tamen excuſant à quòcumque peccato: 1. privatio uſus rationis in actu exercito, ut in *amentibus*, & *ebriis*, dummodo iſti non prævideriint periculum ebrietatis, & cauſam dederint ebrietati; 2. violentia ex parte patientis, dummodo iſte interiùs non conſentiat actui: idem dic. de quòcumque alio peccato ad luxuriæ ſpeciem pertinente.

Alex. 7. Propoſ. damn. 25. in ordine: Qui copulam commiſit cum ſolutâ; ſatisfacit præcepto confeſſionis dicens: commiſi cum ſolutâ grave peccatum contrà caſtitatem, non explicando copulam.

Innoc.

F

Innoc. XI. Propoſ. damn. 48. in ordine: Tàm clarum videtur fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia prohibitam; ut contrarium omninò diſſonum rationi videatur.

Fraus, quæ oritur ex avaritiâ, *eſt deceptio alterius opere exhibita*: eſt vitium contrà prudentiam, quæ eſt virtus, quâ circà bonum finem, media convenientia applicantur; cum autem in prudentiâ duo inveniantur; nempè: finis bonus, & media convenientia, per regulam oppoſitorum ex Logicis, duo debent eſſe contraria; nempè finis malus, & media inconvenientia: Fraus ex genere ſuo eſt peccatum mortale; niſi materia circà quam verſatur, ſit levis, quia tunc veniale tantùm.

Fructus dicuntur, qui *deductis expenſis, à quocumque poſſeſſore factis, ſuperſunt*: ſunt autem in triplici differentiâ; nempè: *naturales*, *induſtriales*, & *mixti*: primi, ideſt, *naturales*, ſunt, qui ſuâpte naturâ cum modicâ, vel nullâ Hominum induſtriâ producuntur, ut ſunt partus pecudum, jumentorum, avium, & hujuſmodi; *induſtriales* ſunt, qui ex ſolâ Hominum induſtriâ producuntur, ut negotiando, ludendo, & ſimilibus modis; *mixti* ſunt, qui partim ex naturâ ſuâ, partim ex Hominum induſtriâ producuntur, ut ſunt fructus agrorum, vinearum, hortorum, & hujuſmodi.

Furtum *eſt ablatio, ſeù retentio injuſta rei alienæ invito Domino rationabiliter*: ità in re communiter. Quinque ablationes, ſeù retentiones, non habent deformitatem furti: 1. ex *joco*; 2. *in pœnam*; 3. in *bonum finem*; 4 in *extremâ neceſſitate*; 5. *utendo compenſatione*.

Licèt furtum ex genere ſuo ſit peccatum mortale; ex duplici tamen capite, eſt tantummodo veniale: 1. quando Dominus rei ablatæ, ſeù retentæ, non eſt invitus, quo ad *ſubſtantiam* rei ablatæ, ſeù retentæ, ſed ſolùm quo ad *modum* eſt invitus; 2. ratione *parvitatis materiæ*, licèt aliàs in hoc ſecundo caſu, adhuc ſit mortale in octo caſibus: 1. ratione intentionis furti notabilis; 2. ratione finis lethaliter peccaminoſi; 3. ratione paupertatis, & indigentiæ Domini; 4. ratione magnæ utilitatis, quam Dominus reportare ſolebat ex re ablatâ, ſeù retentâ; 5. ratione juſti, & rationabilis affectus, quem Dominus habebat ad rem ablatam, ſeù retentam; 6. ratione periculi, ne Dominus peccet mortaliter, eo quia eſt nimiùm iracundus: in hoc tamen caſu, ſicuti & in præcedenti, ad

 hoc,

hoc, ut fur peccet mortaliter, debet habere ſufficientem cognitionem de affectu, & de periculo; 7. ratione notabilis violentiæ in furando; 8. Sacrilegium Olei Sancti.

Quantitas poſteà, quæ dici poſſit *notabilis* ad hoc, ut furtum attingat materiam peccati mortalis, non eſt deſumenda ſolùm ex quantitate rei ablatæ, ſeù retentæ, ſed etiam ex circumſtantiis; puta, perſonæ per furtum læſæ; temporis; loci, & hujuſmodi, & hæc opinio eſt communior inter DD., licèt aliàs *Sannig. diſt.* 10. *de Juſt. q.* 1. *n.* 7., Layman *lib.* 3. *pa.* 1. *n.* 3., & alii probabiliter cenſeant, illam eſſe *quantitatem notabilem*, ideſt, pro peccato mortali ſufficientem, quæ pro victu unius diei ſufficere poteſt illi, cui infertur injuria furti pro cujuſcumque Perſonæ qualitate; & addunt, quod furtum duorum, vel trium ad ſummum aureorum, intellige, *doble*, etiam reſpectu Regum, ſit materia peccati mortalis.

Adv. 1. cum *Leſſio lib.* 2. *c.* 2. *n.* 40., quod licèt ſit ſemper peccatum mortale, quando adeſt intentio furti notabilis per iterata modica furta; non tamen quis tot peccata mortalia committit, quot furta minuta facit, ſed ſolùm continuari jam incæptum; & ratio eſt, quia illæ ablationes, ſeù retentiones cenſentur una moralis continuata executio illius pravæ primæ intentionis, & conſequenter unum peccatum.

Adv. 2 cum *cit. Leſſio num.* 46., quod quantitas *notabilis*, quæ in minutis, & iteratis furtis, ad hoc, ut ſit materia peccati mortalis, debet eſſe *notabilior*; undè ſi, *v. g.* tres Julii in unico furto ſunt materia peccati mortalis; quinque, & etiam ſex requiruntur in iteratis furtis minutis, præſertim ſi longa temporis intervalla interpoſita ſunt inter illa minuta furta iterata.

Furtum Filii-familias ſecundùm communem DD. in ſeptem caſibus excuſatur à culpâ lethali: 1. quando quantitas non eſt notabilis, quæ quantitas in Filii-familias, & etiam Religioſis, ad hoc, ut ſit materia peccati mortalis, debet eſſe notabilior, quàm in aliis; 2. quando rationabiliter exiſtimatur Patrem eſſe conceſſurum, vel condonaturum, ſi rogetur; 3. ſi accipit, ut expendat extrà Domum paternam pro ſuis neceſſitatibus, & etiam in honeſtas recreationes juxtà ſtatum ſuum; 4. ſi ut erroget in eleemoſinam pauperibus juxtà ſtatum Paternum; 5. ſi gerit negotia Patris, poteſt ſibi accipere quantum ex juſtitiâ dari deberet extraneo ad illa negotia peragenda; 6. ſi utitur ſecretâ compenſatione

tione pro ſuis bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus à Patre uſurpatis; 7. ſi Pater eſt Hæreticus; uti poteſt de ſuis bonis adventitiis.

Furta Uxoris in decem caſibus non ſunt lethaliter peccaminoſa: 1. quando quantitas non eſt notabilis reſpectu divitiarum Mariti, aut illius inopiæ; 2. de præſumptâ licentiâ Mariti; 3. ad evitanda quæcumque damna Mariti; 4. ſi accipit neceſſaria de præſenti pro ſe, & familiâ; 5. etiam pro futuro tempore, ſi Maritus eſt prodighus, vel diſſipator; 6. ſi habet dotem ſufficientem pro ſuâ ſuſtentatione, & lucratur; vel ſi labore, ac induſtriâ ſuâ, cooperatur licitis lucris Mariti; 7. ſi ut det in eleemoſinam Pauperibus juxtà ſtatum Mariti; 8. ſi Maritus eſt abſens, & ipſa habet adminiſtrationem; 9. ſi ut det Parentibus, vel filiis ex alio Matrimonio pauperibus; 10. ſi ut det Fratribus, vel Sororibus egeſtate preſſis. Hæc omnia tamen intelligi debent cum diſcretione, & diſtributione accomodâ, ut dicunt DD., ſcilicet, juxtà qualitatem, inopiam, aut divitias Mariti, ità quod Maritus, præſupponi nequeat rationabiliter invitus.

Quæritur, an quando plures per minuta furta, quæ diviſim ſumpta, non attingunt materiam peccati mortalis, licèt conjunctim ſumpta attingunt materiam peccati mortalis, lethaliter peccaverint contrà juſtitiam? Reſp. *affirmativè*, ſi tamen ſimul ex induſtriâ fecerunt talia minuta furta; & ratio eſt, quia ab unòquoque illorum, intentum fuit illud grave damnum, v. g. uvarum in unâ vineâ; & *negativè*, ſi diviſim abjerunt ad furandum uvas in illâ vineâ; & à caſu, unitos ſe invenerunt; & ratio eſt, quia à nullo illorum intentum fuit illud grave damnum.

Innoc. XI. Propoſ. damn. 36. in ordine: Permiſſum eſt furarì non ſolùm in extremâ neceſſitate, ſed etiam in gravi neceſſitate; & Propoſ. 37.

37 Famuli, & famulæ domeſticæ, poſſunt occultè ſurripere ab Heris ſuis ad compenſandam operam, quam majorem judicant ſalario, quod accipiunt.

G

GAbella *eſt tributum publicum exactum à Principe in communem utilitatem*: ità in re communiter: ejus ſpecies ſunt

quatuor;

quatuor; nempè: *Vectigal*; *Guidagium*; *Tallia*; *Gabella*.

Ad hoc, ut Gabella ſit juſta; quatuor conditiones requiruntur: 1. legitima poteſtas imponentis; 2. quod non imponatur, niſi ob juſtas cauſas, & neceſſitates; 3. quod non imponatur perſonis, & rebus exceptis; 4. quod in impoſitione ſervetur juſtitia diſtributiva.

Quæritur, an fraudantes juſtas gabellas, peccent mortaliter contrà juſtitiam? Reſp. *affirmativè*, loquendo tamen de Cuſtodibus, & Officialibus conductis pro exactionibus gabellarum, licèt aliàs diſſimulare poſſint cum pauperibus, qui vix ſolvere poſſunt: Circà alios, eſt valdè controverſum, licèt aliàs affirmativa opinio probabilior appareat ex doctrinâ, quam dat *Maſtrius in ſuá Theol. Moral. diſt. 6. num.* 19.; & ratio eſt, quia gabellæ juſtæ non debentur Principi in *pœnam*, ſed in *tributum*, & tamquam *ſtipendium* jure naturæ illi debitum, & quaſi ex *contractu*, quia vice versâ Princeps jure naturæ, & quaſi ex *contractu*, tenetur cuſtodire ſubditos, eoſque cum Meniis, Turribus &c. ab hoſtibus deffendere, quod tamen facere non poſſet, niſi pro talibus expenſis, atque pro ejus congruâ ſuſtentatione, convenientia tributa illi ſolverentur: addit tamen *Sylveſter* cum aliis, quod ſi quis eſſet læſus à Principe; licitè facere poſſet ſecretam compenſationem, fraudando gabellas, & hoc licèt ſint alicui perſonæ privatæ locatæ: ſecùs dic. eſt, ſi ſint venditæ, quia in tali caſu fraudaretur illa perſona privata, quod eſſet contrà juſtitiam.

Gratia eſt donum Dei ſupernaturale: duplex eſt; nempè: gratis data, & gratum faciens: *Gratia gratis data*, eſt illa, quæ datur Homini etiam in peccato mortali exiſtenti: *Gratia gratum faciens*, eſt illa, quæ datur Homini in gratiâ exiſtenti; & hæc dupliciter confertur; nempè: ex *opere operato*, & ex *opere operantis*: iſta, ideſt, ex *opere operantis*, confertur juxtà meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis: Prima, ideſt, ex *opere operato*, confertur intuitu meritorum Jeſu Chriſti, & iſta (quæ etiam dicitur gratia ſupernaturalis) dividitur in *actualem*, & *habitualem*; prima, ideſt, *actualis* conſiſtit in aliquo actuali auxilio Dei, quo ipſe Deus Hominem ad benè agendum, & ad ſalutem ſuam procurandam admovet, & quantum eſt de ſe, promovere ſolet: Secunda, ideſt, *habitualis*, eſt quidam habitus gratiæ ſanctificantis, per quam homo formaliter juſtus, redditur gratus Deo etiam quando nihil liberè agit: *Gratia* poſteà *habitualis ſanctificans* dividitur

in

Digitized by Google

G

in *primam*, & *ſecundam*: Illa, ideſt, *prima*, nihil aliud eſt, quàm illa prima gratia ſanctificans, quam Homo in primo ſuæ juſtificationis inſtanti acquirit, & per quam formaliter ab eo expellitur peccatum: *Secunda* conſiſtit in omni augmento gratiæ ſanctificantis.

Gratitudo *eſt virtus, quâ illis, qui de nobis benemeriti ſunt, non ſolùm gratias agimus, ſed etiam, ſi poſſumus, referimus*: ejus officia ſunt quinque; nempè: Beneficii accepti exiſtimatio; ejus benigna acceptatio; gratiarum actio; grata commemoratio; re penſio: Vitium gratitudini oppoſitum eſt *Ingratitudo*, de quâ currit illud commune adagium, ideſt, *Ingratitudo* eſt unum peccatum, quod diſplicet Deo, & Hominibus, ideoque ingratis ſervire nefas.

Gula quintum peccatum capitale *eſt appetitus inordinatus cibi, & potus*: ità communiter in re: circà quinque verſari poteſt: 1. circà ſubſtantiam; 2. circà qualitatem; 3. circà quantitatem; 4. circà delectationem; 5. circà tempus: ejus ſpecies ſunt duæ; una dicitur *comeſſatio*, ſeu *crapula*, & conſiſtit in cibo immoderato; altera dicitur *ebrietas*, quæ conſiſtit in immoderato potus uſu.

Gula quo ad utramque ſpeciem, in ſex caſibus eſt lethaliter peccaminoſa: 1. quando in illâ ponitur ultimus finis; 2. quando ex ejus causâ prætermittitur aliquod præceptivum ſub mortali; 3. quando ex ejus causâ ſequitur notabile damnum in ſanitate corporis, vel in bonis fortunæ; 4. ſi ex ejus causâ ſequitur grave ſcandalum in proximo; 5. quando ſumitur cibus, vel potus contrâ naturam; 6. quando ex cibo, vel potu, ſivè in quantitate, ſivè in qualitate prævidetur ſecuturum eſſe peccatum mortale.

Innoc. XI. Propoſ. damn. 8. in ordine: Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis frui actibus ſuis.

H

HÆreſis *eſt error voluntarius cum pertinaciâ Hominis baptizati, Fidei Catholicæ, ex parte contrarius*: ità in re communiter: triplex eſt; nempè: *interior tantùm; exterior tantùm*; & *interior, & exterior ſimul*, & iſta dicitur *hæreſis formalis*: ab hæreſi *interiori tantùm*; abſolvere poteſt quilibet Confeſſarius: idem

idem dic. *de exteriori tantùm* in foro tamen interno conſcientiæ ſolùm, quia in foro externo denunciari debet SS. Inquiſitioni: ab *interiori, & exteriori ſimul*, ideſt, à *formali* non occultâ, ſolus Papa, vel Inquiſitores, qui ſunt ſpecialiter delegati contrà hæreticam pravitatem, abſolvere poſſunt in foro interno, & externo.

Vigore *Conſtit. Pauli V.*, quæ incipit: *Romanus Pontifex &c.*, & *Conſtit. Alex. VII.*, quæ incipit: *Licèt aliàs*, non ſolùm Hæretici formaliter denunciari debent SS. Inquiſitioni, *nullâ præcedente monitione*, vel *correctione*; ſed illi etiam, qui ſunt de hæreſi ſuſpecti, licèt leviter; & hoc ſub pænâ excommunicationis latæ, Papæ reſervatæ, ut conſtat ex citatis Conſtitutionibus Pauli V. & Alex. VII.

Ad incurrendam excommunicationem propter hæreſim, quatuor requiruntur conditiones: 1. hæreſis *interna*; 2. quod ſit manifeſtata aliquo ſigno *externo*; 3. quod tale ſignum *externum*, ſit mortaliter peccaminoſum; 4. quod tale ſignum externum, fiat cum *animo* profitendi, ſeù aſſerendi hæreſim; & hæc eſt illa hæreſis, quæ eſt ſubjecta excommunicationi in Bullâ Cœnæ, à quâ, ut dixi, nemo abſolvere poteſt niſi Papa, & ejus Delegati ſpecialiter.

Obligatio denunciandi in crimine hæreſis formalis, non extinguitur per mortem delinquentis, ut cum communi tenet *Diana p. 4. tr. 7. reſ. 28.*; & ratio eſt, quia peſtiferum hæreſis crimen ſerpit, & propagatur: talis obligatio juxtà *Caſtropal. tom. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 17. §. 7. num. 16.* præſcribitur *ſpatio quadraginta annorum* quo ad *totum*, ut habetur ex *cap. 2. de præſcriptionibus lib. 6.*, licèt Diana cum *Albergh.*, *Pignâ*, & aliis teneat, quod talis præſcriptio 40. *annorum*, non ſit quo ad *totum*, ſed ſolùm pro confiſcandis ejus bonis, non autem ad damnandam ejus memoriam, ejuſque ſtatuam comburendam.

Prædictam obligationem denunciandi habent omnes utriuſque ſexus, & cujuſvis conditionis, dummodo expleverint *ætatis annum decimum quartum*; & talis obligatio viget licèt denunciandus, jam fuerit ab alio denunciatus, ſuper eôdem crimine, & obligatus denunciare hoc ſciat, ut cum aliis tenet *Bord. in man. conſult. ſect. 18. num. 30.*, & etiam licèt habuerit notitiam quôcumque modo (excepto tamen *ſecreto*, quod reſultat ex *Sigillo Sacramentalis Confeſſionis*, ut communiſſimè tenent omnes cum

Scoto

Scoto in 4. diſt. 21. quaeſt. 2. §. Ad argum. litt. M.); & hoc non ſolùm ſi ſciat *immediatè*, ideſt, de viſu, aut auditu *immediato*, ſed etiam mediato, dummodò perſonæ, à quibus didicit, ſint fide dignæ: ità cum pluribus aliis *Bord. in Trib. fidei cap. 41. num. 21.*

Si ex denunciatione prudenter timeatur aliquod grave damnum in vitâ, famâ, bonis fortunæ &c. conſulenda eſt Sac. Cong. Inquiſ., & juxtà ejus reſcriptum, quiſque gerere ſe debet, & licèt ſecundùm *Simanchas de Catho. inſtitutio. tit. 29. num. 35.* Filius non teneatur denunciare Patrem Hæreticum, niſi in caſu, quo *ipſum filium dogmatizet in hæreſi, & alios doceat*; contraria tamen opinio, quam cum *cit. Bord.*, & aliis tenet *Dia. p. 1. tr. 4. reſp. 4.* ſicuti eſt probabilior, ita ut tutior eſt ſequenda; & ità deſumitur ex *Sac. Script. in Deutorono. cap. 13.*, *Si tibi voluerit perſuadere Frater tuus, filius Matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſivè Uxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam, clàm dicens: eamus, & ſerviamus Diis alienis &c. Non acquieſcas ei, nec audias*, neque parcat ei *oculus tuus*, ut miſerearis, & occultes eum.

Idem à fortiori dic. eſt de Patre reſpectu filii; de Uxore reſpectu Mariti, & vice verſâ; & quibuſcumque aliis, excepto tamen complice reſpectu complicis in eôdem crimine, ut dicit *cit. Bord. n. 9.*; & ratio eſt, quia nemo tenetur prodere ſe ipſum, cum id repugnet Juri naturæ.

An idem ſit etiam dic. extrà caſus *hæreſis formalis*; puta, in caſu *ſuſpicionis hæreſis*? eſt controverſum apud DD., licèt *affirmativa opinio*, quam cum pluribus aliis tenet *cit. Bord. in cap. 31. num. 13., & ſeqq.*; & etiam in *man. conſul. ſect. 18. num. 46.* probabilior eſſe videatur, & meritò ſequenda, ut noſtræ S. Fidei Catholicæ, & publico bono favorabilior; ſi Hæreticus jam eſt emendatus; adhuc denunciandus eſt, ex vi Edicti Inquiſitorum.

Epiſcopi, Inquiſitores, eorumque Vicarii, labem hæreſis alicui *falsò* imponentes; aut contrà Hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, licèt leviter, procedere omittentes, incurrunt ipſo facto in excommunicationem, Papæ reſervatam.

Dubietas in fide reducitur ad hæreſim, quapropter *Stephanus Papa relatus in cap. 1. de Hæreticis*, ſic ait: *Dubius in fide, infidelis eſt, aut Hæreticus.*

Legentes libros prohibitos, hæreſim continentes, incurrunt

ipſo facto in excommunicationem, reſervatam in Bullâ Cœnæ, dummodo tres ſimul concurrant conditiones: 1. quod qui legit, ſciat talem librum, eſſe prohibitum; 2. quod Author libri ſit Hæreticus; 3. quod liber contineat hæreſes, vel ex profeſſo tractet de Religione; undè ſi liber continet res indifferentes, & à caſu admiſceatur aliquis error contrà fidem, cenſeri non debet cum tanto rigore pænæ prohibitus.

Ex prædictis libris prohibitis; legere finè licentiâ octo, vel decem lineas curioſitatis causâ; licèt ſit peccatum mortale propter periculum, cui aliquis temerè ſe exponit, cum in paucis lineis poſſit quis imbui veneno graviſſimi erroris; attamen ſecluſo quôcumque periculo, eſt peccatum veniale tantùm, & nulla incurritur cenſura.

Legere libros prohibitos, hæreſim non continentes, neque tractantes de Religione ex profeſſo; eſt peccatum mortale ratione inobedientiæ; & etiam ratione periculi, ſi eſt vetitus, quia tractat venerea.

Licèt Epiſcopi *jure ordinario*, abſolvere nequeant in foro externo ab hæreſi formali, ideſt, interiori, & exteriori ſimul, non occultâ, neque ab excommunicatione propter ipſam contractâ; attamen plerique Epiſcopi Germaniæ inter alias facultates, ad reiteratam ſupplicationem, à Sede Apoſtolicâ de quinquennio in quinquennium, obtinere ſolent ſpecialem licentiam abſolvendi etiam in foro externo ab hæreſi formali, & ab excommunicatione, propter eam contractâ; quam licentiam communicare poſſunt aliis quibuſdam Viris, aliàs idoneis: ita *Gobat. tract. 7. Theol. experim. num.* 231.

Rara eſt illa hæreſis, quæ ab aliâ hæreſi oppoſitâ non fuerit impugnata, & poſteà deſtructa: ſic *Ebiò* negavit *Divinitatem* in Chriſto; & *Cerdo* negavit *humanitatem*: *Sabellius* negavit *diſtinctionem* Perſonarum in SS. Trinitate, & *Arius* negavit *identitatem*: *Neſtorius* aſſerebat Chriſtum eſſe *purum Hominem*; & *Euthiches* dicebat, eſſe *purum Deum*: *Novatiani* non admittebant *quamcumque veniam* in peccatoribus; & *Montenſes* illam ampliabant etiam ad illos, qui eam *non poſtulabant*: *Manichæi* deteſtabantur *matrimonium*; & *Jovaniſtæ* vituperabant *virginitatem*: *Pellagiani* attribuebant Hominum juſtificationem *ſoli naturæ*; & *Lutherani* illam attribuunt *ſoli gratiæ*: *ipſemet Lutherus Hæreſiarca*, & modernorum hæreticorum Dux, & Primates

in

in *Comment. ſuper quintum Pſalmum* ſic ſcripſit: *Hæretici victi ſunt mutuâ diſſenſione; nec aliter eum eis pugnat Deus, quàm miſſo inter eos ſpiritu vertiginis, & diſſenſionis ſicut inter* Sichimitas, *& inter* Babilonicæ Turris Operarios; *& in novâ lege inter* Arianos, Donatiſtas, & Pelagianos; & in hoc genere optimè ſcripſiſſet, ſi addidiſſet: ſicut *inter me, Zuvinglium, & Calvinum Collegas meos*, atque tot alios Sectarios; nempè: *Sacramentarios; VValdenſes; Picchardos; Huſſum; VVicleffum*, & alios, cum quibus Deus pugnavit, miſſo inter eos ſpiritu vertiginis, & diſſenſionis, ut evidenter conſtat ex eorum ſcriptis, nam *Lutherus* in Theſi 27. contrà articulos Lovanienſes ſic ſcripſit: *hæreticos ſeriò cenſemus, & alienos ab Eccleſiâ Dei, Zuvinglianos, & Sacramentarios omnes, qui negant Chriſti Corpus, & Sanguinem ore carnali ſumi in Venerabili Euchariſtiâ*: & in *epiſtolâ ad Jacobum Presbyterum, Eccleſiæ Bremenſis Doctorem* ſic ſcripſit: *Mihi* ſatis eſt omnium infeliciſſimo, una iſta Beatitudo: *Beatus Vir, qui non abiit in conſilio Sacramentariorum, nec ſtetit in viâ Zuvinglianorum, nec ſedit in cathedrâ Tigurinorum*; & in *epiſt. ad Argent.* ſic proteſtatur: *Quid me criminatur D. Carloſtadius quod expullerim eum? Caveat à fallaci illo ſpiritu, quiſquis poteſt*; & in Tom. 2. de Cœnâ Domini pag. 174. ſic loquitur: *Ego tamquam alterum jam pedem in ſepulchro habens, hoc teſtimonium, & hanc gloriam ad Tribunal Domini referam, quod hoſtes Sacramenti Carloſtadium, Zuvinglium OEcolampadium, eorumque diſcipulos, toto pectore damnarim, & vitarim*: & in Coment. in epiſt. ad Galat. cap. 6. editis anno 1523. ſic ſcripſit contrà *Huſſitas*: *conſequens eſt, quod Boemorum* (ideſt Huſſitarum) *diſſidium à Romanâ Eccleſiâ, nullâ poſſit ratione defendi, quin ſit impium, & Chriſti omnibus legibus contrarium* & de Waldenſibus in cap. de Suvermeris ſic ſcripſit: *VValdenſium, mirabiles ſunt opiniones de Sacramento Altaris, quas ipſi non intelligunt: Evangelii promiſſionem non purè tractabant, nec fruebantur latâ conſcientiâ: errant in eo, quod non credant, ſolam fidem, ſinè operibus juſtificare*: Hæc omnia ipſemet Lutherus; & Theologi Mansfeldienſes Lutheri diſcipuli, in confeſſione latinâ Mansfeldicâ in pag. 120. ſic ſcripſerunt: *Suſpectam meritò habemus Sacramentariorum doctrinam: 1. propter novitatem; extitit enim recens noſtro tempore, & ignota fuit vetuſtæ Eccleſiæ; 2. quia Sacramentarii, non deffinitè in eâdem ſententiâ*

 con-

concordes ſunt, ſed in ſe ipſis diviſi ſunt; *nam alii ſunt Carloſtadiani, Zuvingliani, OEcolampadiani, Campaniſtæ, Calviniani*, & ſimiles. Hæc omnia, ut dixi, Hæreſiarca Lutherus, & ejus aſſeclæ. Nunc videamus, quid cum aliis Sectariis dixit Hæreſiarca Calvinus confrater, & Collega Lutheri de ipſo Luthero, & ejus Sectatoribus: *Calvinus in ſuo lib. Inſtit. pag.* 113. ſic ſcripſit: *Audio Lutherum cum atroci invectivâ, tàm in vos, quàm in nos omnes prorupiſſe; nunc vix audeo à vobis petere, ut taceatis ... ſæpè dicere ſolitus ſum: etiamſi me diabulum vocaret; me tamen hoc illi honoris habiturum, ut inſignem Dei ſervum agnoſcam: tamen ut pollet eximiis virtutibus, ita magnis vitiis laborat*. Hic not. eſt Calvini magnum abſurdum; nam honorat Lutherum titulo *inſignis Servi Dei*, & poſteà addit, eum laborare *magnis vitiis*: quid tenebræ cum luce? Numquid Deo puriſſimo placere poſſunt maculæ vitiorum? Sunt Hæretici: hoc ſufficiat. *Item* Calvinus in admonit. 3. ad Joachimum Veſtphalum ſic: *Lutherani ſunt homines vertiginoſi, Cyclopes, ſuperba factio gigantium, frenetici, beſtiæ, prodigiosè cæci, diſperatè impudentes, nihil aliud quàm falſarii, & improbi calumniatores, protervi, plùs ſatis bardi, fatuoſi; & ſimul adeò ignari, ut quod pueris in cathechiſmo traditur, id eorum veterani Theologi ignorent*. Theologi Tigurini in Confeſſione Germanicâ Tigurinâ editâ anno 1544. in 8. pag. 3. ſic ſcripſerunt: *Superioribus diebus edidit Martinus Lutherus librum, quem inſcripſit: Brevis confeſſio de Sacramento, in quo non obſcurè pro Hæreticis Sacramentariis, & ſceleratiſſimis hominibus habet, & condemnat OEcolampadium, Zuvinglium, & omnes Tigurinos: liber eſt plenus Dæmoniis, plenus impudicis dicteriis, ſcatet furore*. Joannes Jezlerus Calviniſta Sacramentarius in libro inſcripto: Dediutum belli Euchar. pag. 25. ſic dicit: *Primum bellum fuit: à Luthero, & Carloſtadio*; ſecundum: à *Luthero, & Tigurinis*; tertium: à *Veſphalo, & Calvino*: quartum: ab *Hesluſio, & Glepitio*; quintum: à *Brentio, & Bulingero*; & pag. 8. ſic: *Litigandi, ſcribendi, declarandi, diſputandi, condemnandi, & excommunicandi inter Lutheranos, & Calviniſtas; nullus eſt finis*: & in pag. 93. exponit Cenſuras Lutheranorum contrà Calviniſtas, aſſerentium, quod Calviniſtæ ſint *mendaces, falſarii, Sacramenti perdæ, Sacramentorum hoſtes, corruptores Teſtamenti Chriſti; quod ruant in tartara, quod ſuo judicio ſint damnati*: E contrà

Zuvin-

Zuvingliani, duriora evomerunt contrà *Lutheranos*, appellantes eos *Antropbagos*, *Hæmatopetas*, *Thyeſtas*, *Carnifices*, *Chriſticidas*, *Artolatras*, *Impanati Dei cultores*, *Abnegatores Redemptionis per Chriſtum facta*, *Eutichianos*, *Everſores quamplurium fidei articulorum*: ex his excandeſcentes Lutherani ſcripſerunt contrà *Zuvinglianos*, eos appellantes *convictos Hæreticos*, *Dæmoniacos, Diabolis ex omni parte, antè, penè; ſuprà, infrà, intùs, & extrà obſeſſos; enumerandos cum Anabatiſtis, Neſtorianis, Arianis, Turcis; omnium mortalium, quos umquam terra ſuſtinuit deterrimos, nec non in æternum damnatos*.

Ecce qualibus Elogiis, & inſcriptionibus, mutuò ad invicem ſe exaltant moderni Hæreſiarchæ, eorumque Sectatores? Meritò quidem, taliter quod alter alteri ad invicem dicere poteſt: parce, ignoſce, habe me excuſatum, ſi dixi verum.

Poſt hæreſes, & Hæreſiarcas in communi; de iſtis in particulari, nonnulla ſcribere, opere pretium duxi, ut prudens, & doctus Lector, evidenter agnoſcere poſſit, qualis, & quanta ſit illa ignorantia affectata, quæ modernos Hæreticos detinet in ſuis erroribus involutos; illorum Hæreſiarcarum falſas doctrinas ſequentes, qui cum contradictoriis ſpecialiter, nedùm ſibi ipſis mentiti ſunt; ſed, & toti Terrarum Orbi notum fecerunt, quod doloſi, fallaces, fraudolenti, & mendaces fuerint, & conſequenter omni, & quâcumque fide indigniſſimi. Præcipui autem Hæreſiarchæ moderni ſunt: *Lutherus*, *Zuvinglius*, *& Calvinus*; quapropter, quando in hoc libro *ſparſim* dico: *Moderni Hæretici*, ſemper referendum eſt ad ſeguaces horum trium; aut duorum; aut unius ſaltem.

Lutherus plures ex ſuis hæreſibus, hauſit ex poculo iniquitatis *Joannis Hus*, & hic, ab illo *Joannis VVicleffi*, cujus propoſitiones ad num. 45. ab Æcumenico Generali Concilio Conſtantienſe, damnatæ fuerunt, ex quibus duæ ſpecialiter, ſunt tàm horridæ, & abominabiles, ut illas ſcribendo, & tremat manus, & horreat calamus: *Deus debet obedire Diabulo — Qualibet Creatura eſt Deus*.

Scripſit Wicleff plures libros, erroribus plenos; inter quos, unum, aliis peſtilentiorem, cujus titulus: *Trialogus inter veritatem*, *mendacium*, & *ſapientiam*, in quo paſsìm, ſacrilegè loquitur de Deo; de Incarnatione Jeſu Chriſti; de Angelis; de Sacramentis; de Virtutibus; de Hominibus; de libertate arbitrii; & de quatuor (ab eo aſſertis) finibus Hominis, ità quod

VVal-

VValſingamus in Ricardo 2., eum appellet: *Veterem hypocritam; Angelum Sathanæ: Anti-Chriſti præambulum non nominandum.* Pluribi in ſuis ſcriptis, ſibi ipſi contradicit; undè de illo verificatur illud aureum dictum D. Auguſt. in lib. 12. cap. 3. contrà Fauſtum: *Quod vult, credit; quod non vult, non credit: ſibique potiùs, quàm Evangeli o credit.* Ut brevitati conſulam, ex pluribus hujus Hæreſiarchæ contradictoriis, quinque tantùm referam, & ſunt.

Primum. In lib. de Veritate, & Mendacio cap. 16. impugnando *Eccleſiaſticas Traditiones*, ſic ſcripſit: *Apud Sapientes relinquendum* tamquam impertinens veritati, *quidquid Sacra Scriptura* expreſsè *non ponit*: & in lib. de Poteſtate, ſic expreſſit: *Ulteriùs conceditur, quod obſervanda ſit* laudabilis conſuetudo Eccleſiæ, *licèt non ſit* explicita, *ſed implicita in Sacrâ Scripturâ.* Et ecce primum contradictorium; nam in uno loco reprobat quidquid *expreſsè* non invenitur in Sacrâ Scripturâ; & in alio approbat laudabilem conſuetudinem Eccleſiæ, licèt non ſit *expreſsè* poſita in Sacrâ Scripturâ. At non approbare, & reprobare idem de eodem numericè, eſt evidens contradictorium? At non in quôcumque contradictorio, una propoſitio eſt neceſſariò falſa? Nonnè qui dicit falſitatem eſt mendax? An mendacibus adhibenda ſit fides? Judicent, & reſpondeant Hæretici.

Secundum. Impugnando Wicleff *Sacramentum Pænitentiæ*, ſic ſcripſit in libro de Blaſphemiâ: *Sacramentum Pænitentiæ, & Abſolutionis; fundamentum in Sacrâ Scripturâ nullum eſt* — & contrà *Sacramentum Extremæ Unctionis*, in lib. 4. Trial. cap. 15. dicit: *Unctionem Extremam, non eſſe Sacramentum*: ibique etiam negat *Sacramenta Confirmationis, & Matrimonii*: Et in *poſtillâ ad cap. 15. Marci Evangeliſtæ*, ſibi ipſi contradicendo ſic ſcripſit: *Sacramenta Eccleſiæ ſunt velut Caſtrum, & munitio tutiſſima, quam velut fluvius immenſus, primò circuit* aqua Baptiſmatis, *quæ primò coercet acceſſus hoſtiles: In interioribus ripis fluminis, ſunt*: Confirmatio, & Pænitentia *veluti Vallus, & murus exterior: In medio autem, velut Turris fortiſſima*, Sacramentum Euchariſtiæ *collocatur, ad quam aſcenditur* per gradus Ordinis; *Et circà hos gradus*, Matrimonium, *quaſi murus interior, defendens Forum ſæculare, & Eccleſiaſticum: Oſtiolum autem, per quod ingreditur vitam futuram, eſt* Extrema Unctio: *ſed, & totam iſtam ſeriem Caſtrorum fundavit*

Chriſtus,

Chriſtus, dans Vicariis poteſtatem *ubicumque errigendi*. Et ecce ſecundum contradictorium in negando, & affirmando idem de eodem numericè, nam in uno loco negat Pænitentiam; Extremam Unctionem; Confirmationem, & Matrimonium; & in alio, illa confitetur, & affirmat.

Tertium, & quartum. Inter enumeratas Wicleffi damnatas propoſitiones, una eſt: *Non eſt fundatum in Evangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit*: alia conſiſtit in blaſphemiis, quas ex irâ, & odio evomit contrà Sanctam Catholico-Romanam Eccleſiam, & Papam pluribi, & præſertim in ſequentibus propoſitionibus: *Eccleſia Romana eſt Sinagoga Sathanæ — Papa non eſt immediatus, & proximus Chriſti Vicarius — Electio Papæ à Cardinalibus, per Diabulum eſt introducta — Papa eſt Anti-Chriſtus — Capitulum Anti-Chriſti, conſtat ex Papâ, Cardinalibus, Patriarchis, Epiſcopis &c. — Papâ, & Epiſcopis omnibus ſublatis, magis proſperaretur Eccleſia*: Et tamen ipſe idem Wicleffus, qui negavit, non eſſe fundatum in Evangelio, Chriſtum ordinaſſe Miſſam; *in lib. de Apoſtaſ. cap. 18.* ſic ſcripſit: *Sacrificium Miſſæ, eſt egregium, & egregiè declaratum, & certum quidem eſt, quod omnia talia de tantò ſunt laudabilia, de quantò excitant, ut Chriſtus plùs ametur*.

Si ergo omnia talia, de tanto ſunt laudabilia, de quanto excitant, ut Chriſtus plùs ametur? Quâ de causâ? Non aliâ certè de causâ, niſi quia ipſe Chriſtus ordinavit illud egregium Miſſę Sacrificium, tam egregiè declaratum ab Eccleſiâ; nempè: quando dixit: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*: ſed negare non eſſet fundatum in Evangelio, quod Chriſtus ordinaverit Miſſam; & idem æquivalentibus verbis aſſerere, eſt contradictorium: ergo &c. & ecce tertium Wichleffi contradictorium. In conſpectu Synodi Londinenſis, ſpontè, liberè, & manu propriâ ſcripſit Wicleffus ſequentem ſuæ fidei proteſtationem: *In principio proteſtor publicè . . ., & nunc, pro ut ex tunc, revoco, & retracto*, ſubmittens me humiliter correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ. *Non intendo derogare* Poteſtati Papæ, *vel cujuſcumque Prælati Eccleſiaſtici &c.* Et in epiſtolâ, quam ipſe ſcripſit, & miſit ad Papam Urbanum Sextum (*teſte Sandero de viſibili Monarchiâ cap. 7.*) in talibus terminis ſic ſe expreſſit: *Gaudeo planè detegere cuicumque fidem meam*; *ſed* ſpecialiter Romano Pontifici . . . *ſuppono iterum, quod* Romanus Pontifex, *cum ſit Summus Chriſti Vica-*

Digitized by Google

rius &c. In ſuæ fidei proteſtatione Wicleff, ſicuti & in epiſtolâ ad Urbanum Papam, non ſolùm ſe ſubmittit humiliter correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ, ſed confitetur poteſtatem Papæ, quem aſſerit eſſe Summum Chriſti Vicarium: Confitetur, dico, in uno loco poteſtatem Papæ, & affirmat eum eſſe Summum Vicarium Chriſti; & in alio loco dicit, quod Papa non eſt immediatus, & proximus Chriſti Vicarius; immò eum denominat Anti-Chriſtum. Nonnè hoc eſt evidens, & palpabile contradictorium? Et ecce quartum contradictorium.

Quintum. Una ex Wicleffi damnatis propoſitionibus, eſt: quod de Sanctorum invocatione, & nominatim Sanctiſſimæ Deiparæ ſemper Virginis Mariæ, diabolicè ſic ſcripſit: *Orandam eſſe Litaniam, non tamen orandos eſſe* Sanctos, orare pro nobis, *cum aliud ſit dicere*: Sancta Maria ora nobis; *& aliud ſit dicere*: Sancta Maria oro Te, ora pro nobis. Non autem oramus Sanctam Mariam, *quia hoc eſſet committere Idololatriam*. Ità diabolicè ille Wicleff, qui ſibi ipſi contradicendo in publico ſermone, quem recitavit de Aſſumptione ejuſdem Virginis Deiparæ, quaſi Angelicè ſic ſe expreſſit: *Videtur mihi impoſſibile, nos præmiari* ſinè Mariæ ſuffragio. *Verumtamen ſunt gradus in ejus auxilio, ut quoſdam etiam præſcitos, juvat ad cavendum peccata, vel eorum gravedinem; & per conſequens, ad pœnæ perpetuæ mitigationem. Quoſdam autem juvat ad bonorum fortunæ, naturæ, & gratiæ cumulationem; & per conſequens ad periculi, vel damni temporalis evitationem. Quoſdam autem juvat ad Beatitudinis promeritionem ... Et ſic non eſt* ſexus, ætas, ſtatus, aut conditio humani generis, quin neceſſe habeat auxilium Virginis implorare. *Nemo tamen meretur Beatitudinem, niſi optimam partem cum ipſâ elegerit*.

Ità Wicleff in contradictoriis contrà Wicleff, & ſic paſſim omnes Hæreſiarchæ, qui ſicuti cum contradictoriis, ſe ipſos mendaces publicaverunt; ita toti Terrarum Orbi notam fecerunt hanc infallibilem veritatem, quod, ſcilicet, ſola Catholico-Romana Eccleſia, ſicuti in fidei Jeſu Chriſti dogmatibus fuit ſemper uniformis; atque in ejuſdem fidei articulis ſemper ſtabilis; in eorum definitionibus, & deciſionibus per longiſſimum temporis ſpatium 1700. annorum, & ultrà, in quibus non unus, aut viginti, aut quinquaginta Papæ, ſed duo centum, & quinquaginta, ſemper, & immutabiliter tenuerunt, aſſeruerunt, & docuerunt eandem numericè

fidei

fidei regulam; nulluſque eorum, nec unus quidem, neque ſibi ipſi, neque aliis contradixit in iis, quæ ſpectant ad Jeſu Chriſti fidem, vel bonorum morum integritatem; ita aſſeri debet, quod ſit illa ſola, quæ à Jeſu Chriſti Apoſtolis, originem habuit, de quâ *S. Auguſt. in Symb. ad Catech. lib.* 1. ſic ſcripſit: *Eccleſia Sancta; Eccleſia una; Eccleſia Catholica contrà omnes Hæreſes pugnans; oppugnari poteſt, expugnari non poteſt: ipſa manet in radice ſuâ, in charitate ſuâ; & portæ inferi, non vincent eam.*

Walſingamus in *tom.* 3. *tit.* 12. *cap.* 108. teſtatur, Joannem Wicleffum, non minùs miſerrimè vixiſſe (ut ibi deſcribit), quàm infeliciſſimè objiſſe: nàm moriens, per ſigna forinſeca deſperavit, & ſic concludit: *Tali modo mortuus eſt Hæreſiarca VVicleff, novus compilator vetuſtarum, & Patriarca Hæreſum modernarum.*

Joannes Hus Boemus, Hæreſis poculum bibit per oculos, legendo Wicleffi libros, & præſertim Trialogum: Iſte Hæreſiarca ſpontè, liberè, & manu propriâ, ſuæ fidei confeſſionem ſcripſit, quam poſteà miſit ad Joannem 22. Pontificem Romanum (*ut refert Joannes Coclæus in lib.* 1. *Hiſt. Huſſit.*), & erat ſequentis præciſi tenoris: *Ad reverentiam Jeſu Chriſto*, Eccleſiæ, Supremoque ejus Pontifici, exhibendam: *paratus ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti, de eâ fide, quam teneo, rationem reddere: Confiteor corde ingenuo, Jeſum Chriſtum Dominum, eſſe verum Deum, & verum Hominem; totamque ejus legem, tàm firmæ veritatis exiſtere, quod nullum jota, vel apex ipſius, fallere poteſt:* Domum ſuam, Sanctam Eccleſiam, tàm firmiter fundatam ſuprà firmam petram, quod portæ Inferi, non poſſunt adversùs eam quomodolibet prævalere; *promtuſque in ſpe ipſius Capitis Jeſu Chriſti Domini, mortis diræ potiùs ſuſtinere ſupplicium, quàm electivè aſſerere, quod foret Chriſti*, ſuæque Eccleſiæ *contrarium voluntati.*

Hæc fidei confeſſio Joannis Hus; non ſolùm ejus vitæ geſtis, eſt contraria, ſed etiam aliis ejus ſcriptis contradictoria. Quod ejus vitæ geſtis, ſit contraria; evidenter colligitur ex iis, quæ de illo ſcripſerunt *Paletz, & Andreas Broda* apud cit. Coclæum. Paletz de Hus ſic ſcripſit: *Contumax à Sancta Eccleſiæ Catholicæ obedientiâ, receſſiſti; & in multorum ſcandalum, & periculum (in ſententiis plurimarum Eccleſiarum, & ſuper omnia, Summi Pontificis Chriſti Vicarii) poſitus, & publicè denunciatus, timo-*

rem Dei abiicis, nec Cenſuram Eccleſiaſticam avertis. De verbo Dei, in Cathedrâ ſuperbiæ tuæ (& quod ampliùs eſt) de Divino Miſſarum Officio; bonâ ſuffoſsâ conſcientiâ; audaci, & Sathanicâ præſumptione, gemitu plenâ, tu audes ingerere; & cum Rege Saule contrà Divinam obedientiam, non victimas offerre, ſed ſcelus Idololatriæ perpetrare. At verò ſi dixeris: Non peccavi: Dic ſub cujus Prælati Eccleſiaſtici diſciplinæ jugo ſis, ne tu ipſe, & actor cauſarum, & Judex eſſe videaris? En: & agis cauſas, & ſolus judicas cauſas; proponis, & decidis cauſas; te ipſum pro teſtibus comprobas; non Apoſtolos poſtulas; & nequaquam Chriſti invocato nomine, determinas, & promulgas. Quis ergo tibi comprobabitur? Diæceſanum proprium cum omnibus ſuis Officialibus ordinariis contemnis, & tamquam feſtucam reputas; quinimmò Summum Pontificem: abominationem, & Anti-Chriſtum publicè prædicas, & omne Sanctum ſuum Decretum, Authoritatem, & Officium majori arrogantiâ, quam Dathan, & Abiron, ſuperbiſſimè abjicis, & contemnis. Ecce quomodo abſque jugo factus es, quaſi ſolus Dominus, ſolus Altiſſimus?

Hæc Paletz de Joanne Hus; & quæ ſequuntur expreſſit *Andreas Broda* in epiſtolâ reſponſivâ ad litteram, ab Hus ſibi directam, in quâ reſponſione ſuaviter, & blandè detegit illius fallaces inſidias, ſic ſcribendo: *Teſte B. Gregorio: Charitas diviſa unit; confuſa, ordinat; inæqualia, ſociat; & ipſa Charitas dicit: Qui non colligit mecum, diſpergit: quod exponens Ugo, ſic dicit: Officium Chriſti eſt, diſperſa congregare; officium autem Diaboli eſt, congregata diſpergere. Ecce Magiſter Rev. quomodo Charitas tendit ad unitatem. Quid ergo dicimus ad hæc, inter quos ſunt diſſenſiones, & ſchiſmata, ut ille Joanniſta; iſte VVicleffiſta; cæterique Mahumetiſtæ nuncupentur? Diviſus eſt Chriſtus? Nunquid VVicleff crucifixus eſt pro nobis? Aut in nomine ipſius baptizati ſumus? Gratias ago Deo meo, quod ipſius opinio nunquam intravit in cor meum. Et vos in litterâ appellatis me Fratrem cariſſimum. Deus det mihi pro magno, quæsò, præmio, ut ſitis in Domino Frater meus, nam ex toto cordis affectu deſidero vos ad unitatem Sanctæ Matris Eccleſiæ jam redire, in quâ, inquam, ſunt Chriſtiani adinvicem veri Fratres, à quâ (quod dolenter refero) per inobedientiam receſſiſtis: Veſtra enim patefacit littera, quam mihi deſtinaſtis, quod mori*

magis

Digitized by Google

magis cupitis, quàm reverti. Quomodo Fratres erimus, quorum non eſt una Mater, & per conſequens, neque unus Pater? Et quomodo me cariſſimum vocatis, cum tamen tenditis ad hoc, ut me omnibus viliſſimum, & odioſum reddatis? Scribitis etiam: Dilecto Domino Andreæ, quaſi quod ex participatione meâ vobiſcum ſim excommunicatus, prophanus, & irregularis. Benè quidem multis temporibus bibi, & comedi vobiſcum, & in uno lecto jacui; ſed ab illo tempore, quo proceſſus contrà vos publicati ſunt; neque ego vos vidi, neque vos me vidiſtis. Palpate ergo, & videte, utrùm iſta ex charitate, an ex odio procedant? Dicitis, quod expectatis martyrium. Quomodo vultis eſſe Martyres, cum etiam locum, ubi cognoſcitur veritas, declinatis? Legem aliis objicitis unâ cum veſtris; & nemo ex vobis obſervat legem. Parietes præceptis depingitis, quæ utinam in cordibus teneretis. Nonnè lex dicit: Diis non detrahes; & omnes veſtri quantis ſunt detractionibus, & convitiis pleni? Lex præcipit: Non concupiſces; & vos unâ cum veſtris diſcipulis, aliena tollere prædicatis: Mihi judicium imponitis, quod tamen in veritate adſcribere non debetis: ſed væ, qui alium doces, te ipſum non doces, dicit Apoſtolus. Quare vos Papam, Cardinales, Prælatos, & omnes indifferenter Clericos vituperosè, immò veriùs, injurioſè judicatis, & imponitis eis crimina, quæ fortaſſis quoadusque vivitis, non probaretis? Cur non ſequimini legem Chriſti dicentis: Si videris Fratrem tuum peccantem, corripe ipſum inter te, & ipſum ſolum... Dicitis me colare culicem, & camelum deglutire. Veriùs hoc de vobis dicerem, & de veſtris, nam illos, qui non ſunt de Sectâ VVicleffi, etiam parvulos; acriter increpatis; ſed veſtros Sectarios, perjuros, blaſphemos, homicidas, fures, & adulteros, leviter palpatis.

Ex hac reſponſivâ epiſtolâ *Andreæ Brodæ*, & ex dictis *Paletz*, ſatis evidenter apparet, quod opera *Joannis Hus* erant per diametrum contraria confeſſioni illius fidei, quam ille ſcripſit, & miſit ad Joannem XXII. Summum Pontificem: Quod poſteà involvat contradictoria, patet primò *ex tractatu trium quæſtionum, quas in quodam libello divulgavit Holmutii anno 1412.*, in quarum primâ quærebatur: *Utrùm credendum eſſet in Papam?* Cui quæſito, à ſe propoſito; ipſe idem reſpondit *negativè*: Et tamen ipſe Hus in principio ſuæ confeſſionis, corde ingenuo (ut ipſe ſcribit) proteſtatur ſe reverentiam exhibere non tantùm Jeſu Chriſto, &

Eccleſiæ, ſed etiam Supremo ejus Pontifici, ideſt, Papæ. Negare, quod ſit credendum in Papam, nihil aliud eſſe poteſt, niſi illum reprobare, ideſt, negare, quod ſit Chriſti Vicarius: Exhibere reverentiam Jeſu Chriſto, Eccleſiæ, & Supremo ejuſdem Eccleſiæ Pontifici; idem omninò eſt, ac affirmare, quod ſit Chriſti Vicarius: ſed affirmare, & negare idem de eôdem numericè, eſt contradictorium: ergo &c. Patet ſecundò ex duabus propoſitionibus *ipſius Hus* ab Æcumenico Generali Conc. Conſtant. damnatis: *Papa non eſt verus, & manifeſtus ſucceſſor Petri -- Romanus Pontifex non eſt Caput Romanæ Eccleſiæ*. Si ergo Papa non eſt verus, & manifeſtus Succeſſor Petri; & Pontifex Romanus non eſt Caput Romanæ Eccleſiæ: Ad quid perditio hæc mittendi confeſſionem ſuæ fidei ad Joannem XXII. Romanum Pontificem? Quâ de causâ in principio talis confeſſionis proteſtatur ſe reverentiam exhibere, & Jeſu Chriſto; & Eccleſiæ; & ejuſdem Eccleſiæ Supremo Pontifici? Quænam ergo erat talis Eccleſia? Non alia certè, niſi Romana. Quis Supremus Pontifex ejuſdem Eccleſiæ? Ille ſolus individualiter, ad quem ille miſit confeſſionem ſuæ fidei, ideſt, Joannes XXII.. Si ergo Romanus Pontifex non eſt Caput Romanæ Eccleſiæ; cur ad ipſum dirigere propriæ fidei confeſſionem? At non hoc eſt manifeſtum contradictorium negare Romanum Pontificem eſſe Caput Romanæ Eccleſiæ; & Romam ad eundem dirigere confeſſionem propriæ fidei, ut Supremum Pontificem ejuſdem Romanæ Eccleſiæ? *Nonnè hoc eſt potiùs velle oculis clauſis in montem offendere, quam oculis apertis in eum aſcendere*, ut dicit D. Auguſt. *de unit. Eccl. cap.* 16. Nonnè hoc eſt potiùs velle ex ſtulto furore eſſe Hæreticum, quàm prudenter eſſe Catholicum?

Lutherus Islebii in Saxoniâ natus, toto hauſit pectore hæreſes Joannis Hus, adeò quod in ſcripto, quod in fine litterarum Joannis Hus editarum anno 1537., de illo ſic ſcripſerit: *Magnis, & excellentibus Spiritus Sancti donis ornatum; & quod ſuis ſcriptis, & dictis, doctrinæ Chriſtianæ conſenſerit; mortemque pro veritatis aſſertione tolleraverit*: immò addidit, quod ſi pro *Hæretico habendus eſt Joannes Hus, non facilè quiſquam, quos Sol unquam vidit, verè Chriſtianus haberi poterit*; illumque poſtremò uſque ad ſydera exaltavit, illum appellando: *Magnanimum, & Fortem Chriſti Martyrem*.

Verè Lutherus non fuiſſet in ſuâ nequitiâ perfectus, niſi cum contradictoriis ſe ipſum Mundo manifeſtaſſet fallaciſſimum Hæ-

reſiar-

ceſſarcam. Denominat *Joannem Hus Magnanimum, & Fortem Chriſti Martyrem, eo quod mortem ſubierit pro veritatis aſſertione*. Si ergo Joannes Hus, martyrii tormenta pro veritatis aſſertione tolleravit, eo quod ſuis ſcriptis, & dictis conſenſerit doctrinæ Chriſtianæ: Quare Lutherus poſteà impugnavit, & dicta, & ſcripta Joannis Hus, ut falſa? Negavit Lutherus Sacramenta Eccleſiæ, exceptis Baptiſmo, & Matrimonio; negavit Orationem pro Mortuis; tranſubſtantiationem panis; Purgatorium; invocationem Sanctorum, & adorationem Imaginum eorumdem Sanctorum, quæ omnia aſſeruit Joannes Hus in ſuis ſcriptis; videlicet, *in tract. de Pænit.*; *in lib. de Cœnâ Domini*; *in Comment. in Epiſt. Jacobi*; *in Serm. de Exequiis*; *in Dilucid. ſuæ Fidei*; *in lib. de Imag. adorat.*, *& alibi*. Vel ergo fuit Hæreticus Joannes Hus prædicta aſſerendo; vel Lutherus eadem negando. Si fuit Hæreticus Joannes Hus aſſerendo: quâ fronte atritâ, & æneo vultu, auſus eſt Lutherus illum uſque ad ſydera extollere, eundem appellando: Magnanimum, & Fortem Chriſti Martyrem? Magnis, & excellentibus Spiritus Sancti donis ornatum? Si verò in præfatis Joannes Hus aſſeruit veritatem; quâ perverſâ, & hæreticali pervicaciâ Lutherus illa negavit? Quâ ignorantiâ affectatâ volunt oculis clauſis Lutherani ſequi illum Ducem cæcum, qui illos ſecum trahit in foveam æternæ damnationis?

In præfatione libri, quem Lutherus publicavit contrà Henricum Octavum Angliæ Regem, accerrimè defendit Joannem Hus, & Bohemos his præciſis verbis: *Juſtiſſimâ causâ Bohemi, homicidas iſtos, & Anti-Chriſtos Papiſtas deſeruerunt, poſtquam innocentem Virum Joannem Hus, ipſi ſepties Hæretici, exuſſerunt; & utramque ſpeciem à Chriſto inſtitutam, ſacrilegè damnaverunt*. Hæc ille idem Lutherus, qui in diſputatione habitâ cum Joanne Echio præclariſſimo Theologo, & Controverſiſtâ Catholico per continuos decem dies coràm Georgio, ex Saxoniæ Ducibus, Principe Præclariſſimo, Senatu, Univerſitate, ac publicis Notariis, hinc indè, propoſitiones, & reſponſiones ſcribentibus; ſequentem fecit proteſtationem: *Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit quodcumque Schiſma*. Iniquè faciunt Bohemi, *quod propriâ authoritate*, ſe ſeparant à noſtrâ unitate, *etiamſi Jus Divinum pro eis ſtaret*; *cum ſupremum Jus ſit charitas, & unitas*. Quod Lutherus *in dictis* in ordine ad Bohemos, ſibi ipſi contradicat; tàm clarum, & evidens eſt, ut ſuperflua foret quæcumque

cumque probatio. Quod etiam *in factis*; ex hoc patet, quod non ſolùm ſeipſum ex nequitiâ, & propriâ malitiâ; ſed etiam tot alios dolosè cum fallaciis, fraudibus, & mendaciis disjunxit ab unitate illius Eccleſiæ Catholico-Romanæ, in cujus gremio feliciter nati erant, quamque feliciùs per multos annos profeſſi, & confeſſi fuerant.

In Bullâ Leonis X., quæ ejuſdem Papæ, eſt Conſtitutio 40. in ordine, & incipit: *Exurge Domine &c.* Una ſuprà quadraginta Lutheri propoſitiones damnatæ fuerunt, ex quibus vigeſima octava eſt: *Si Papa cum magnâ parte Eccleſiæ, ſic, vel ſic ſentiret; nec etiam erraret*: adhuc non eſt peccatum, aut hæreſis contrarium ſentire, *præſertim in re non neceſſariâ ad ſalutem*, donec fuerit per Concilium Univerſale, *alterum approbatum, & alterum reprobatum*. Alia, quæ eſt vigeſima nona, ſic eſt: *Via nobis facta eſt* enervandi authoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum geſtis, & judicandi eorum Decreta; *& confidenter confitendi quidquid verum videtur, ſivè* probatum fuerit, *ſivè* reprobatum *à quocumque Concilio*. En aliud Lutheri contradictorium, nam in propoſitione 28. temerè negat authoritatem Papæ ſuper Concilia Generalia; & in propoſitione 29. iniquiſſimè affirmat, poſſe non ſolùm Papam, (qui de facto poteſt), ſed quemcumque alium, contradicere geſtis eorundem Conciliorum, ideſt, tollere totaliter authoritatem Conciliorum Generalium. Et hæc brevitatis gratiâ, ſufficiant circà Lutheri contradictoria.

Tres Lutherus fecit translationes Bibliæ Sacræ: Primam edidit Germanico idiomate *anno* 1522., ex quâ excluſit Epiſt. ad Hebræos; illaſque Jacobi, & Judæ; nec non Apocalypſim. In hac translatione Doctores Catholici, & præſertim *Hieronymus Emſer* enumerarunt pluſquàm mille errores fraudolentiſſimæ expoſitionis ad decipiendum: poſt alios quinque annos, aliam eôdem idiomate typis mandavit, in quâ triginta textus mutavit à primâ; & tandem alios poſt duos annos, tertiam publicavit latino idiomate, adeò primæ, & ſecundæ contrariam, ut plurimi ex iiſdem ſuis ſequacibus (relatu *Nat. Alex. ſect.16. cap.2. art.* 10. *§.2. num.*20.) nequiverint eum aliter appellare, niſi mendacem, & deceptorem. Et *Prateolus in lib.* 1. *Elenchi alphabetici omnium hæreſum* multos citat textus alteratos, mutilatos, prætermiſſos, & adulteratos, inter quos, unum referre mihi placet, in quo *Apoſt. in c.* 3. *ad Rom.*, ſic ſcribit: *Arbitramur enim juſtificari Hominem per*

fidem ſinè operibus legis, in quo textu ille malignus, calidè, & fraudolenter addidit: SOLAM, ſic dicendo: *Arbitramur enim juſtificari Hominem per* SOLAM *fidem ſinè operibus legis*; de quo monitus à quodam ſuo Amico in Conventu Auguſtano: cum deteſtandâ, & intollerabili petulantiâ ſic reſpondit: *Si Papiſta tuus vult garire de hac voce:* SOLAM; *ei confeſtim dicito ſic: Doctor Martinus Luther vult ſic ſe habere, & dicit Papiſtam, & Aſinum eſſe rem unam: Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas: Nolumus enim Papiſtarum Scholares eſſe, aut Diſcipuli; ſed Magiſtri, ac Judices*. Et quis non obſtupeſcit, videns in Orbe Terrarum tot Lutheri ſeguaces, cujus ratio nullum aliud fundamentum habet, quàm mendacia, deceptiones, convitia, contumelias, injurias, & improperia? Illius Lutheri, inquam, qui ſuperbiſſimè ſe exollens ſuprà D. Paulum Vas Electionis, auſus eſt corrigere ejus Epiſtolam, addendo ly *ſolam*, quaſi ſolus Altiſſimus ſic dicendo: *Sic volo; ſic jubeo; ſit pro ratione voluntas?*

In lib., quem Lutherus publicavit *de Vitâ Conjugali*, docet Religioſos utriuſque ſexus (non obſtante ſolemni profeſſione ab ipſis factâ), *teneri ad Conjugium ex cauſâ neceſſitatis*, in cujus hæreticalis doctrinæ confirmationem; in ſermone Witembergæ publicè recitato ſic dixit: *Ut non eſt in meis viribus ſitum, ut Vir non ſim; tàm non eſt mei juris, ut abſque muliere ſim. Rurſum; ut in tuâ manu non eſt, ut fæmina non ſis; ſic nec in te eſt, ut abſque Viro degas: Non enim libera eſt electio, aut conſilium, ſed res naturæ neceſſaria, ut marem fæminæ; fæminam mari ſociari oporteat*. Qualis Lutherus erat, alios temerariè judicabat, eo quia menſurá ſuâ, cæteros alios menſurabat; & ideò tàm impudenter, & ſinè ullâ verecundiâ ſcribebat, & prædicabat: ſed mentitur libidinoſus Lutherus ipſimet Jeſu Chriſto Domino noſtro, nam in *Matt. cap.* 19. ſic dicit: *Et ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum*. Mentitur *Apoſtolo Paulo*, qui, ut ipſe teſtatur in 1. *ad Cor. cap.* 7., ſicuti ſpiritum Dei habebat, ità fideliter dabat hoc conſilium: *Solutus es ab Uxore?* Noli quærere Uxorem... Qui ſinè Uxore eſt, *ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo*: Et mulier inupta, & Virgo *cogitat, quæ Domini ſunt*, ut ſit Sancta corpore, & ſpiritu... *Igitur, & qui Matrimonio jungit Virginem ſuam* benè facit; *& qui non jungit* MELIUS facit... *Puto autem, quod & ego ſpiritum Dei habeam*.

Digitized by Google

H

In tom. 2. Witembergæ edito pag. 281. Lutherus ſic ſcripſit: *Abraham fuit juſtus fide, antequam cognoſceretur à Deo talis: ergò malè concludit Jacobus, quod nunc demùm juſtificatus ſit per iſtam obedientiam: Per opera enim tamquam per fructus cognoſcitur fides, & juſtitia; non autem ſequitur*, ut Jacobus delirat: *ergo fructus juſtificant; ſicuti non ſequitur: ego agnoſco arborem ex fructu: ergo arbor ex fructibus fit bona*. Faceſcant igitur e medio adverſarii cum ſuo Jacobo, *quem nobis toties objiciunt*.

In Act. Apoſt. cap. 1. duo enumerantur Jacobi, & ambo Apoſtoli, quorum unus, qui etiam Frater Domini eſt denominatus, ille eſt, qui poſt acceptum Spiritum Sanctum in die Pentecoſtes, ſcripſit *Epiſtolam Catholicam* (*ut Catholica* enim fuit cognita, & acceptata à Concilio Romano celebrato ſub Gelaſio Papa anno 494., & à Chartaginenſi 3., cui interfuit etiam perſonaliter S. Auguſt., qui & ejus actis, ſe ſubſcripſit propriâ manu) Hic Jacobus autem eſt ille, de quo nequiſſimus Lutherus horrorem non habuit, diabolicâ manu ſcribendi, *quod malè concluſerit; & quod ſcribendo delirabat*. Mirum ergo eſſe non debet, ſi Lutherus etiam de Regibus, immò de Summis Pontificibus, tàm impudenter, & ſcripſerit, & locutus fuerit, ſi tàm temerariè de S. Jacobo Apoſtolo, Fratre Domini typis mandavit: Ex hoc ſolo autem deberent ejus Sectarii, tamquam ab ungue cognoſcere, quàm peſtifera ſit ejus hæreticalis doctrina, fundata ſolùm in falſitatibus, & fallaciis. Dico in *falſitatibus, & fallaciis*, ut etiam evidenter patebit infrà.

Lutherus in unâ propoſitione, quæ eſt *æternæ falſitatis*, tamquam ſi eſſet *æternæ veritatis*, facit illationem, quod Jacobus Apoſt. malè concluſerit: Dico *æternæ falſitatis*; & ſic probo: Eſt de fide Divinâ apud omnes Chriſtianos, non tantùm Catholicos, ſed etiam Schiſmaticos, & Hæreticos, quod Deus fuit ab æterno, & quæcumque alia in tempore: item, quod apud Deum omnia tàm præterita, quàm futura ſunt præſentia: ſed Deus ab æterno omnia novit; & juſtitia Abrahæ fuit in tempore: ergo Abraham nequivit eſſe juſtus, antequam cognoſceretur à Deo talis. Nonnè ergo Lutheri propoſitio, eſt propoſitio *æternæ falſitatis*? Sequitur Lutherus, & ſic dicit: *Per opera enim, tamquam per fructus cognoſcitur fides, & juſtitia; non autem ſequitur, ut Jacobus delirat: ergo fructus juſtificant, ſicuti non ſequitur: ego agnoſco arborem ex fructu: ergo arbor ex fructibus fit bona*. Certiſ-

ſimum

ſimum eſt, quod fides, & juſtitia cognoſcitur per opera fidei, & juſtitiæ tamquam per fructus ipſius fidei, & ipſius juſtitiæ, & conſequenter, quod fructus, ideſt, opera, ſivè bona, ſivè mala in genere moris, faciunt agentem vel bonum, vel malum in genere moris, ſicuti conſtat ex Evangelio pluribi, & præſertim *in Luc. cap. 1.*, ubi ſic: *Et exclamavit* (ideſt Eliſabeth) *dicens: Et undè hoc mihi? . . . Benedicta tu inter mulieres . . . Et Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Qua ratione Beata? Quia credidit. *D. Auguſt. Beatior fuit Maria concipiendo mente, quàm ventre.* Fides ergo, quam SS. Virgo Maria habuit, quod ea, quæ ſibi à Domino dicta fuerunt, perfecta fuiſſent, illam fecerunt Beatam. Non delirabat igitur Jacobus, quando ſcribebat veritatem ſibi à Spiritu Sancto inſpiratam; ſed inſaniebat Lutherus, quando diabolicè veritatem cognitam impugnabat. Si Lutherus, quando talia ſcribebat, non inſaniſſet; ea publicare ſe puduiſſet, de quibus à ſimplici Summuliſtâ legitimè corripi potuiſſet: Ibi enim dicit: *Non autem ſequitur, ut Jacobus delirat: ergo fructus juſtificant, ſicuti non ſequitur: Ego agnoſco arborem ex fructu: ergo arbor ex fructibus fit bona.* A bonâ, & innegabili propoſitione Lutherus deduxiſſet bonam, & innegabilem conſequentiam, ſi non lateret anguis ſub herbâ, ideſt, fallacia, nam facit illationem à bono in *genere moris* ad bonum in *genere entis*; & ab agente *libero* ad agens *naturale*. Certiſſimum enim eſt, quod arbor, quæ eſt agens naturale, non poteſt fieri bona ex fructibus, ſi aliàs eſt mala: ſed æquè certiſſimum eſt, quod Homo, qui eſt agens liberum ex fructibus fieri poteſt bonus; nam ſi per peccatum eſt malus in genere moris, per fructus dignos pænitentiæ poteſt fieri bonus in genere moris: Et id pariter, quod eſt bonum in genere entis, poteſt eſſe malum in genere moris, ut cantus benè conſonans juxtà regulas muſicas, qui in genere entis eſt bonus, licèt in genere moris poſſit eſſe malus, quia vel ſatiricus, vel laſcivus. Faceſcant igitur de medio omnes Hæretici cum ſuis Sacræ Scripturæ Proto-Reformatoribus, quorum falſitatibus, & fallaciis innixi, contrà Catholico-Romanos de verâ Jeſu Chriſti Fide, diſputare prætendunt.

Una ex propoſitionibus *Joannis Hus* à Conc. Conſtant. damnatis, eſt iſta: *Unica eſt Sancta Univerſalis Eccleſia, quæ eſt Prædeſtinatorum Univerſitas; Univerſalis S. Eccleſia eſt tantùm una, ſicut tantùm eſt unus omnium Prædeſtinatorum numerus;*

Lutherus, qui (ut ſuprà viſum eſt) hæreticalem doctrinam Jo. Hus profitebatur, ejuſdemque multas propoſitiones, licèt damnatas, defendebat: Per ly *Unica eſt Sancta Univerſalis Eccleſia, quæ eſt Prædeſtinatorum Univerſitas*; ſicuti excludebat Eccleſiam viſibilem, & manifeſtam, à cujus judicio ipſe cum ſuâ doctrinâ judicari poſſet, & damnari juxtà Jeſu Chriſti præceptum: *Si te non audiverit ... Dic Eccleſiæ; ſi Eccleſiam non audiverit, ſit tibi tamquam Etnicus, & Publicanus*: ità aliam arbitrabatur, & prædicabat; nempè: unam abſconditam inter myſterioſas tenebras imperſcrutabilium decretorum Divinæ Prædeſtinationis, cujus oracula ſinè miraculis ſciri non poſſent, & hoc modo immunem ſe reddere à quôcumque judicio humano, & omnia reducere ad internam Dei inſpirationem, ideſt, (juxtà illius peſſimam intentionem) ad cujuslibet arbitrium, juxtà quod, ipſe auſus eſt etiam ſic temerariè ſcribere in *aſſert. art.* 34. *Qui habet aures audiendi audiat, & à bellò Turcico abſtineat, donec Papæ nomen ſub Cælo valet*: & in lib. contrà Bullam Cænæ Domini ſic: *Quid mali fecit Turca?* Et in aſſert. art. 24. ſic: *Præliari contrà Turcas, eſt repugnare Deo, viſitanti iniquitates noſtras per illos*. Hæc ſcribens; admirans cum D. Bern. in ep. 240. ſic exclamo: *Advocem unius Hæretici ſiluerunt omnes Propheticæ, & Apoſtolicæ linguæ: & proh dolor! Auditur tamen à pluribus, & Populum, qui ſibi credat, habet! Fefellerunt ergo Divina Oracula? Falluntur* omnium oculi, & animi, qui, quod legunt, prædictum intuentur impletum?

Hudalricus Zuvinglius in Helvetiâ natus, Lutheri contemporaneus, & in pluribus Hæreſibus ſocius, & collega, licèt in aliis per diametrum oppoſitus, in ſuis concionibus (*teſte Florimondo Redmundo in l.* 2. *c.* 8.) nitebatur delere Sacerdotium; undè publicè prædicabat, quod hoc nomen ly *Presbyter*, nihil aliud ſignificare vult, niſi ly *Senior*, ex hoc deducens, neceſſarium eſſe, quod quando aliquis infirmatur ad mortem, vocari debeant *Seniores Loci*, & non *Presbyteri*, ut ſuper infirmo orent juxtà Jacobum Apoſt. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent* ſuper eum. Quapropter *Joannes Faber* Hæreticorum maleus in *lib. de Sacrif. Miſſæ, & Sacerd. novæ legis* ſic ſcripſit: *Ad quid Zuvinglius, & alii tentant, ac moliuntur? Nempè ajunt* Seniores in Civitate *advocandos, quaſi quod* Presbyter *non referatur ad* Sacerdotem.

In Libello de Euchariſtiæ ſubſidio, quem Tiguri typis mandavit Zuvinglius anno 1535. ſuaſit Magiſtratum Tigurinum, ut aboleret

leret Miſſam, aſſerendo, quod nocturno tempore ſibi apparuerat quoddam Phantaſma (quod nec ipſe benè deſcribere potuit), quod certum ipſum fecerat, nihil aliud adeſſe in Euchariſtiâ, quàm figuram Corporis Chriſti, ſicuti figura tranſitus Domini, erat commemoratio *Phaſe*, in Exodo deſcriptum. Zuvinglii verba ſunt iſta: Credo, *quod in Sacrâ Euchariſtiâ, hoc eſt, gratiarum actionis cænâ, verum Chriſti Corpus adſit* fidei contemplatione: *hoc eſt, quod illi, qui gratias agunt Domino pro beneficio nobis in Filio ſuo collato, agnoſcunt illum verè carnem aſſumpſiſſe, verè in illâ paſſum eſſe, verè noſtra peccata ſanguine ſuo abluiſſe, & ſic omnem rem per Chriſtum geſtam*; illis fidei contemplatione, velut præſentem fieri; *ſed quod Chriſti Corpus per eſſentiam, & realiter, hoc eſt* Corpus ſuum naturale in Cænâ, aut adſit, aut ore, dentibuſque noſtris manducetur, *quemadmodum Papiſtæ, & quidam alii, qui ad Ollas Ægyptiacas reſpectivè perbibent; id non ſolùm negamus, ſed errorem eſſe, qui verbo Dei adverſatur, conſtanter aſſeveramus*.

Quali, ac quantâ ignorantiæ caligine obtenebrati fuerint, illorum antiquorum Tigurinorum, aliorumque Helvetiorum intellectus, qui credentes Zuvinglio, phantaſmatis ſomniatori, poſt terga abjiecerunt illam ſanctam, & immaculatam fidem, quam cum lacte ſuxerant ab eorum Genitoribus circà realitatem Corporis Chriſti in Sanctiſſimâ Euchariſtiâ, non facilè dixerim, immò neque excogitaverim; undè ſtupens nequeo facere quin ſic exclamem: O inſenſati Zuvingliani! Quis vos faſcinavit credere potiùs deceptori veſtro, phantaſmatis ſomniatori, qui vixit in quinto decimo ſæculo, quàm tot Orthodoxis Patribus primæve Eccleſiæ, qui intrà prima quinque ſæcula vixerunt, & de SS. Euchariſtiâ ſcripſerunt? Nonnè S. Cyprianus, qui vixit in tertio ſæculo in ſermone de Cænâ Domini ſic dixit? *Panis iſte non effigie*, ſed naturâ mutatus, *omnipotentiâ Verbi* factus eſt CARO. Quid evidentiùs? Nonnè S. Ambroſius, qui vixit in quarto ſæculo in lib. 4. de Sacram. ſic ſcripſit? *Sed panis iſte, panis eſt antè verba conſecrationis: ubi acceſſerit conſecratio*, de PANE *fit* CARO CHRISTI: & idem Sanctus in principio Orationis pro Miſsâ, ſic: *Summe Sacerdos, & vere Pontifex Jeſu Chriſte, qui te obtuliſti Deo Patri Hoſtiam puram, & immaculatam in Arâ Crucis pro nobis miſeris peccatoribus, & qui dediſti nobis* CARNEM TUAM *ad manducandum, Et* SANGUINEM TUUM *ad*

bibendum. Quid clariùs, quid evidentiùs? Nonnè veſter Zuvinglius unâ cum cæteris Novatoribus affirmant, quod vera Jeſu Chriſti fides illibata duravit ad minùs per quinque integra ſæcula, & quod Patres illorum temporum verè Orthodoxi erant? Si ergo inter alios (quos brevitatis gratiâ omitto) Sancti Ambroſius, & Cyprianus erant Patres Orthodoxi, & cum tantâ evidentiâ de realitate Corporis Chriſti in SS. Euchariſtiâ ſcripſerunt: Quare illis non creditis? Cur potiùs credere vultis phantaſmatis ſomniatori, quàm illis vetuſtis Patribus, quos vos ipſi confitèmini Orthodoxos? O inſenſati Zuvingliani! Quis vos faſcinavit non obedire veritati? At non ipſamet Veritas, hoc eſt, Jeſus Chriſtus, quando inſtituit hoc Sanctiſſimum Sacramentum ſic dixit: *Accipite, & manducate* HOC EST CORPUS MEUM, *quod pro vobis tradetur*: HIC EST SANGUIS MEUS, *quid pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Peto nunc à vobis, an Corpus Jeſu Chriſti, quod traditum, fuit in Cruce confixum; & Sanguis ejus, qui pro nobis, & pro multis in eâdem Cruce effuſus eſt, erant verum, & reale Corpus Chriſti; verus, & ſubſtantialis ejus ſanguis, vel tantùm eorumdem figura per fidei contemplationem? Si veritati conſulentes reſpondetis, quod in Cruce confixum fuit verum, & reale Corpus Chriſti; & quod verus, & ſubſtantialis ejus ſanguis ibi effuſus fuit. Abjicite ergo (dico ego) opera tenebrarum nocturni ſomnii, & induimi arma illius lucis Evangelicæ, quæ per tot ſæcula induerunt Progenitores veſtri antequam Zuvinglius eſſet in rerum naturâ; nam illud idem numero Corpus Jeſu Chriſti, quod fuit confixum in Cruce; & ille idem ſanguis numericè, qui ibi effuſus eſt, ipſa eadem numericè ſunt, quæ in Cœnâ conſecrata fuerunt ſub ſpeciebus panis, & vini; ut evidentor patet ex hoc, quod quando Jeſus Chriſtus inſtituit hoc Sanctiſſimum Sacramentum non dixit ſolummodo: *Hoc eſt Corpus meum*, ſed addidit: *quod pro vobis tradetur*, ideſt, Hoc Corpus meum, quod do vobis ad manducandum, tradetur ad crucifigendum: neque tantummodo dixit: *Hic eſt Sanguis meus*, ſed addidit: *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: hoc eſt: Hic Sanguis, quem do vobis ad bibendum, effundetur pro vobis, & pro multis &c. Si in ſententiâ Zuvinglii deceptoris veſtri reſpondetis, quod licèt in Cruce eſſet ſubſtantialiter verum, & reale Corpus Chriſti, ex hoc tamen non ſequi, quod eodem modo ſit in SS. Euchariſtiâ: poteſtis etiam dice-

H

dicere, immò pertinaciter aſſerere, quod obſcuriores tenebræ nocturnæ, ſint ſplendiores luce meridianâ, talem adducentes rationem: *Sic volo; ſic jubeo; ſit pro ratione voluntas*, ſicuti etiam non aliam poteſt Zuvinglius adducere rationem ad probandum id, quod ſcripſit; nempè: *Sed quod Chriſti Corpus per eſſentiam, & realiter, ideſt*, Corpus ſuum naturale *in Cænâ aut adſit, aut ore, & dentibus noſtris manducetur, quemadmodum Papiſtæ... Id non ſolùm* negamus, ſed errorem eſſe, qui verbo Dei adverſatur, *conſtanter aſſeveramus*. Adducant Zuvingliani, ſi poſſunt, rationem fundamentalem, quam tradidit Zuvinglius de *negatione*? Allegent Zuvingliani, ſi poſſunt, *errorem*, quem Zuvinglius conſtanter aſſeveravit, eſſe *adverſum Verbo Dei*? Certiſſimè ſi Zuvingliani volunt fideliter perſcrutari quatuor Jeſu Chriſti Evangelia, non ſolùm non invenient quidquam, ex quo educi pòſſit aliquid in eorum favorem, ſed totum in oppoſitum, ut ſuperiùs probavi, in cujus confirmationem S. Epiphanius Primævæ Eccleſiæ Orthodoxus Pater *in ſept. Syn. act. 6.* ſic ſcripſit: *Nunquam invenies, neque Dominum, neque Apoſtolos, neque Patres, incruentum illud Sacrificium, quod à Sacerdote offertur* Imaginem *dixiſſe, ſed* ipſum Sanguinem: Et de facto in quatuor Evangeliis, nihil aliud reperitur (præter verba Conſecrationis) niſi id, quod legitur in Joanne cap. 6. *Caro mea verè eſt cibus*, & Sanguis meus, *verè eſt potus* —— *Panis, quem ego dabo*, Caro mea eſt *pro Mundi vitâ* —— *Niſi manducaveritis* Carnem Filii Hominis, *& biberitis* ejus Sanguinem, *non habebitis vitam in vobis*. Et in epiſt. 1. ad Cor. cap. 10. Apoſt. ſic ſcripſit: *Calix benedictionis, cui benediximus, nonnè communicatio* Sanguinis Chriſti *eſt? Et panis, quem frangimus, nonnè participatio* Corporis Chriſti *eſt?* Et ex vetuſtæ Eccleſiæ Orthodoxis Patribus, præter ſuperiùs allatos, S. Jo: Damaſcenus in lib. 4. cap. 14. de fide, ſic ſcripſit: *Dominus dixit: Hoc eſt* non Corporis ſignum, *ſed* Corpus; non Sanguinis ſignum, *ſed* Sanguis. Et D. Auguſt. conc. 1. in Pſal. 33. in verba illa: *Ferebatur in manibus ſuis*, ſic dixit: *Quomodo hoc intelligatur* in Davide *ſecundùm litteram non invenimus*; in Chriſto *autem invenimus: Ferebatur enim* Chriſtus in manibus ſuis, *quando commendans* ipſum Corpus ſuum, *ait*: Hoc eſt Corpus meum; *ferebatur enim* illud Corpus *in manibus ſuis*.

Concludendum ergo eſt, quod Zuvinglius ad probandum, quod Phantaſma ſomniatum fuerit veriùs, quàm Evangelium, non aliam addu-

adducere potuit rationem, quàm ſuam peſſimam voluntatem. Advertite tamen Zuvingliani, quod negando in SS. Euchariſtiâ realitatem Corporis Chriſti, non tantùm remanetis aſſeclæ Hereſiarchæ Zuvinglii, ſed effecimini etiam diſcipuli proditoris Judæ Iſcariotis, qui (ut teſtatur *S. Auguſ. in tract. in Joannem cap. 6.*) fuit primus, qui impugnavit realitatem Corporis Chriſti in Euchariſtiâ.

Cardinalis Stanislaus Hoſius in *Judicio, & Cenſurâ de adorandâ Trinitate* narrat, quod Zuvinglius ſic exclamare ſolebat: *Novum Evangelium ſitit Sanguinem*. Verè novum iſtud Evangelium, quia ex diametro Jeſu Chriſto Evangelio oppoſitum; in iſto enim toties repetuntur illa Jeſu Chriſti dulciſſima verba: *Pax vobis*. Certè novum iſtud diabolici Evangeliſtæ Evangelium, quia Jeſu Chriſti præcepto contrarium: *Mandatum novum do vobis, ut quemadmodum ego dilexi vos; ità & vos diligatis ad invicem*. Quid pax cum bello! Quid dilectio cum ſanguinis effuſione! Verè novum Zuvinglii Evangelium, quia verè Sathanicum. Ex hoc novo Evangelio debuit Zuvinglius educere fundamentum pro *negatione &c.*, *& aſſecuratione &c.*, ut ſuprà dictum eſt.

Inter alias Zuvinglii hæreſes, una eſt; (quæ etiam modernis Iconoclauſtis communis eſt) nempè: *Impugnatio venerationis Imaginum Sanctorum*: Et tamen ipſemet Zuvinglius, adeò iratus fuit, quia in publico Lucernæ Foro, combuſta fuit ejus Imago, ut nullum lapidem in Tigurinâ Urbe movere non omiſerit pro captandâ vindictâ, certò ſibi perſuadens Lutheranorum Deos, non permiſſuros, vt hæc tàm atrox injuria, inulta remaneret: De quâ inſaniâ admirans *Joannes Faber*, qui hoc narrat in *diſput. cum Balthaſſar cap. 9.* ſic dicit: *Qui propriæ Imaginis, enixè dùm quærit ultionem; Crucifixi imaginem non modo ſtercore circumliniri, ſed Turcico more, perfodi; truncari; VVlcanoque tandem offerri præcipit*.

Joannes Calvinus Novioduni in Galliâ natus eſt. De hoc nefandiſſimo Hæreſiarcâ Spondanus anno 1534. num. XI. ità ſcripſit: *Quod verò traditur vulgò, eum* (intellige Calvinum) *in turpe ſodomiæ crimen incidiſſe, ac proptereà in vitæ diſcrimen, niſi pœnæ moderationem, Epiſcopus impetraſſet, lilii candentis ad humerorum inuſtionem, & exilium*. Papirius Maſſonus Calvini vitæ Scriptor, hoc factum abſcondit ſub ſilentii tegumento; ſolamque exilii cauſam, hæreſim fuiſſe, narrat. Verùm, quod celavit *Maſſonus*,

ſonus, publicavit *Hieronymus Bolſecus*, qui in vitæ geſtis Calvini, damnationis illius inſtrumentum Novioduni adhuc aſſervari, ſcribit, ubi à *Genevenſis Reipublicæ Secretario Berthelerio*, illuc miſſo, ut rei veritatem inquireret, viſum fuit.

Quot, & quales fuerint nequiſſimi Calvini, ejuſque deteſtabilis Sectæ errores; vix aliquis crederé poſſet, niſi *Franciſcus Frauferdenſis Franciſcanus, Pariſienſis Doctor* aſſereret, quod ſunt mille quatuorcentum, de quibus *Florimundus Redmundus*, diſtinctam facit mentionem, inter quos, unus (qui etiam Chriſtianis auribus horrorem ingerit) eſt, quod Chriſtus damnatorum pænas paſſus fuerit, quando devictâ morte, Triumphator ad liberandas animas, in Limbo detentas, deſcendit, ſic ille perfidiſſimus Hæreſiarca *in lib. 2. Inſtit. cap. 16.* Et in eôdem *lib. cap. 4. §. 5.* dicit, quod Homo in peccando, *inſtrumentaliter* tantùm ſe agit, & per conſequens, quod *Deus eſt cauſa principalis peccati*, licèt aliàs in *inſtruct. adverſus Libertinos, lib. de æternâ Dei Prædeſt. versùs finem*, more ſolito Hæreſiarcarum, ſibi ipſi contradicat — Circà *Prædeſtinationem*; innovavit Calvinus in *lib. 3. Inſtit. c. 23., & 24.* —— *& in lib. 2. cap. 8.* jam retrò toties damnatas hæreſes; juxtà quas, non ſolùm auſertur meritum ab illis, qui benè agunt; & pæna ab illis, qui malè operantur; & conſequenter liberum arbitrium in Homine ad benè, vel malè operandum, ſed etiam juſtitia ab ipſomet Deo: ſed pleniſſimo gutture ſimul cum Calvino mentiuntur illi omnes, qui talem hæreticalem doctrinam tenuerunt, & docuerunt; tenent, & docent, ut evidenter conſtat ex Sacrâ Scripturâ in Veteri, & Novo Teſtamento, nam in *Ezechiele cap. 18.* ſic legitur: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* In Matt. cap. 18. ſic eſt ſcriptum: *Non eſt voluntas, antè Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt, ut pereat unus de Puſillis iſtis.* In Epiſt. 2. S. Petri Cœlorum Clavigeri, & in Terris, Chriſti Vicarii, cap. 3. ſic eſt impreſſum: *Deus patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pænitentiam reverti.* Quid clariùs, & evidentiùs ad Hæreſiarchæ Calvini, cæterorumque Hæreticorum confuſionem, eorumque deteſtabilis doctrinæ damnationem.

Circà *Juſtificationem*: fuit Calvinus Lutheri diſcipulus; illam *ſoli fidei* attribuendo, ut ſcripſit in *lib. 3. Inſtit. cap. 11. §. 2.*, licèt aliàs in *Antid. Conc. Trid. ad ſeſſ. 6. cap. 11.* dixerit, numquam ſolam eſſe *ſolam fidem*, ſicuti expreſſit his verbis: *Hoc ſemper teſta-*

teſtatum lectoribus eſſe volo: Quoties in hac quæſt. nominamus ſolam fidem; *non mortuam à nobis fingi, & quæ per charitatem operatur; ſed ipſam ſtatui* unicam Juſtificationis cauſam: *Fides ergò ſola eſt, quæ juſtificat: Fides autem, quæ juſtificat* non eſt ſola: *Et in eodem lib. cap. 2. §. 16. & ſeq.* concludit, quod *Juſtificatio* conſiſtit in hoc; nempè: quod per fidem Homo juſtificatur, quando *firmiter credit*, ſe eſſe juſtificatum. Calvini verba ſunt iſta: *Fidem juſtificantem* hanc certitudinem, & ſecuritatem involvere, *neminem eſſe juſtificatum, niſi qui ſe juſtificatum crediderit.* Differentia ergo, quæ circà *Juſtificationem* verſatur inter Calvinum, & Lutherum, hæc ſola eſt, quod iſte ponit Juſtificationem *in ſolâ fide*; & etiam ille *in ſolâ fide*, ſed cum *firmâ credentiâ* Juſtificationis. Sed ambo iſti Hæreſiarchæ mentiuntur, nam Jeſus Chriſtus Salvator, & unicus Magiſter noſter; à quodam interrogatus circà *Juſtificationem*, ſic dicendo: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* ideſt: Quid facere debeo, ut juſtificari poſſim? Non reſpondit Jeſus: *Crede*, vel *firmiter crede*, & juſtificaberis, ideſt, vitam æternam poſſidebis, ſed ſic reſpondit: *Serva mandata*: Quapropter Sanctus Athanaſius primævæ Eccleſiæ Orthodoxus Pater, ſic concludit ſuum Symbolum: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.* Nemo ampliùs miretur, ſi iſti Hæreſiarchæ tot ſequaces habuerunt; nam viam latam, & ſpacioſam, quæ ducit ad perditionem; illam eſſe, quæ ducit ad æternam Beatitudinem, prædicaverunt in publico, & docuerunt in ſecreto. Quid enim faciliùs excogitari poſſet pro æternâ Beatitudine conſequendâ, quàm firmiter credere ſe eſſe juſtificatum? Ideò Lutherus ſic dicere ſolebat: *Sola fides ſalvat; ſola incredulitas damnat: Ceterùm: quod lubet, facite.* Non ſic tamen Jeſus Chriſtus unicus Magiſter noſter; ſed contrarium docuit, & ſic ſe expreſſit; *Contendite intrare per anguſtam portam, quia via lata, & ſpacioſa eſt, quæ ducit ad perditionem.* In cujus confirmationem; Diſcipulis euntibus in Emaus ſic dixit: *Nonnè oportuit Chriſtum pati, & itâ intrare in gloriam ſuam?* Non dixit Jeſus: Nonnè oportuit Chriſtum *firmiter credere*, & ità &c., ſed dixit: *pati*. Paſſio ſpectat ad *opus*, & non ad *credentiam*.

Circà *Purgatorium in lib. 3. Inſtit. cap. 5. §. 6. tali modo blaſphemat: Purgatorium eſt exitiale Sathanæ commentum, quod Chriſti fidem evacuat; quod contumeliam Dei miſericordiæ non ferren-*

ferendam, *irrogat*; *quod fidem noſtram labefacit*, *& avertit* —— Circà adorationem, invocationem, & interceſſionem Sanctorum, temerariè dicit, quod Papiſtæ *per cultum Sanctorum*; *Chriſtum inhonorant*; *Mediatoris titulo ſpoliant*; *gloriam nativitatis ejus obſcurant*; *Crucemque evacuant* —— Circà Sanctiſſimam Euchariſtiam, in *lib. de Cœnâ Domini*, ſic ſcripſit: *Si quæratur*, *an nihilominùs Panis ſit Corpus Chriſti*, *& Vinum Sanguis ejus? Reſpondebimus* Panem, & Vinum eſſe ſigna viſibilia, quæ Corpus, & Sanguinem nobis repreſentant: *Corporis verò*, *& Sanguinis nomen eis attributum*, quod ſunt veluti inſtrumenta, *quibus Dominus Jeſus Chriſtus, nobis ea diſtribuit ... Itaque facilè concedimus* Corporis Chriſti nomen, ad panem transferri, *quod ejus Sacramentum*, *& figura ſit*. Pro hujus hæreſis confutatione, & Evangelicæ ſimul veritatis dilucidatione; remitto benevolum lectorem ad ſuperiùs dicta contrà Zuvinglium, & ad id, quod dico ſub verbo: *Euchariſtia*: ſicuti etiam circà *Purgatorium*; *adorationem*, *& invocationem* Sanctorum, ad ea, quæ dico ſub verbis: *Purgatorium &c. Adoratio &c.*

In lib. 2. Inſtit. cap. 4. § 5., & in Antid. Conc. Trid. Can. 18. ſeſſ. 6. non ſe puduit Calvinus aſſerere, *Legem Dei*, *quæ bona opera præcipit*, *impoſſibilem eſſe*. Sed ille mille millies deteſtandus Hæreſiarca; tali apertiſſimo mendacio, mentitur non Hominibus, *ſed ipſimet Deo*, *qui in Deutoronom. cap.* 10. ſic dicit: *Mandatum hoc*, *quod ego præcipio tibi*, *non eſt ſuprà te*. Mentitur ipſimet Jeſu Chriſto, qui in *Matt. cap.* 11. ſic ait: *Jugum meum ſuave eſt*; *& onus meum leve*. Mentitur Apoſt. Joanni, qui in ſuâ primâ Epiſt. ſic ſcripſit: *Mandata ejus* (ideſt Dei) *gravia non ſunt*. Mentitur D. Auguſt., qui in ſermone 61. de tempore ſic exclamat: *Nec Deus* impoſſibile aliquid potuit imperare, *quia juſtus eſt*; *nec damnaturus eſt Hominem* pro eo, quod non potuit vitare, *quia Pius eſt*. Et in lib. de nat., & grat. cap. 63. ſic dicit: *Quis peccat in eo*, quod nullo modo vitari poteſt? *Peccatur autem*! Ergo caveri poteſt.

Hæc brevitatis gratiâ ſufficiant ad hoc, ut prudens, & diſcretus lector; tamquam ab ungue agnoſcere poſſit, quales homines fuerint moderni Hæreſiarchæ; & quales fuerunt enſes, ideſt, mendacia, fallaciæ, & fraudes, quibus inconſutilem Jeſu Chriſti veſtem, (hoc eſt, Sanctam, & Apoſtolicam Catholico-Romanam Eccleſiam) in tot partes ſcinderunt: quapropter ſic ſubdere con-

grum, & bonum arbitror: Forſitan Lutherus meliùs credidit, & ſapientior fuit, quàm magnus S. Gregorius Papa? Zuvinglius, quàm S. Ambroſius? Calvinus, quam S. Auguſtinus? Moderni Hæretici, quàm S. Hieronymus cum cæteris aliis vetuſtæ Eccleſiæ Orthodoxis Patribus? Forſitan prædicti Hæreſiarchæ habuerunt majorem illuminationem, quàm novemdecim Æcumenica Concilia Generalia? Quàm duo centum quinquaginta Papæ? At non S. Cyprianus in lib. 1. Epiſt. 33. ab Africâ hoc ſcriptum ad nos miſit: *Ad Romanam Eccleſiam, Hæreticorum perfidia acceſſum habere non poteſt*. At non S. Gregorius Nazianzenus in carmine de vitâ ſuâ, ſic clamavit? *Vetus Roma habet rectam fidem, & ſemper retinet*. Nonnè in medio Europæ ſic concionatus eſt S. Ambroſius in ſermone de obitu S. Satyri: *Ille cum epiſtolis catholicis convenit, qui cum Romanâ Eccleſiâ convenit*. Nonnè ex Aſiâ S. Hieronymus in lib. 3. Apol. adversùs Ruff. ſic clamavit? *Romana Sedes Apoſtolica voce laudata, præſtigias Hæreticorum non recipit: Pauli authoritate munita non poteſt mutari*. At non ipſemet Calvinus, etiam nolens, in lib. 4. Inſtit. cap. 6. prædicta confirmavit ſic ſcribendo? *Doctrina ſemel tradita; Eccleſia Romana fuit ſemper omnibus aliis tenacior*. Et qualis doctrina ſemel tradita, niſi Apoſtolica? Nonnè idem fecit Lutherus (ut teſtatur Sanderus de viſibili Monarchiâ lib. 1.) ſic typis mandando: *Non video, quomodo ſint excuſati à Schiſmatis reatu, qui voluntatem Dei contravenientes*, ſe ſe à Romani Pontificis authoritate *ſubtrahunt*. Quid clariùs, & evidentiùs in confirmationem illius Sanctæ fidei, quam ſemper tenuit, aſſeruit, & docuit, ſicut & de præſenti tenet, aſſerit, & docet S. Catholico-Romana Eccleſia Mater, & Magiſtra omnium aliarum Eccleſiarum, & per authoritatem Sacræ Scripturæ, & per teſtimonium Sanctorum Orthodoxorum Patrum, & per confeſſionem eorundem Hæreſiarcarum? Concludam ergo cum verbis, quæ Patres Orientales ſcripſerunt ad Stephanum Sextum Romanum Pontificem: *Catholica Dei, Apoſtolicaque Eccleſia, ſemper de ſuis Oppugnatoribus triumphavit*.

Alex. VII. Propoſ. damn. 3. in ordine: Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & non derrogare facultati Trid., in quâ de occultis criminibus eſt ſermo; anno 1627. 18. Julii in Sac. Congr. Emi. Dominorum Cardinalium viſa, & tollerata eſt; & Propoſ. 4. 4 *Præ-*

4 *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occultâ, & ab excommunicatione propter ipſam incursâ; & Propoſ.* 5.

5 *Quamvis evidenter tibi conſtet Titium eſſe Hæreticum, denunciare non teneris, ſi probare non poſſis.*

Hyperdulia *eſt honor, & ſervitus debita SS. Dei Genitrici ſemper Virgini Mariæ.*

Homicidium, ut prohibitum in Decalogo, *eſt injuſta hominis occiſio*: ità in re communiter: duplex eſt; nempè: *in ſe*, & *in ſuâ causâ*: Homicidium *in ſe* ſex modis fieri poteſt; nempè: *facto*; *præcepto*; *auxilio*; *conſilio*; *defenſione*; *permiſſione*: Homicidium *in ſuâ causâ* dupliciter evenire poteſt: 1. ex causâ, ex quâ *ſemper*, vel ut *plurimum* ſequitur effectus, ut mors ex potatione veneni; ebrietas ex nimio vini potu, & hujuſmodi; 2. ex causâ, ex quâ *rarò* ſequitur effectus, ut occiſio hominis, ſi ſclopus crepit, dùm accenditur pulvis bellicus, ut occidat leporem.

Conſortes in peccato Homicidii ſunt novem; nempè: 1. *Præcipiens*; 2. *conſulens*; 3. *juvans* ad factum; 4. jam factum ſuo nomine, *ratum habens*; aut ut fiat, *approbans*; 5. jam factum; vel ut fiat, *laudans*; 6. *Non præmonens* occidendum, ne occidatur, cum debeat, & commodè poſſit; 7. *Deffendens* homicidam, vel ei deffenſionem *promittens*; 8. *Non prohibens* homicidium, cum debeat, & commodè poſſit; 9. *Non manifeſtans* veritatem innocentis, ne condamnetur ad mortem, cum debeat, & commodè poſſit.

Quod dicitur de Homicidio *exteriori*; idem dicendum eſt cum *D. Thom.* 2. 2. *q.* 158. *a.* 3. *ad* 2. de quôcumque *interno*; & quod dicitur de *Homicidio* idem dic. eſt (ſervatâ debitâ proportione) de *injuriis*; *contumeliis*; *irriſionibus*; *convitiis* ex appetitu vindictæ, contrà proximum, prolatis.

Occidere ſe *immediatè* ex *intentione* abſque Divinâ authoritate, eſt peccatum mortale: idem dic. de *mutilatione*, licèt circà iſtam tria excuſent: 1. conſervatio vitæ; 2. evitatio mortis injuſtæ; 3. evitatio majoris mali.

Occidere ſe *mediatè*, ideſt, adhibere, vel aggredi ea, ex quibus mors certò, vel probabiliter ſequi debet; eſt peccatum mortale, ſed quinque excuſant: juſtitia; obligatio; pietas; inadvertentia; probabilitas contraria.

Occidere ſe *permiſſivè*; eſt peccatum mortale; quinque tamen

 excu-

excuſant: confeſſio, vel defenſio fidei catholicæ; juſtitia; bonum publicum; bonum ſpirituale proximi; liberatio amici, niſi liberator ſit Perſona publica Reipublicæ neceſſaria.

Mortem *ſibi optare* ad ſubterfugiendas multiplices hujus ſæculi miſerias; non eſt peccatum mortale, dummodo aliàs ſit cum debitâ reſſignatione in Divinâ voluntate: eſt peccatum mortale ſi cum plenâ deliberatione optetur ex impatientiâ, vel deſperatione.

Homicidium *alterius* ex intentione eſt peccatum mortale, niſi unum ex tribus ſequentibus excuſet; nempè: *juſtitia*; *neceſſitas*; *inconſideratio*: Ad hoc ut *juſtitia* excuſet; quatuor conditiones concurrere debent; nempè: *publica authoritas*; *juſta cauſa*; *juſtus juris ordo*; *animus rectus*: defficiente quâcumque; eſt peccatum mortale; In tribus caſibus *neceſſitas* excuſat: 1. in defenſionem *vitæ propriæ*, vel *proximi* ex inevitabili neceſſitate; 2. in defenſionem *rei propriæ*, quæ ſit in quantitate gravi, & aliàs ſinè occiſione, defendi, aut recuperari nequeat; 3. in defenſionem *caſtitatis*, vel *alterius veræ virtutis* ex inevitabili neceſſitate: idem dic. de *honore*, dummodo non adverſetur ſenſui prop. damn. ab Innoc. XI., quæ eſt 30. in ordine, & infrà ponetur: Pro *inconſideratione* intelligitur non ſolùm actus *primò* primus, ſed etiam ſecundò primus.

Ad hoc ut Homicidium alterius ſit *caſus reſervatus*, duo copulativè requiruntur: 1. quod ſit *injuſtum*; 2. quod ſit voluntarium *in ſe*, vel in *ſuâ causâ*, ex quâ *ſemper*, vel ut *plurimum* ſequitur effectus: idem dic. eſt de *mandantibus*.

Adv. eſt, quod *Homicidium* generatim ſumptum, aliud eſt *ſimplex*, & aliud *qualificatum*, cujus generis, ideſt, *qualificatum* eſt: occiſio Parentum; abortus fœtus animati à parentibus procuratus; homicidium proditorium; aſſaſſinium; cum ſevitie, & hujuſmodi; quod cum ſpecialem includat malitiam, quæ non reperitur in homicidio *ſimplici*; ideò tales circumſtantiæ, ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione.

Alex. 7. Prop. damnata 17. in ordine: Eſt licitum Religioſo, vel Clerico occidere Calumniatorem . . . &c. & Prop. 18.

18 Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, & etiam Judicem, à quo certò imminet iniqua ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens evitare damnum; & Propoſ. 19.

19 Non peccat maritus, occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.

Innoc.

H

Innoc. XI. *Propoſ. damn.* 30. *in ordine* : *Fas eſt Viro honorato occidere invaſorem , qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari non poteſt : idem quoque dicendum , ſi quis impingat alapham , vel fuſte percutiat* ; *&* poſt *impactam alapham , vel ictum fuſtis*, fugiat ; *& Prop.* 31.

31 *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei ; & Propoſ.* 32.

32 *Non ſolùm licitum eſt , defendere defenſione occiſivâ , quæ actu poſſidemus , ſed etiam ea , ad quæ habemus jus incboatum, vel quæ nos poſſeſſures ſperamus* .

Honeſtas , ut impedimentum dirimens matrimonii , *eſt propinquitas quarumdam perſonarum, reſultans ex Sponſalibus , vel Matrimonio rato , non conſumato* : ſi oritur ex *ſponſalibus* ; extenditur ad ſolum primum gradum utriuſque lineæ , ut habetur ex *Trid. ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 4. ; ſi oritur ex *matrimonio* ; uſque ad quartum gradum utriuſque lineæ incluſivè , etiamſi matrimonium ſit nullum , dummodo tamen non ſit nullum ex defectu conſenſus : hoc impedimentum eſt perpetuum ; undè non extinguitur morte illius perſonæ , quâ mediâ fuit contractum .

Horarum Canonicarum nomine; intelliguntur *illæ preces vocales , quæ ex præcepto Sacrorum Canonum , ab Eccleſiaſticis perſonis , nomine Eccleſiæ , Deo perſolvuntur.*

Obligatio recitandi Horas Canonicas (quæ aliàs cadit ſub mortali) non eſt de Jure Divino , ſed de Jure Eccleſiaſtico inducta , ut benè probat *Sannig. diſt.* 2. *de Horis Canonicis n.* 3., & communiter contrà *Abbatem c.* 1. *de celebr. Miſſarum.*

Ad recitationem Horarum Canonicarum , tenentur omnes Clerici, in Sacris Ordinibus conſtituti ; & tenentur incipiendo ab illâ parte diei , in quâ Subdiaconatus Ordinem ſuſceperunt ; nec ab hac obligatione eximuntur , etiam ſi ſint degradati, ut eſt communis DD. , & hoc ne ex delictis ſuis reportent commodum : addit tamen *Bonac. to.* 2. *diſp.* 1. *de Horis Canonicis q.* 2. *pun.* 3. *n.* 3. , quod Clericus degradatus,vel excommunicatus, non debet dicere : *Dominus vobiſcum*, ſed *Domine exaudi orationem meam* : tenentur etiam *Clerici beneficiarii* , licèt habeant ſolùm Ordines minores : idem dic. de *Clericis Regularibus* , non *ex vi profeſſionis* , ut dicit *Reginal. lib.* 18. *cap.* XI. *num.* 137., ſed *ex vi generalis conſuetudinis* , quæ in Religionibus Choro addictis , cum tantâ obligatione acceptata eſt: ità communiter DD. contrà paucos, quos

citat ,

citat, & confutat *Layman*: excipiuntur *Fratres Minores*, qui tenentur *ex vi profeſſionis* vigore Regulæ, quam profeſſi ſunt.

Ex Beneficiariis excipiuntur illi, qui habent quædam Beneficia, quibus ex ſpeciali ſuâ inſtitutione, ſolummodo eſt annexa obligatio recitandi Officium parvum B. V. M., vel quid aliud ſimile: excipiuntur etiam illi, qui titulum quidem Beneficii habent, ſed ſinè fructibus Beneficii.

Prædicti, qui Horas Canonicas recitare tenentur, eo quia, poſſident Beneficia Eccleſiaſtica, tenentur ſolùm Jure Eccleſiaſtico, ut cum pluribus aliis tenent *Sylv.* ℣. *Hora qu.* 8. *d.* 9., & Azor *lib.* 10. *c.* 4. *q.* 13.

Beneficiarius, qui non eſt in Sacris conſtitutus, non tenetur recitare Officium antè diem poſſeſſionis pacificæ Beneficii: ſi eſt in Sacris, & poſt ſex menſes à die poſſeſſionis pacificæ, non recitat Horas Canonicas, duo peccata mortalia committit; unum contrà obligationem, quam habet, & alterum contrà juſtitiam, & conſequenter tenetur ad reſtitutionem ad ratam Officii omiſſi; nempè: pro toto officio unius diei, omnes fructus illius diei; pro ſolo Matutino, mediam partem; & idem dic. de reliquis Horis; & pro unâ Horâ ſolùm, ſextam partem: ità communiter DD.

Reſtitutio fieri debet, vel fabricæ Beneficii, vel pauperibus, vel ad meliorandam Domum, & Prædia Beneficii, quia hæc etiam veniunt ſub nomine fabricæ Beneficii.

Si Beneficium eſt adeò tenue, ut non reddat tertiam partem pro mediocri, & honeſtâ ſuſtentatione Beneficiarii; licèt ſecundùm communem DD. teneatur ad reſtitutionem ex juſtitiâ, ſicuti etiam præſupponi debet ex mente S. Pii V., qui nullam facit diſtinctionem inter Beneficia pinguia, & tenuia circà obligationem reſtitutionis ob omiſſionem Horarum Canonicarum; *Tamb.* tamen, & *Dia.* probabile eſſe exiſtimant, ſufficere, quod ex gratitudine, oret pro Benefactore.

Sanctus Pius V. per Bullam, quæ incipit: *Quod à nobis &c.* ab iis, qui utuntur Breviario Romano, à ſe tradito, abſtullit obligationem recitandi etiam in Choro Pſalmos Pænitentiales, & Graduales.

Advenæ, & itinerantes, poſſunt, ſi volunt, in Officio extrà Chorum, ſe conformare Officio loci, ut cum aliis tenet *Tamb. to.* 1. *de Hor. Can. c.* 5. §. 2. *n.* 38.

Pars notabilis, cujus omiſſio ſit peccatum mortale ſecundùm com-

communiorem DD. eſt *integra Hora*, vel *æquivalens*, quod etiam intelligendum eſt de omiſſione alicujus partis in ſingulis Horis, ità quod ſimul ſumptæ, integrent notabilem quantitatem.

Officium Divinum recitari debet *attentè*, *clarè*, & *devotè*: duplex poſteà eſt attentio: *interna*, ſcilicet, & *externa*: prima, ideſt, *interna* conſiſtit in advertentiâ ad id, quod recitatur; *externa* conſiſtit in excluſione cujuſcumque *actionis externæ*, incompoſſibilis cum advertentiâ ad id, quod recitatur; puta, *pingere*, *ſcribere*, & hujuſmodi; & hæc ſecundùm recenſiores ſufficit, dummodo à principio recitationis, intentio recitantis ſit ad Deum colendum, vel Deo vacandum.

Alex. VII. Propo. dam. 34. in ordine: In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit Præcepto; & Propo. 35.

35 Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto; ſcilicet, pro præſenti, & craſtino; & Propoſ. 20.

20 Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conſcientiâ antè declaratoriam Judicis ſententiam, eo quod ſit pœna; & Propo. 33.

33 Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum, ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſinas, quas anteà Beneficiarius fecerit de fructibus ſui Beneficii; & Propoſ. 21.

21 Habens Capellaniam collativam, ſeù quodcumque aliud Beneficium Eccleſiaſticum; ſi vacet ſtudio litterarum, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi per alium recitet Officium.

Innoc. XI. Propoſ. dam. 54. in ordine: Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes; poteſt autem recitare reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

I

Jactantia eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ ſuprà id, quod eſt in ſe, vel in aliorum æſtimatione, verbis inordinatè facta.

Jactantia licèt ex genere ſuo ſit peccatum veniale, in quinque tamen caſibus, eſt lethaliter peccaminoſa: 1. quando eſt de peccato mortali, ſivè vero, ſivè falſo; 2. quando eſt cum injuriâ Dei, ut fuit jactantia Regis Tyri, cujus cor elevatum eſt, & dixit: *Ego ſum Deus*; 3. quando eſt cum notabili injuriâ proximi; 4. quando ex jactantiâ ſequitur notabile damnum proximo; 5. quando

ſo finis jactantiæ habet pro objecto aliquid, quod ſit lethaliter peccaminoſum.

Malitia jactantiæ conſiſtit in illâ irreverentiâ, quæ fit Deo dùm ſumitur ejus offenſa in materiam propriæ laudis; quæ irreverentia eſt ejuſdem ſpeciei, ſivè materia jactantiæ ſit vera, ſivè ſit falſa.

Idololatria, ut ſpecies ſuperſtitionis, *eſt exhibitio cultus Divini ergà falſum Deum*: ità in re communiter: duplex eſt; nempè: *exterior tantùm*; & *interior*, atque *exterior ſimul*: Prima, ideſt, exterior tantùm eſt illa, quæ non fit voluntariè, ſed fit ex vi, & metu, & iſta licèt ſit lethaliter peccaminoſa contrà primum præceptum Decalogi, non eſt tamen in foro conſcientiæ ſubjecta alicui cenſuræ: ſecunda, ideſt, interior, & exterior ſimul, eſt illa, quæ fit ex credentiâ, quod Idolum ſit verus Deus; & iſta, ſi eſt cum errore in intellectu cum pertinaciâ, eſt conjuncta cum hæreſi, & conſequenter ſubjecta excommunicationi in Bullâ Cœnæ Domini.

Jejunium *eſt abſtinentia ab his, quæ guſtu percipiuntur*: ità in re communiter: duplex eſt; nempè: *Naturale*, & *Eccleſiaſticum*: in jejunio naturali in ordine ad ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, non datur parvitas materiæ: verùm, ut tale jejunium frangatur tres conditiones concurrere debent: 1. quod id, quod deglutitur ſit *cibus humanus*; undè ſi, v. g. pulvis, lapillus, & hujuſmodi deglutirentur, non frangerent jejunium naturale in ordine ad ſumendam SS. Euchariſtiam; 2. quod talis cibus humanus, veniat *ab extrinſeco*; undè ſi, v. g. aliqua particula cibi, quæ ſerò antè, remanſit inter dentes, inadvertenter deglutiretur, non frangeret hoc jejunium; 3. quod deglutiatur per *actionem*, quæ ſit *manducatio*, vel *potatio*; undè ſi, v. g., quando quis lavat faciem, aliqua aquæ gutta fugeret in ſtomacum præter intentionem ſe lavantis; non ideò frangeret hoc jejunium, quia talis ſumptio, non fuit facta per *actionem*, quæ dici poteſt ly *potatio*.

Ad jejunium Eccleſiaſticum ſervandum tria requiruntur: 1. abſtinentia à cibis, ab Eccleſiâ prohibitis: 2. abſtinentia à pluribus refectionibus; 3. certa refectionis hora, ſed hæc non eſt de eſſentiâ unii.

Obligatio jejunii Eccleſiaſtici incipit à vigeſimo primo anno excluſivè, & deſinit in *maſculis* in ſexageſimo incluſivè, & in *fæminis* in quinquageſimo incluſivè.

Qua-

I

Quatuor excuſant ab obligatione jejunii; nempè: *infirmitas*; *paupertas*; *labor*; *pietas*; ſub cujus nomine, ideſt, *pietatis*, veniunt: opera miſericordiæ, tàm corporalia, quàm ſpiritualia; & ſub nomine *paupertatis*, veniunt illi omnes, qui ex cauſâ inopiæ, ſatisfacere nequeunt corporis neceſſitatibus in unâ refectione; & ſub nomine *laboris*, veniunt illi omnes operarii, & artifices, quorum labor ab experientiâ, eſt incompatibilis cum jejunio.

Infirmitas quadruplex eſt; nempè: *languoris*; *complexionis*; *ætatis*; *conditionis*: nomine *languoris*, præter notos infirmos; intelliguntur etiam illi omnes, qui jejunando ſentiunt gravem incommoditatem; puta, fluxiones, emicraniam, deliquia, impotentiam dormiendi, ſe calefaciendi, & hujuſmodi. Nomine *complexionis* intelliguntur illi, qui habent tàm debilem complexionem, ut ex ipsâ experientiâ, impotentes, agnoſcuntur ad jejunandum, niſi cum magnâ incommoditate. Nomine *ætatis* intelliguntur illi, de quibus dixi in §. *Obligatio &c.*. *Conditionis* nomine intelliguntur præſertim mulieres prægnantes, lactantes; nuptæ, quæ licèt neque lactantes, neque prægnantes, ex cauſâ jejunii evadunt macilentæ, & ſic à Marito deſpiciuntur; mulieres prægnantes habentes appetitum cujuſcumque cibi prohibiti; non peccant, ſi illum comedunt; Viri conjugati, qui ex cauſâ jejunii impotentes redduntur ad moderatam debiti redditionem, non tenentur jejunare; & denique illi omnes, qui ex cauſâ eorum officii, aut exercitii, facere nequeunt prandium continuatum, vel aliis prandium præparare debent, & hujuſmodi; ſunt excuſati à jejunio.

Diſpenſatus circà *eſum carnium* ex quâcumque cauſâ, cenſetur etiam diſpenſatus à jejunio juxtà plurium DD. opinionem, inter quos *Tol.*, *Dia.*, *Tamb.*, *Azo. Filli.*, & plures alii, & præſertim *Maſtrius diſp. 12. Theol. Moral. nu.6.*, & ratio eſt, quia cum abſtinentia ab eſu carnium, ſit de eſſentiâ jejunii Eccleſiaſtici, conſequenter, qui eſt diſpenſatus ad comedendas carnes; eo ipſo intelligi debet diſpenſatus à jejunio.

Exceſſus duarum ontiarum ad ſummum frangit jejunium, quando extrà prandium, & collationem comeditur, quod intelligi debet, licèt quid modicum non continuatè, ſed temporis intervallo comedatur; & ſi talis comeſtio eſt ciborum prohibitorum, toties peccatur, quoties comeditur: ſecùs dic. ſi cibi non ſunt prohibiti, & diſparitas eſt, quia præceptum non comedendi cibos prohibitos eſt *negativum*, quod obligat ſemper, & ad ſemper; præceptum

verò ſervandi jejunium eſt *affirmativum*, quod licèt obliget ſemper, non obligat tamen pro ſemper.

Dummodò non excedatur in quantitate; ſumi poteſt in collatione quodcumque pulmentum etiam calidum, modò ex quadrageſimalibus ſit compoſitum, ut communiter tenent Theologi: prævenire tempus prandii, quod eſt meridies, ad duas, & etiam plures horas; non eſt niſi veniale, ſecluſo tamen ſcandalo, vel contemptu; & ratio eſt, quia tempus, non eſt de eſſentiâ jejunii.

Quantitas cibi, qui ſumi poteſt pro collatione ſinè tranſgreſſione jejunii; non tàm facilè aſſignari poteſt, quia diverſi diverſa dicunt, & unuſquiſque abundat in ſenſu ſuo: illos prætereo, qui aſſignant numerum ontiarum cibi, qui licitè comedi poteſt pro collatione, quia, v.g. octo ontiæ cibi pro Petro ſufficient pro competenti cœnâ juxtà ejus complexionem; & pro Paulo vix ſufficient pro collatione, ſpectatâ ejus complexione. *Bonac.* citans *Toletum*, & alios dicit, quod regula quantitatis pro collatione, deſumenda eſt ex conſuetudine receptâ in ſingulis Regionibus; & ratio eſt, quia reficiuncula iſta per conſuetudinem fuit introducta, & conſequenter ad conſuetudinem ſtandum eſſe; & hæc opinio, tali fulcita fundamento, videtur ſatis probabilis, & eſt in uſu in partibus Septemtrionalibus. *Reginal. lib.* 4. *num.* 185., poſt eum *Layman l.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 9. dicunt, quod ordinariè loquendo (& niſi aliqua juſta cauſa excuſet; puta, laboris compatibilis tamen cum jejunio, vel alicujus levis indiſpoſitionis, aut ſtudii, & hujuſmodi) non ſit notabiliter excedenda quarta pars illius cibi, qui jejunanti, ſpectatâ ſuâ complexione, ſufficeret pro ordinariâ competenti cœnâ; & hæc opinio mihi multùm quadrat præſertim pro Italiâ.

Tranſgreſſio jejunii in die, in quâ ſit duplex præceptum jejunandi; putà, Quadrageſimæ, & quatuor Temporum, eſt unum tantùm peccatum; & ratio eſt, quia tale duplex præceptum provenit ex unico motivo tantùm: ſecùs dic. eſt, ſi illud duplex præceptum provenit ex duplici motivo; puta, voti, & Quadrageſimæ, quia tunc duplex peccatum; unum contrà Religionem ratione voti, & alterum contrà præceptum Eccleſiaſticum.

Qui frangit jejunium, bonâ fide putans, ſe habere juſtam cauſam non jejunandi, non peccat, licèt re ipsâ, cauſa non ſit ſufficiens, & juſta, ut cum aliis tenent *Reginal. lib.* 4. *num.* 222., & *Bonac. pu. ult. n.* 20. (hæc opinio tamen, mihi videtur indigere diſtin-

ctionis

ctionis inter timoratos, & libertinos) ſecùs dic. eſt de illo, qui dubitat, an habeat juſtam cauſam nec ne; & ratio eſt, quia in dubio æquali judicandum eſt pro poſſidente, ſed poſſeſſio ſtat pro lege jejunii: ergo &c.

Si quis cænando feriâ quintâ dubitaret, an eſſet media nox; permanente tali dubietate, comedere poſſet carnes; & ratio eſt, quia *libertas* ſtat in poſſeſſione: ſecùs dicendum, ſi eſſet Sabbatum; & ratio eſt, quia *præceptum* ſtat in poſſeſſione. Quæ ſumuntur per modum medicinæ, non frangunt jejunium: ità communiter DD.

Quod Cocholata non frangat jejunium: eſt penè communis DD. ſententia, quod tamen intelligendum eſt, quando ſumitur per modum potus, quia ſi ſumitur per modum cibi, dentibus maſticando: ſecundùm *Leandrum de præcept. Eccleſ. tract. 5. diſp. 5.*, Dianam *p. x1. tr. 6. reſp. 53.*, & plures alios, frangit jejunium.

Quæritur 1. an qui tranſit de uno loco, ubi eſt præceptum jejunii, ad alium, ubi non eſt tale præceptum ex ſolâ intentione, & causâ non jejunandi, peccet mortaliter ſi non jejunet? Reſp. *negativè*, ſecluſo tamen ſcandalo, vel contemptu: ità *Bonac. diſp. 1. de leg. q. 1. pu. 6. n. 64.*, ubi etiam pro hac ſententiâ citat alios DD., & talis uſus viget in Confinibus Romanorum, & Ambroſianorum in tribus diebus Rogationum.

Quæritur 2. an cauſæ, quæ excuſant à jejunio debito de præcepto Eccleſiaſtico, excuſent etiam à jejunio debito ex voto? Reſp. *affirmativè* cum *Sanchez lib. 4. Decal. c. 11. n. 54.*, & Bonac. cit. *pu. ult. nu. 4.*; & ratio eſt, quia votum eſt una lex privata, quam ſibi quiſque ſpontè, & voluntariè imponit; & conſequenter, ſi non conſtat de aliâ voventis intentione; interpretanda eſt juxtà diſpoſitionem aliarum legum circà eandem materiam, ac proindè eædem cauſæ utrobique excuſare debent.

Quæritur 3. an Senes, qui compleverunt ſexageſimum ætatis annum: ſi ſunt robuſti cum forti complexione, teneantur ad jejunium? Reſp. *negativè*: 1. quia ipſamet Eccleſia, quæ præcipiendo jejunium, indulget ætati, nullam prorſus facit diſtinctionem de debilibus, & fortibus complexionibus, ſed abſolutè indulget ætati; & conſequenter dic. eſt, quod non teneantur, quia ubi lex non diſtinguit, nec alicui licitum eſt diſtinguere; & ſi diſtinguere licitum eſſet; favorabilis opinio eligenda eſſet, cum pænalia juxtà communem Theologorum, & Juriſprudentum ſententiam ſint ſemper ſtrictè interpretanda, & numquam amplianda: 2. quia ex

oppoſito, nullus daretur finis ad ſcrupulos, ex dubiis procedentes, niſi aſſignaretur unum indiviſibile, vel quaſi indiviſibile roboris virium, & fortitudinis complexionis, per quæ prædicti Senes jejunare tenerentur, quod humanitùs impoſſibile eſſet, & conſequenter ad tollendos penè infinitos ſcrupulos, qui illaqueare poſſent conſcientias, concludendum eſt pro parte negativâ.

Legitima Superioris diſpenſatio excuſat à jejunio, ut eſt communis DD. ſententia: tunc poſteà dicitur *legitima*, quando adeſt cauſa rationabilis, licèt cum *aliquâ dubietate*. Quando neceſſitas eſt evidens, ſivè pro non ſervando jejunio, ſivè pro eſu carnium; tunc non eſt neceſſaria diſpenſatio.

S. Epiphanius *hæreſ.* 26. narrat, quod nefandiſſimi Gnoſtici deteſtabantur *jejunium*, quatenùs impeditivum nutritionis neceſſariæ ad omnes immunditias exequendas: & S. Hieronymus in *lib.* 1., & 2. *contrà Jovinianum*, illum appellat Chriſtianorum Epicurum, quia aſſerebat jejunium, & crapulam eſſe ejuſdem meriti. Sanctus denique Auguſtinus *hæreſ.* 53. ſic ſcripſit: *Aeriani ab Aerio quôdam ſunt, qui in Arianorum hæreſim lapſus, propria quoque dogmata, fertur addidiſſe nonnulla dicens* ...., nec ſtatuta ſolemniter obſervanda eſſe jejunia, *ſed cum quiſque voluerit, ne videatur eſſe ſub lege*.

Hæretici moderni prædictorum, à primitivâ Eccleſiâ, execratorum, veſtigia ſequentes; jejunium Quadrageſimale, & quatuor Temporum, tyrannidem Eccleſiæ Romanæ appellant; immò inter alios, *Hottingerus* (ut refert P. Ruſca in Eccleſ. Judic. pag. 192.) jejunium Quadrageſimale non erubuit irridere tamquam ſomniatum meritum; immò etiam ſuperſtitionem appellare.

Si jejunium Quadrageſimale eſt ſuperſtitio: ergo ſuperſtitioſi fuerunt non ſolùm Moyſes, & Elias Prophetæ, ſed etiam ipſemet Jeſus Chriſtus. Verè S. Hieronymus à Deo peculiariter fuit inſpiratus, quando ſcribens in Iſajam, ſic dixit: *Nullus eſt impius, quem Hæreticus, impietate non vincat*.

Jejunium Eccleſiaſticum ab ipſomet Domino fuit prædictum, quando dixit: *Venient dies* (Matt. cap. 9.) *cum auferretur ab eis Sponſus, & tunc jejunabunt*: hæc prædictio Apoſtolis facta, & per eos Eccleſiæ; in iiſdem Apoſtolis fuit verificata, qui inſtituerunt jejunium Quadrageſimale, & Quatuor Temporum, ab Eccleſiâ ſervandum, ut clarè patet ex *lib.* 5. *Conſtitutionum Apoſtolicarum cap.* 12., ubi ſic eſt ſcriptum: *Poſt dies Epiphaniarum, ſer-*

Digitized by Google

I

ſervandum nobis eſt jejunium *Quadrageſimale; quod vitæ Chriſti, & legis latæ, recordationem continet:* Et ex *Can.* 68. à S. Clemente Apoſtolorum Diſcipulo, ubi ſic ex ſcriptum: *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor;* S. Paſchæ Quadrageſimam non jejunat, *præterquam ſi propter corporis imbecillitatem impediatur; deponatur: ſi Laicus eſt; ſegregetur*. Sanctus quoque Ignatius Martyr, qui vixit Apoſtolorum tempore, & fuit tertius poſt S. Petrum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus; de quadrageſimali jejunio, ab Apoſtolis inſtituto, clarum dat teſtimonium in Epiſt. ad Philip., in quâ ſic ſcripſit: *Quadrageſimale* jej*unium ne ſpernatis; continet enim exemplum Dominicæ converſationis:* Niſi enim Quadrageſimale jejunium, ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſet, taliter non ſcripſiſſet. S. Hieronym. in lib. 2. adversùs Jovinianum cap. XI. ſic ſcripſit: *Ipſe Dominus quadraginta diebus, Chriſtianorum* jejunium *ſanctificavit;* & in Epiſt. 54. ſic: *Nos unam Quadrageſimam ſecundùm* Apoſtolicam traditionem *jejunamus*: & S. Auguſt. in quæſt. ſuper Geneſ. lib. 1. cap. 160. ſic: *Non fruſtrà quadraginta dies* jejuniorum *ſunt conſtituti, quibus Moyſes, & Elias, & ipſe Dominus jejunavit;* & in ſermone 62. de tempore ſic: *In Quadrageſimâ non jejunare; peccatum eſt.* S. Hieron. enim teſtari auſus non fuiſſet, quod jejunium Quadrageſimale, à Fidelibus ideò cuſtodiebatur, quia de eo exiſtebat *Apoſtolica Traditio*, ſi de tali Apoſtolicâ Traditione, perfectam cognitionem non habuiſſet; neque S. Auguſtinus poſteris teſtatus eſſet, quod obligatio jejunii in Quadrageſimâ cadebat ſub pænâ peccati, niſi perfectè ſciviſſet, quod tale præceptum factum fuiſſet ab Apoſtolis, maximè cum S. Xiſtus, qui creatus fuit Papa anno 132. confirmaverit Decretum *de jejunio Quadrageſimali, ab Apoſtolis inſtituto.*

De Jejunio Quatuor Temporum: S. Caliſtus, qui creatus fuit Papa anno 221. ordinavit, ut juxtà *Antiquam Traditionem* ſervaretur jejunium Quatuor Temporum anni: ſi enim juxtà *Antiquam Traditionem*; ergo *Apoſtolicam*; non enim aliter explicari poteſt, cum ab Apoſtolis ad Caliſtum non intermedient duo ſæcula. Sanctus poſteà Urbanus, qui in Pontificatu ſucceſſit immediatè Caliſto, confirmavit Decretum, à Caliſto factum de Quatuor Temporum anni jejunio, ut refert *Gratianus diſt.* 72., & ſtatuit tempus, quo tale jejunium fieri deberet; nempè: primum; *initio Quadrageſimæ*: ſecundùm; *Hebdomada Pentecoſtes*: tertium; in *Septembri*: quartum in *Decembri*.

Ex

Ex prædictis ergo clarè conſtat, quod Jejunium Quadrageſimale, & Quatuor Temporum, inſtitutum fuit ab Apoſtolis, & non à S. Teleſphoro, qui creatus fuit Papa anno 142., ut dicunt *Lutherani Magdeburgenſis in Cent. 2. cap.* 10., & multò minùs, quod ſit tyrannica inventio Romanæ Eccleſiæ. Si verò Hæretici reſpondeant, quod jejunia, quæ infrà annum fiunt in aliquibus Sanctorum Vigiliis; neque ab Apoſtolis, neque ab aliquo Romano Pontifice intrà prima ſex ſæcula,inſtituta fuerunt, & conſequenter, quod hujuſmodi jejunia ſunt tyrannica inventio Romanæ Eccleſiæ? Reſp., quod ſicuti Apoſtoli præcipere potuerunt jejunium Quadrageſimale, & Quatuor Temporum; immò etiam abſtinentiam ab immolatis Idolis; & à ſanguine, & ſuffocato; eâdem authoritate legitimi eorum ſucceſſores præcipere potuerunt, & poſſunt jejunium certis diebus ſervandum,cum nulla aſſignari poſſit diſparitas inter Apoſtolos, & legitimos eorum ſucceſſores quo ad poteſtatem ferendi leges, tendentes ad Dei gloriam; Sanctorum honorem; animarumque profectum ſpiritualem; & conſequenter concludendum, quod jejunium Eccleſiaſticum, ſit ſanctis legibus ſancitum, & non tyrannica inventio Romanæ Eccleſiæ.

Hottingerus poſteà, ut ſuperiùs dixi, irridet jejunium, ut ſomniatum meritum; ſed ſic eum interrogo, ſicut & quemcumque alium baptizatum, qui non ſit Romano-Catholicus: Quando in dominiis Hæreticorum; Principes,vel Magiſtratus in eorum publicis neceſſitatibus indicunt jejunium certis diebus ſervandum: vel credunt jejunium eſſe opus meritorium, vel non: ſi negativè reſpondent: Ad quid perditio hæc (ſic illis dico) vexandi Subditos ſinè fructu, neque ſpirituali, neque temporali? Si affirmativè reſpondent: ergo mentita eſt iniquitas ſibi ipſi.

Hoc tamen addo, quod ſicuti jejunium eſt actio indifferens, ità poteſt eſſe & bonum, & malum; meritorium, & demeritorium; undè juxtà cauſam finalem jejunii, ipſum quoque jejunium eſt meritorium, vel demeritorium; virtuoſum, vel vitioſum: ſi cauſa finalis eſt obedientia Eccleſiæ; jejunans actum obedientiæ exercet, & conſequenter meritum obedientiæ acquirit: ſi cauſa finalis eſt aliorum deceptio; jejunans, actum hypocriſis exercet, & conſequenter demeritum hypocriſis obtinet, ut patet ex *Matt. cap.* 6., ubi eſt ſcriptum, quod Jeſus Chriſtus ſic dixit: ***Cum autem jejunatis, nolite fieri ſicuti hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, ut pareant hominibus*** jejunantes; ***amen dico vobis receperunt***

ceperunt mercedem ſuam. Quam mercedem? hypocritatum mercedem juxtà intentionem ex hypocriſi jejunantium, quæ multiplex eſſe poteſt: *Tu autem cum jejunas; unge caput tuum; & faciem tuam lava, ne videaris hominibus* jejunans; *& Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*. Quid reddet? Mercedem juxtà intentionem jejunantis: ſi ut ſervet votum factum jejunandi; ſicuti votum Deo factum, eſt actus Religionis, ità ſic jejunans, mercedem exercentibus actum Religionis debitam, à Deo recipiet: Si ob peccata commiſſa; mercedem pænitentibus debitam, reddet illi Deus, & hujuſmodi.

Quàm meritorium poſteà ſit jejunium, ex bonâ intentione factum; patet ex pluribus textibus Sacræ Scripturæ: Ninivitæ jejunio, flagellum Dei evaſerunt (Jonas cap. 3.) Dæmones ab obſeſſis corporibus fugantur (Marc. cap. 9.) Anna Samuelem Prophetam concipit, & parit (1. Reg.) Sara à Dæmonis vexatione curatur (Tob. cap. 3., & cap. XI. ſic) Bona eſt oratio cum *jejunio*; & ipſemet Deus ſic dixit: *Convertimini ad me in* jejunio, *ac fletu* (Joel cap. 2.) & S. Leo Papa in Serm. 2. de jejunio ſic dicit: *Quid efficaciùs poteſt eſſe* jejunio? *cujus obſervantiâ appropinquamus Deo; & reſiſtentes Diabulo, vitia blanda ſuperamus*. S. Baſilius quoque in Hom. 1. de jejunio ſic ſcripſit: *Moyſen* per jejunium, *novimus in Montem aſcendiſſe: neque enim aliter auſus eſſet verticem fumantem adire, atque in caliginem ingredi, niſi* jejunio *munitus* ... Jejunium, *Eliam magnæ viſionis ſpectatorem fecit*: *quadraginta namque dierum* jejunio, *cum animam purgaſſet, in ſpeluncâ meruit, quantùm fas eſt homini, Deum videre*.

Hæreticorum proprietas eſt, quod licèt rationum vi, ſint ſemper convicti; numquam tamen victos ſe eſſe demonſtrant. Ad tegendam ergo propriam pervicaciam, ſe jactant habere defenſorem propriæ perverſitatis non ſolùm Apoſtolum, ſed ipſum met Jeſum Chriſtum dicentem in *Matt. cap.* 15. *Sinè causâ colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*; ex hoc inferentes, quod ſicuti Jeſus Chriſtus in *cit. Matt.* declaravit, quod id, *quod intrat in os, non coinquinat hominem*, ità doctrina, & mandatum de jejunio ſit contrà explicitam doctrinam Jeſu Chriſti, & conſequenter, quod jejunium non ſolùm ſit ſomniatum meritum, ſed etiam vera ſuperſtitio inventa à Romanâ Eccleſiâ: ſed quàm frivola, vana, & inſuſiſtens ſit hæc Hæreticorum ratio; ex hoc evidenter

denter, cuique patere debet, quod etiam Eccleſia Romano-Catholica ſemper tenuerit, & docuerit, ſicut & de præſenti tenet, & docet, quod id, quod intrat in os, non coinquinat hominem, *dummodo tamen non ſit vetitum*, ut patet de pomo, quod intravit in os Adæ: Adam enim non fuit coinquinatus à pomo, quod intravit in os ejus; ſed quia tale pomum, erat illi à Deo prohibitum; ideò quia prohibitum, illum coinquinavit, & ſic legitur in *Gen. c. 3. Quia audiſti vocem Uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo* præceperam tibi, *ne comederes &c.* Cum ergo non eſca, ut eſca, quæ intrat in os, coinquinet hominem, ſed quia prohibita, illum coinquinat; indè ſequitur, quod declaratio à Jeſu Chriſto facta, non ſit contrà Eccleſiam Romanam, ſed in ejus defenſionem: Quod poſteà Apoſtoli, eorumque legitimi ſucceſſores habuerint, ſicut & de præſenti habent legitimam poteſtatem condendi leges Eccleſiaſticas; Hæretici negare non poſſunt, cum in *Act. Apoſt. cap.* 15. ſit ſcriptum, quod Fidelibus prohibuerint, ne ederent de *immolatis Idolis*, & ut ſe abſtinerent à *ſanguine, & ſuffocato*; & etiam cum ipſimet Hæretici ſervent legem Eccleſiaſticam, celebrando Sacrum Paſcha die Dominico, ſicuti fuit ſtatutum à Pio Primo Romano Pontifice, & poſteà confirmatum à Victore Primo, & tandem à Conc. Gen. I. Nicæno, & hoc, ne Chriſtiani Judæos imitari viderentur.

Cum in Epiſt. 1. ad Cor. c. 10. Apoſtolus dicat, quod *omne, quod in macello venit, manducari poſſit; nihil interrogando propter conſcientiam*; ideò Hæretici, ſe jactant habere Apoſtolum defenſorem eorum falſæ doctrinæ; ſed Apoſtolus illis verbis non defendit, ſed damnat Hæreticorum pravitatem. Quid enim ſignificant Apoſtoli verba in Apoſtolico ſenſu accepta? Nil aliud certè, niſi, quod carnes, in macello venales, aut indiſcriminatim appoſitas, cuique licitum eſſet comedere, nihil interrogando propter conſcientiam; at ſi erant prohibitæ; nulli licitum eſſet eas manducare; ideòque ibidem ſubdit, quod de carnibus, quæ priùs erant Idolis immolatæ; nulli licitum eſſet de eis manducare, eo quia ab Apoſtolis, ut dixi ſuprà, fuerant prohibitæ. Non ergo Apoſtolus defenſor, ſed interemptor hæreticæ pravitatis exiſtit, cum talibus verbis declaret, quod cuiquam licitum ſit edere carnes non prohibitas, ſicuti ſemper docuit, & docet Sancta Romana Eccleſia.

Urgent Hæretici adducendo eundem Apoſtolum, qui in *Epiſt. ad Coloſſ. cap.* 2. ſic ſcripſit: *Nemo vos judicet in cibo, & potu,*

ex

ex hoc inferre conantes, nullum cibum eſſe vetitum, cum nemo judicare poſſit aliquem alterum, ut legis tranſgreſſorem, ſi comedit quemcumque cibum, vel ſumit quemcumque hauſtum. Ad hanc objectionem reſp., quod Apoſtolus ibi loquitur de cibis, & potibus, in lege cerimoniali prohibitis, ut clarè conſtat, ex his quæ in citato textu ſequuntur; nempè: *aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ ſunt* umbra futurorum. Calidè Hæretici mutilant textum, ad finem decipiendi, nam ex totò textu non mutilato, clarè conſtat, quod ibi Apoſtolus loquebatur de cibo, & potu à lege cerimoniali vetitis, quæ jam abolita erat per legem gratiæ, & conſequenter non ampliùs obligabat: erat enim lex cerimonialis in veteri Teſtamento *umbra futurorum*, ut ibi ſubjungit Apoſtolus, quæ ceſſavit per adventum veritatis in Chriſto; & conſequenter, cum talis lex cerimonialis, jam fuiſſet abolita per legem gratiæ; Apoſtolus ſic dixit: *Nemo vos judicet in cibu, & potu*, tamquam tranſgreſſores legis cerimonialis, quæ ſicuti erat umbra futurorum, non ampliùs obligat, cum jam ſit abolita per adventum veritatis in Chriſto Jeſu. Apoſtolus ergo non pro Hæreticis, ſed contrà Hæreticos utrobique pugnat, & conſequenter concludendum eſt, quod jejunium ab Eccleſia inſtitutum, & rectâ intentione obſervatum, verè ſit meritorium, & tantummodo ſomniatum meritorium illis, quorum Deus venter eſt.

Alex. VII. Propoſ. dam. 23. in ordine: Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, & inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto; & Propoſ. 29.

29 *Omnes Officiales, qui pro Republicâ corporaliter laborant ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio; & Propo. 30.*

30 *In die jejunii, qui ſæpiùs modicum quid comedit, non frangit jejunium, licèt notabilem quantitatem in fine comedat; & Propoſ. 31.*

31 *Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt æquitando, utcumque iter agant, etiam ſi iter non ſit neceſſarium, & licèt iter unius diei conficiant; & Propoſ. 32.*

32 *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima, obliget.*

Occaſione prædictæ Propoſ. dam. Quæri poteſt: an Fratres Mi-

 nores,

nores, in quorum Regulâ *à Feſto Omnium Sanctorum excluſivè, uſque ad Nativitatem Domini excluſivè*, præcipitur jejunium ſub pænâ peccati mortalis, edere poſſint *ova*, & *lacticinia*? Cauſa hujus dubii conſiſtit in hoc, quod ſicuti Seraphicus Legiſlator ſolummodo dicit ly *Jejunent*; jejunumque in aliquibus Regionibus, ſervari poſſit etiam comedendo ova, & lacticinia; ideò quæritur, an tempore *Adventus* Fratres Minores, *licitè* comedere poſſint *ova*, & *lacticinia* in illis Regionibus, in quibus alii à Fratribus Minoribus, licitè comedere poſſunt ova, & lacticinia in jejuniis extrà Quadrageſimam? Reſp. *negativè*, in illis tamen Provinciis, in quibus *viget conſuetudo abſtinentiæ ab ovis, & lacticiniis tempore Adventus*, licèt apud alios vigeat conſuetudo in contrarium, ideſt, quod extrà Quadrageſimam apud ipſos jejunium ſervari poſſit cum eſu ovorum, & lacticiniorum: immò licèt etiam apud ipſos Fratres Minores, vigeret conſuetudo edendi ova, & lacticinia in ſextâ feriâ, in quâ die adeſt præceptum in Regulâ eorundem Fratrum Minorum, jejunandi ſicuti in Adventu: nullà autem potior, & efficacior ratio pro probatione afferri poteſt, niſi ſupradicta propoſitio damnata, ex quâ evidentiſſimè colligitur, quod conſuetudo habet vim legis, & conſequenter obligandi: ſecùs dic. in illis Provinciis, in quibus viget conſuetudo in contrarium, legitimè præſcripta.

Ad hoc poſteà, ut conſuetudo dici poſſit *legitimè præſcripta*, & conſequenter habeat vim legis, tres requiruntur conditiones, ut dixi ſub verbo ly *Conditio*, quorum una ſola deſiciente dici non poteſt, quod ſit legitimè præſcripta: 1. quod ſit rationabilis; 2. quod ſit de conſenſu Superioris legitimè præſcripta, ideſt, ſaltem ad decennium; 3. quod ejus actus ſint voluntarii, frequentes, publici, notorii, & à majori, & ſaniori parte Communitatis facti.

Ignorantia quotuplex ſit: vide ſub verbo ly *Excommunicatio*, §. *Ignorantia*.

Impietas *eſt, quâ Deum, & Sanctos inhonoramus*; ſicque opera injurioſa in Deum facere; Reliquias Sanctorum ſpernere; Imagines Sanctorum conculcare ad impietatis ſpeciem pertinent; & ſi fiunt cum errore in intellectu cum pertinaciâ, eſt cum hæreſi conjuncta.

Impedimentum *dirimens* matrimonium, eſt indiſpoſitio contrahentium, reddens matrimonium illicitum, & invalidum: Impedimentum

Digitized by Google

dimentum *impediens*, eſt indiſpoſitio contrahentium, reddens matrimonium illicitum, licèt aliàs ſit validum: De impedimentis dirimentibus, & impedientibus &c. vide ſub verbo ly *Matrimonium*.

Impotentia, ut impedimentum dirimens matrimonii, *eſt deffectus facultatis ad copulam carnalem, requiſitam ad generationem*: quintuplex dari poteſt impotentia: 1. quando Vir non poteſt penetrare vas, licèt ſemen prolificum emittere poſſit; 2. quando poteſt penetrare vas, ſed non emittere ſemen prolificum; 3. quando non poteſt intrà vas ſeminare, licèt poſſit & penetrare vas, & ſemen prolificum emittere; 4. quando non poteſt ſemen prolificum emittere propter aliquod accidens; 5. quando ex prædictis non poteſt conſumare matrimonium, & caret ſemine prolifico; & hæc eſt illa *impotentia*, quæ ſi præceſſit matrimonium, & eſt perpetua, ità quod nullâ arte humanâ auferri poſſit ſinè probabili vitæ periculo, vel gravis, & perpetui morbi, dirimit matrimonium jure naturæ.

Impubes, ſeù Pubes, eſt puer maſculus, qui nondùm explevit quartum decimum annum, & fæmina duodecimum. Si impuberes contrahunt; invalidè contrahunt, ut conſtat ex *cap. Puberes*; *& cap. ult. de deſponſa. Impub.*, & *cap. Atteſtati*, ubi Impuberes contrahentes, jubentur ſeparari: attamen ſi in eis malitia ſupplet ætatem, ità quod ſint benè doli capaces, & ſimul habent potentiam naturalem pro matrimonio conſumando, validè contrahunt.

Impuberum vota, ſivè realia, ſivè perſonalia, ſivè mixta, irritari poſſunt à Parentibus, Tutoribus, Curatoribus, & à quôcumque alio, quorum poteſtati ſubſunt: ità communiter DD. cum *D. Tho. 2. 2. q. 88. a. 9.*

Impudicitia juxtà *D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 1. ad quintum*, vocatur illa, quæ verſatur circà oſcula, tactus, alioſque actus, qui circumſtant actum venereum: Si prædicti actus fiunt ad indè captandam *delectationem carnalem* inter non conjugatos, ſunt lethaliter peccaminoſi, ut eſt communis DD. conſenſus; & eo ipſo, quo fiunt, dicuntur: *Pollutio aliqua inchoata*: ſi fiunt ex causâ amicitiæ, vel ex joco, vel ex quâdam animi levitate, ſunt tantùm venialiter peccaminoſi; & ſi fiunt ex aliquâ juſtâ causâ, v. g. medendi, nullum committitur peccatum, ſecluſo tamen quôcumque pravo affectu voluntario.

I

Inceſtus *eſt copula illicita cum perſonâ conſanguineâ, ſeù affine uſque ad quartum gradum incluſivè*: Ad hoc, ut Inceſtus ſit *caſus reſervatus*, tres conditiones concurrere debent (niſi à reſervante aliud exprimatur in reſervatione) 1. quod copula ſit perfecta, ideſt, cum ſeminatione intrà vas naturale fæminæ; 2. Conſanguinitas, ſeù Affinitas; 3. malitia mortalis, ideſt, quod perſona inceſtuoſa ſciat, quod altera, cum quâ habet copulam, ſit ſua affinis, vel conſanguinea.

Affinitas, quæ oritur ex copulâ *licitâ*, dirimit matrimonium uſque ad *quartum* gradum incluſivè: ex copulâ *illicitâ* uſque ad *ſecundum* incluſivè: ità *Trid. ſeſſ. 4. de ref. Matrim. cap. 4.* Copula autem *illicita* dicitur, quando quis habet rem cum conſanguineâ illius, cum quâ fornicatus eſt, vel è contrà.

Malitia inceſtus conſiſtit in illâ irreverentiâ, quæ fit ſanguini, & naturæ, quæ dictat reverentiam præſtandam propinquis, inter quos, ideò matrimonia ſunt prohibita; & propter eandem rationem, eſt probabilis opinio, quod etiam ſodomia inter conſanguineos, ſit circumſtantia mutans ſpeciem, & conſequenter neceſſariò exprimenda in Confeſſione.

Quæritur, an inceſtus inter diverſos conſanguinitatis, vel affinitatis gradus, ſit circumſtantia neceſſariò exprimenda in Confeſſione? Reſp. eſſe controverſum apud DD., licèt aliàs *negativa opinio*, quam tenent Thomiſtæ, ſit communior, & probabilior, excepto tamen primo gradu, etiam lineæ collateralis; & ratio eſt, quia habet orrorem, adeò ſpecialiter naturæ adverſantem, ut nullus Papâ in hoc gradu legatur diſpenſaſſe.

Indulgentia *eſt relaxatio pœnæ temporalis, debitæ pro peccatis actualibus, jam dimiſſis quoad culpam, conceſſa Homini exiſtenti in gratiâ, à Prælato per applicationem Theſauri Eccleſiæ*: ità in re communiter. Quid ſit Theſaurus Eccleſiæ, & in quo conſiſtat? vide *Theſaurus*.

Eſt de fide, dari in Eccleſiâ poteſtatem, à Chriſto Domino datam Divo Petro Apoſtolorum Principi, ejuſque legitimis Succeſſoribus, concedendi Indulgentias, & per earum conceſſionem, diſpenſandi Theſaurum Eccleſiæ: ità *Trid. ſeſſ. 25. in Decreto de Indulgentiis*.

Ad hoc, ut Indulgentiæ ſint ratæ, & validæ; quatuor conditiones requiruntur: 1. legitima poteſtas concedentis; 2. juſta cauſa, illas concedendi; 3. ſtatus gratiæ ex parte recipientis; 4. executio operis injuncti.

In-

I

Indulgentia dividitur in *plenariam*, & *non plenariam*: Prima, ideſt, *plenaria*, eſt quæ remittit totam pænam poſt remiſſam culpam, virtute Sacramenti Pænitentiæ: *non plenaria* eſt, quæ remittit pænam ſolùm in parte: Hic adv. eſt, quod, quando dicitur, v. g. Indulgentia centum dierum; non ſic intelligendum eſt, quod remittatur tota pæna centum dierum Purgatorii; ſed ſic intelligi debet, quod per talis Indulgentiæ acquiſitionem tanta pæna remittitur, quanta remitteretur virtute illius pænitentiæ, quæ ſecundùm formam Juris, & Eccleſiæ conſuetudinem, olim ſtatuebatur, ſi ipſa tot diebus, vel annis in hoc Mundo perageretur.

Indulgentia poſteà ratione *ſubjecti*, cui conceditur, dividitur in *Perſonalem*; *Localem*; *Realem*: prima, ideſt, *Perſonalis* eſt, quæ immediatè, & directè conceditur alicui perſonæ determinatæ; vel toti alicui Religioni; vel Communitati: *Localis* eſt, quæ alicui Eccleſiæ, vel Pio Loco conceditur, in ordine tamen ad Perſonas, in tali loco orantes, aut alia præſcripta opera, ibi peragentes: *Realis* eſt, quæ conceditur rebus mobilibus; puta, Numiſmatibus, Imaginibus, Roſariis, & hujuſmodi in ordine tamen ad Perſonas, penès ſe talia defferentes, & opera præſcripta peragentes.

Summus Pontifex habet plenariam poteſtatem, ſibi à Chriſto datam, concedendi quaſcumque Indulgentias, ſivè plenarias, ſivè non plenarias; ſivè generales, ſivè particulares; ſivè pro vivis, ſivè pro Defunctis, quorum Animæ ſunt in Purgatorio, ſed pro iſtis ſolùm *per modum ſuffragii*.

Quod Animæ in Purgatorio exiſtentes ſint Indulgentiarum capaces; nullum inter Catholicos, poteſt eſſe dubium ex eo, quia Summi Pontifices, pluries concedunt Indulgentias, etiam pro Defunctis applicandas *per modum ſuffragii*. Quomodo poſteà intelligendum ſit, illud ly *per modum ſuffragii*? Breviter reſp juxtà communem DD., quod, ſcilicet, Animæ in Purgatorio exiſtentes, licèt ſint capaces Indulgentiarum, non ſunt tamen illarum capaces *per modum abſolutionis*, ſicuti Fideles viventes, ſed *per modum ſuffragii*, habentes ſimul annexam ſolutionem ex communi Eccleſiæ Theſauro; quatenùs, ſcilicet, offeruntur Deo Patri infinita Chriſti merita, Sanctorumque ſatisfactiones per modum condigni pretii pro liberatione Fidelium Animarum de pænis Purgatorii, additis precibus, ut eadem pro harum liberatione miſericordiſſimè, acceptare dignetur.

I

Quærítur, an adulti vivi, nondùm baptizati Baptiſmo *fluminis*, licèt baptizati Baptiſmo *flaminis*, ſint capaces Indulgentiarum? Reſp. eſſe controverſum apud DD., licèt *negativa* opinio, quam cum pluribus aliis tenet *Maſtrius diſp.* 23. *Theol. Moral. num.*56. ſit, & communior, & probabilior; & ratio eſt, quia cum nondùm per Baptiſmi Sacramentum, ingreſſi ſint Eccleſiam; conſequenter ſicuti pro *pænalibus*, non ſunt eidem Eccleſiæ ſubjecti, ità neque capaces eſſe poſſunt favorabilium: ſecùs dic. eſt de *prædictis*, qui in ſtatu gratiæ mortui ſunt, nam eis prodeſſe poſſunt Indulgentiæ *per modum ſuffragii*, & hæc opinio, quam plures ſequuntur Theologi, ſatis probabilis eſt.

Licèt Anno Sancto ſuſpendi ſoleant omnes, & ſingulæ Indulgentiæ, licèt etiam perpetuæ; attamen non intelliguatur ſuſpenſæ Indulgentiæ *Altarium privilegiatorum* pro Defunctis; neque aliæ eôdem modo pro Defunctis: ità *Gavant. in addit. ad Manual. Epiſc.* ℣. *Indulgentia*; *Gobat.*, & plures alii: idem dic. eſt de Indulgentiis conceſſis *in articulo mortis*, ut declaravit *Urbanus VIII.*, quæ declaratio fuit publicata Romæ à V. Regente Pænitentiariæ: ità *Gavant. cit. Bonac.*, *Lezana*, & alii.

Quamvis *Paulus V.* in unâ ſuâ *Conſtit.*, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, revocaverit omnes Indulgentias, Regularibus utriuſque ſexus conceſſas, & novas elargitus fuerit, ut videri poteſt in *eâdem Conſtit. à* §. 1. *uſque ad* §. 19., attamen non revocavit illas Indulgentias, conceſſas cum clauſulâ: *Univerſis Chriſti fidelibus*, ut cum communi tenent *Gobat. part.* 1. *c.*20. *ſub num.* 546., Haſpenſis *Summa Select.* ℣. *Indulgentia num.* 222., neque revocavit illas, quæ conceſſæ fuerunt viſitantibus Regularium Eccleſias, ut declaravit *Sac. Cong. Conc.* ab eôdem *Paulo V.* deputata, cujus reſolutio tranſmiſſa fuit *Archiepiſcopo Bononienſi*, ut refert *Lezana tom.* 3. *verb. Indulgentia n.* 8.

Indulgentia *Portiunculæ*, non remanet ſuſpenſa Anno Sancto, ut expreſſit *Innoc. XII. per ſuam Conſtit.*, quæ incipit: *Cum ob Sacri Jubilæi* 21. *Auguſti* 1699.; An acquiratur toties, quoties viſitatur Eccleſia? Sac. Congr. Indulg. pro reſponſione ad unum quæſitum, *Cenſuit ſervandum eſſe ſolitum*.

Indulgentia *Portiunculæ*, obtineri non poteſt per *viam communicationis*, ut fusè probat *Officialis Curiæ Eccleſiaſticæ de Indulg. pag.* 183. *à n.* 13. *uſque ad n.* 20. Ibi *pag.* 185., *& ſeqq.* vide quot, & quales ſint *Indulgentiæ apocriphæ* per Decretum *Sac.*

Cong.

I

Cong. Indulgent. ab Innoc. XI. approbatum:

Tranſlato feſto, pro quo conceſſa fuit aliqua Indulgentia, non transfertur Indulgentia, ut conſtat ex *Decreto Sacr. Rituum Congr.* 10. *Junii* 1690., & eſt relatum in *Rubric. Breviar. Minorum de Obſervantiâ.*

Alex. VII. Prop. dam. 37. in ordine: Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & à Paulo V. revocatæ, hodie ſunt revalidatæ.

Hæretici moderni in contemptum Fidei, quam profitentur Catholico-Romani, quæ eſt illa vera, & unica, ſinè quâ impoſſibile eſt, quod aliquis ſalvari poſſit, appellant *Indulgentias*, poculum abominationis: Verùm ſic eos interrogo: Vel poteſtas, quam Chriſtus Dominus noſter dedit Petro Apoſtolorum Principi, ut legitur in *Matt. cap. 16. Tibi dabo Claves Regni Cælorum: Quodcumque ligaveris ſuper Terram &c.* erat *limitata*, vel *illimitata*: non poteſt dici *limitata*, quia, qui *indefinitè* loquitur; juxtà Theologos, & Juriſprudentes, *illimitatè* loquitur: ergo debet dici, quod erat *illimitata*: ergò ſi *illimitata*, non ſolùm intelligi debet de poteſtate abſolvendi à *culpâ*, ſed etiam remittendi pænam virtute infinitorum meritorum Chriſti, & etiam meritorum SS. Virginis Mariæ, & tot aliorum Sanctorum, quorum merita, quo ad ſatisfactoriam, irremunerata permanſerunt: Hanc poteſtatem *illimitatam*, quam Chriſtus dedit Petro, & ejus legitimis Succeſſoribus; ipſe primus exercere voluit in Cruce, quando Latroni dixit: *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in Paradiſo*, per quem actum Latro abſolutus fuit & à culpâ, & à pænâ: hac plenariâ, & illimitatâ poteſtate, uſus eſt *D. Paulus* cum illo *Corinthio*, priùs inceſtuoſo, & poſteà pænitente: *Cui vos donaſtis, & ego, nam quod donavi, ex* Perſonâ Chriſti *donavi*, ideſt, in poteſtate ſibi à Chriſto data: In primo Conc. Generali Æcumenico Nicæno *Can.* XI.; & *Can.* 12. fit expreſſa mentio de Indulgentiis; & *Tertull.*, qui vixit in tertio ſæculo *lib. 2. ad Uxorem*; illam hortatur, ut poſt mortem ſuam frequentet ſtationes *pænæ* ſatisfactorias: Non appellent ergo Hæretici *Indulgentias* poculum abominationis, neque dicant eſſe novum inventum Romanorum; ſed potiùs confiteantur, (& dicent veritatem), quod ipſi biberunt cum hæreſi poculum abominationis, quod evomere vellent in faciem Eccleſiæ Catholico-Romanæ ad fædandam ejus pulcritudinem; ſed Eccleſia Catholico-Romana cum ſit Sponſa Chriſti, cujus pulcritudinem Sol, & Luna mirantur, numquam potuit, neque poterit fædari ab Hæreticorum immunditiis.

In-

I

Infamia *eſt privatio*, *ſeù diminutio bonæ famæ*: ità in re communiter: duplex eſt; nempè: *Juris*, & *Facti*: iſta, ideſt, *Facti*, contrahitur quando perpetratur aliquod delictum, propter quod bona exiſtimatio apud probos, & honeſtos Viros, læditur: illa, ideſt, *Juris* eſt, qui ipſo Jure infligitur, ſeù decernitur contrà perpetrantes certa crimina, ob quæ, vel ipſo facto contrahitur, vel per Judicis ſententiam: Crimina, ob quæ contrahitur *infamia Jure Canonico* qualia ſint? Vide ſub verbo ly *Pæna Canonica*.

Infidelitas duplex eſt; nempè: *Poſitiva*, & *Negativa*: illa, ideſt, *Poſitiva*, eſt error in intellectu hominis non baptizati, Fidei Catholicæ, ſivè in toto, ſivè in parte contrarius: iſta, ideſt, *Negativa*, eſt carentia fidei habita, ab ignorantibus myſteria Fidei: utraque tàm *Poſitiva*, quàm *Negativa*, dividitur in *culpabilem*, & in *inculpabilem*: iſta, ideſt, *inculpabilis* à Theologis appellatur *infidelitas merè negativa*, qualis datur in illis, qui nihil umquam de fide audierunt, ſivè ſint pueri, ſivè ſint adulti: illa, ideſt, *culpabilis* dicitur *privativa*, quæ nihil aliud eſt, quàm carentia fidei in eo, qui debet, & poteſt habere fidem, ſed negligit illam habere, & hæc ex genere ſuo eſt mortaliter peccaminoſa.

Infidelitas dividitur in Paganiſmum, Judaiſmum, & Hæreſim; quæ hæreſis multiplex eſt; & licèt prædictæ tres ſpecies, non diſtinguantur ſpecie inter ſe ex eo, quia habent eandem numerò malitiam per oppoſitionem ad veram, & unicam fidem Catholico-Romanam, quæ eſt una numericè; unaquæque tamen ſeorſim ab aliis ſumpta includit aliquid continens aliquam malitiam, ab aliis ſpecie diverſam: *Atheiſmus*, non differt ſpecie à *Paganiſmo*.

Eſſentia poſteà *Atheiſmi*, conſiſtit in hoc, quod *Atheiſtæ*, ſeù *Athei*, aut (ut alii dicunt) *Politici*, negant omninò omne Numen; & nullum Deum colunt juxtà illud Pſal. 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo*: *Non eſt Deus*: Se abſtinent exteriùs à malis, non ob metum pœnarum, ab aliquo Deo infligendarum, ſed ob quandam politicam externam, ut, vel laudentur; vel ipſis benè ſit; vel ne Rempublicam perturbent. Hujus farinæ fuerunt olim *Diagoras Mileſius*; *Bion Boriſthenites*; *Theodorus Cyreneus*; & noviſſimè *Machiavellus*.

Eſſentia *Paganiſmi* conſiſtit in hoc, quod *Pagani* adorant plures,

Digitized by Google

plures, varios, & omnes falſos Deos, ut antiquitùs faciebant Gentiles (quorum Anteſignanus fuit *Ninus*, ab Hæbreis dictus *Baal*) qui excuſſo vero cultu unius Dei, quem ab Adamo didicerant pro Numine adorare; cæperunt adorare varias creaturas. Nomine Paganorum veniunt etiam Turcæ, qui licèt adorent unum, & verum Deum, colunt etiam cultu Latriæ Maumet, qui fuit nequiſſimus Homo.

Eſſentia denique *Judaiſmi*, conſiſtit in hoc, quod *Judæi*, licèt adorent verum Deum unum in eſſentiâ; eundem tamen negant trinum in Perſonis; ſicuti etiam negant, quod Jeſus Chriſtus ſit Meſſias, in Scripturis Sacris promiſſus.

Licèt Paganiſmus *extenſivè* ſit gravior, quàm Judaiſmus; & Judaiſmus, quàm hæreſis; *intenſivè* tamen, ideſt, quo ad *rationem culpæ*, gravior eſt hæreſis, ut communiter tenent Theologi cum *D. Tho.* 2. 2. *q.* 10. *n.* 6.

Inimici diligendi &c. Vide ſub verbo *Charitas §. Inimici*.

Injuſtitia *eſt violatio Juris alieni*: ex genere ſuo eſt peccatum mortale reſtitutioni, vel compenſationi obnoxium, niſi excuſet parvitas materiæ.

Inobedientia *eſt traſgreſſio mandati Superioris, quatenùs mandatum eſt*: Sicut Obedientia eſt virtus, quæ promptum facit ſubditum ad exequendum mandatum Superioris, *ut mandatum eſt*; ità per regulam oppoſitorum ex Logicis, Inobedientia eſt vitium, quod reddit ſubditum tranſgreſſorem mandati Superioris, *ut eſt mandatum*: In quibus caſibus Inobedientia ſit peccatum mortale? Vide ſub verbo ly *Obedientia*.

Inſtructio pro recurſu ad Sacram Pænitentiariam: 1. Titulus epiſtolæ retrò: Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Cardinali Pænitentiario Majori; 2. Scribi poteſt in quòcumque idiomate; 3. inutilia omittuntur; 4. reticetur nomen, & cognomen Pænitentis; excipitur ſi agatur de Cenſuris inflictis contrà publicos Clericorum percuſſores; vel duellantes in publico, quia in his duobus caſibus, exprimi debet nomen, cognomen, & Diœceſis; 5. in epiſtolâ ſignificari debet, quomodo, & quâ viâ epiſtola reſponſiva mittenda ſit, ſivè per poſtam, ſivè per communem publicum Tabellarium; 6. terminus epiſtolæ hoc modo: dignetur Eminentia Veſtra reſcribere N. de N. in Civitate N. pro Oppido N.; 7. Sic proponi debet caſus, v. g. Unus Sacerdos contraxit irregularitatem ex causâ homicidii occulti: ob talem cauſam,

(explicari debet cauſa), non ſe abſtinuit à celebratione Miſſæ ex cauſâ (explicatur cauſa, ob quam non ſe abſtinuit) vel ſic: ſe abſtinuit per tot dies (exprimitur numerus dierum), ſed quia abſque ſcandalo; vel ſic: ſed quia ſinè notâ, diù ſe abſtinere non poterat, vel non poſſit; humilimè ſupplicat pro remedio. — Unus contraxit Matrimonium cum impedimento dirimente cognito, ſivè non cognito (exprimi debet quale impedimentum ſit): cum autem ſit occultum, & ſeparatio fieri nequeat ſinè ſcandalo, vel ſic: ſinè gravi ſuſpicione &c. ideò humilimè ſupplicat pro &c. — Unus emiſit votum perfectum, & abſolutum caſtitatis perpetuæ, ſed cum adſit de præſenti, ſivè ſic: de futuro prævideat periculum incontinentiæ; ideò humilimè ſupplicat pro diſpenſatione ad effectum nubendi &c. & ſic de ſingulis caſibus: ſi ille, qui ſcribit eſt inſcius Gottici characteris; de hoc moneat.

Integritas Confeſſionis Sacramentalis duplex eſt; nempè: *materialis*, & *formalis*: illa, ideſt, *materialis* eſt illa, in quâ tota materia peccaminoſa exprimitur in Confeſſione: quatuor excuſant hanc integritatem materialem: 1. ignorantia invincibilis; 2. oblivio inculpabilis; 3. impotentia loquendi; 4. utilitas propria, vel Confeſſarii, aut tertiæ perſonæ, & tunc dicitur *integra formaliter*, ideſt, in diſpoſitione animi, & promptâ voluntate ad faciendam Confeſſionem *materialiter integram*, quando, vel deponet *ignorantiam*, ſi omiſſio fuit cauſata ab ignorantiâ invincibili: vel *recordabitur*, ſi omiſſio fuit cauſata ab oblivione inculpabili; vel *confiteri poterit omnia peccata*, quæ tunc, ſivè ob inſtans periculum vitæ, ſivè ex quâcumque aliâ juſtâ cauſâ confiteri non potuit; vel ſinè *proprio*, vel *alieno damno*, ſivè ſpirituali, ſivè temporali extrinſeco gravi, facere poterit totam confeſſionem *materialiter* integram.

Alex. VII. Propoſ. dam. XI. in ordine: Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeù oblita ob inſtans periculum vitæ, vel ob aliam cauſam, non tenemur exprimere in ſequenti Confeſſione.

Innoc. XI. Propoſ. dam. 59. in ordine: Licèt Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus pænitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die alicujus magnæ Feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

Intentio *eſt actus liber voluntatis, tendens in finem*: ità in re communiter: triplex eſt: *actualis*; *virtualis*; *habitualis*: Prima, ideſt, *actualis*, eſt illa, quâ quis vult facere id, quod facit;

cit; ſeù eſt illa, quâ quis reflectens ad voluntatem, quam habet, vult illam: Secunda, ideſt, *virtualis*, eſt illa, quæ ſequitur *actualem* virtute alicujus operis inchoati cum intentione actuali: Tertia, ideſt, *habitualis* duplex eſt: una eſt, quâ quis aliquid facit ex ſolo habitu, nullâ præcedente intentione, & hæc numquam valet: altera nihil aliud eſt, quàm intentio præterita, & numquam retractata per quemcumque actum contrarium, quæ tamen non ampliùs influit in effectum; & iſta licèt ſufficiat ex *parte ſuſceptionis Sacramenta*, ut habetur deciſum in *cap. Majoris; de Baptiſ. §. fin. de Baptiſmo*, non ſufficit tamen ex parte *Miniſtri, conficientis* Sacramentum, ut communiter tenent DD. cum *Scoto in 4. diſt. 6. q. 6.*, & conſequenter requiritur ex parte Miniſtri intentio ſaltem virtualis.

Interdictum *eſt Eccleſiaſtica Cenſura ſecundùm ſe ipſam prohibens uſum certorum Sacramentorum, Divina Officia, & Eccleſiaſticam Sepulturam*: ità in re communiter: Triplex eſt: *locale; perſonale; mixtum*: Primum, ideſt, *locale* dividitur in *generale*, & *ſpeciale*: Secundum, ideſt, *perſonale* dividitur in *generale*, & *particulare*: Tertium, ideſt, *mixtum* utrumque amplectitur.

Interdictum *locale* eſt illud, quod *directè* fertur in *locum*, quatenùs in ipſo interdicuntur Divina Officia, & hujuſmodi; ſed *indirectè* fertur in *Perſonas*, quatenùs, ſcilicèt, ſunt in *tali loco*, & non alibi. Hic adv. eſt *ex cap. ſi Civitas; de ſentent. excomm. in 6.*, quod interdicto *loco*; intelliguntur interdicta etiam *Suburbia*, & ipſorum *continentia ædificia*; & interdictâ *Eccleſiâ*; intelliguntur interdictæ etiam *Capellæ*, Eccleſiæ *contiguæ*.

Interdictum *Perſonale* eſt illud, quod directè fertur in *Perſonam*, ſivè *Perſonas*, per quod certa Perſona, aut Perſonæ ubicumque ſunt, ſemper remanent interdictæ.

Interdictum *mixtum* eſt illud, quod afficit locum, & Perſonam ſimul.

Adv. 1., quod ſi ſententia Interdicti fertur nominatim in *Clerum*; non cenſetur interdictus *Populus*; & ſi nominatim fertur in *Populum*, non cenſetur interdictus *Clerus*, ut clarè patet ex *cit. tex.*, & ſi eſt *abſolutè* interdictus *Clerus* ſinè ullâ ſpecificatione, vel addito, non intelligitur interdictus *Clerus Regularis*, quia in *odioſis* Regulares non veniunt nomine Cleri abſolutè ſumpti, ut etiam dixi ſub verbo ly *Clericorum nomine*; & ità *Dia.*, *Trullench.*, *Portell.*, & alii.

Adv. 2., quod, quando Interdictum eſt *ſolummodo Perſonale*, in Eccleſiis Populi interdicti; admitti poſſunt ad Divina Peregrini, Advenæ, & illi omnes, qui non ſunt membra Collegii interdicti; & viceverſà, quando Interdictum eſt *ſolummodo locale*, poſſunt Perſonæ illius Loci in alio Territorio, non ſuppoſito Interdicto, participare in Divinis, niſi tamen cauſam dederint Interdicto: ità cum aliis *Piaſec. prax. part. 2. cap. 4. a. 11. ex alleg. cap. Si ſententia*.

Quicumque poteſt excommunicare, vel excommunicari, poteſt interdicere, aut interdici. Cauſa debet eſſe aliquod peccatum graviſſimum extrinſecum, aut inobedientia cum contumaciâ contrà Eccleſiam; & licèt ſinè licentiâ Papæ interdici poſſit aliqua Eccleſia privata, non tamen Parochia.

Perſonæ Eccleſiaſticæ *ſcienter* violantes quodcumque Interdictum, peccant mortaliter; & ſi violatio eſt per exercitium alicujus Ordinis Sacri, fiunt etiam irregulares, ut communiter tenent DD.

Laici: ſi ſunt *perſonaliter* interdicti; violando interdictum, peccant mortaliter; & ſi interdictum eſt *tantummodo locale*, illud violando peccant ſolùm venialiter, dempto tamen contemptu, vel ſcandalo, aut ſi inducerent aliquem Miniſtrum Eccleſiaſticum ad exercitium alicujus Ordinis Sacri, vel ſcienter illi inſervirent in exercitio Sacro, quia tunc mortaliter: ità communiter DD.

Tempore Interdicti poſſunt Regulares in propriis Eccleſiis admittere ad Divina (januis tamen clauſis) Fratres, & Sorores de Tertio Ordine, ut expreſsè diſpoſuit *Leo X. in Conſtit.*, quæ incipit: *Dùm intrà &c.* dummodo tamen non dederint cauſam interdicto; nec cauſam ipſam nutriant, aut foveant; nec auxilium, conſilium, aut favorem quôcumque modo præſtiterint.

Regulares non ſolùm tenentur ſervare Interdicta, emanata à Sede Apoſtolicâ, ſed etiàm ab Ordinariis promulgata, ut habetur ex *Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 12.*, neque uti poſſunt quôcumque privilegio, ipſis conceſſo antè Trid.

Clem. VIII. per unam ſuam *Conſtit.*, quæ incipit: *Sacræ Seraphici &c.* dat. ſub *die* 17. *Octobris anni* 1595. ampliavit privilegium, quod poſt *Trid.*, conceſſum fuit Ordini Minorum Sancti Franciſci, quod, ſcilicet, in Feſtivitatibus Sanctorum ejuſdem Ordinis; nimirùm: Sanctorum *Franciſci*, *Bonaventuræ*, *Antonii de Padua*, *Ludovici*, *Bernardini*, *Claræ*, *Eliſabeth*, ac *Marty-*

rum, ſolemni ritu liberè celebrare poſſint, perindèac ſi nullum eſſet Interdictum, illud ampliando ad Feſtivitates *S. Didaci*, & *Portiunculæ*.

Prædicto privilegio juxtà communiorem, & probabiliorem DD. ſententiam, uti nequeunt alii Regulares virtute communicationis privilegiorum, ut deſumitur ex *Trid.cit.cap.22.*

Tempore Interdicti localis, licèt generalis, adminiſtrari poſſunt *Baptiſmus*, & *Confirmatio* etiam adultis, & cum ſolemnitate; immò etiam *Sacramentum Pænitentiæ*, & publicè, exceptis tamen culpabilibus, quibus nec etiam in articulo mortis, niſi priùs ſatisfecerint, vel ſatisfaciendi dederint cautionem, aut ſaltem ſaltem ſatisfacere promiſerint: *SS. Eucbariſtia* numquam miniſtrari poteſt, niſi in probabili periculo mortis, & in tali caſu etiam ſolemniter: *Extrema Unctio*, & *Ordo* numquam miniſtrari poſſunt: *Matrimonium* numquam eſt prohibitum, licèt aliàs *perſonaliter* Interdictis, non ſit danda ſolemnis nuptiarum benedictio.

Perſonæ interdictæ, pergere poſſunt ad Eccleſiam ad audiendas Conciones; & tempore Interdicti pulſari poſſunt campanæ pro Angelicâ Salutatione.

Licèt morientibus tempore Interdicti, ideſt, in Interdicto, denegetur Sepultura Eccleſiaſtica; *Piaſec.* tamen *prax. Epiſc. par.2. cap 4. a. x1.* excipit illos Clericos, qui cauſam non dederunt Interdicto, omiſſis tamen ſolemnitatibus, adhiberi ſolitis, & campanarum ſonitu.

Sepelientes *non nominatim* Interdictos ſæculares tempore Interdicti in loco Sacro, peccant mortaliter; & ſi ſepeliunt cum Officio, & pompâ funerali, fieri ſolitâ in Eccleſiâ, fiunt irregulares, quia tali modo ſepelientes, cenſentur exercere actum Ordini Sacerdotali deputatum: ità *Piaſecus cit. num. x1.* Si poſteà ſunt *nominatim* Interdicti; qui illos ſepeliunt in loco Sacro, incurrunt ipſo jure in excommunicationem, à quâ abſolvi nequeunt, niſi priùs ad arbitrium Diæceſani Epiſcopi, competentem exhibuerint ſatisfactionem: ità *tex. excom. ex Gloſſa in Clemen. Nos qui de ſepulturis &c.*

Relaxato Interdicto; illi, qui extrà Eccleſiam fuerunt ſepulti (ſi cum ſignis pænitentiæ deceſſerunt) ad locum Sacrum transferri poſſunt, ſervatis etiam ſolemnitatibus, ut liquet ex *cit. tex. lib.3. tit. 7. Verbo eis quibus*.

Si

Si Interdictum eſt ab *Homine*; ab illo ſolo, vel ejus Superiore, aut Delegato tolli poteſt, & etiam ſuſpendi per aliquod tempus: ſi eſt à *Jure*, & eſt *reſervatum*; ille ſolus tollere poteſt, cui eſt reſervatum: ſi non eſt reſervatum; ceſſante causâ, poteſt Epiſcopus; non ceſſante causâ, ſolus Papa.

Invaſorem rerum temporalium occidere licitum eſt, ſervatis tribus conditionibus: 1. quod damnum ſit grave reſpectu Domini; 2. quod actualiter, & injuſtè ſit latum; 3. quod nullo alio modo, quàm occidendo, impediri, aut recuperari poſſit.

Innoc. XI. Propoſ. dam. 31. in ordine: ***Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.***

Invidia *eſt triſtitia*, ***quam quis habet de alterius bono, quia diminutivo*** propriæ excellentiæ; & licèt quis diverſimodè triſtari poſſit de alterius bono; putà, quia ex eo aliquod malum ſibi proventurum timet; vel præcisè ſolùm, quia tali bono ipſe caret; aut quia tali bono, ipſum indignum reputat; vel quia malum illi vult; vel ex motivo juſtitiæ, ut triſtitia de beneficio collato indigno, eo quia injuſtè collatum eſt; attamen ſola triſtitia, quam quis habet de alterius bono, in quantum eſt diminutivum propriæ excellentiæ, poteſt dici invidia, & non eſt niſi peccatum veniale: mortale tamen, quando provenit ex malevolentiâ ergà proximum, ſi tamen eſt de re gravi, & cum plenâ deliberatione: eſt meritoria, quando provenit præcisè ex motivo juſtitiæ.

Involuntarium duplex eſt; nempè: ***Simpliciter***; & ***ſecundùm quid***: Primum eſt illud, quo voluntas ***abſolutè***, & ***indipendenter*** ab omni conditione totaliter reſpuit, & non vult: Secundum eſt illud, quod ***aliqualiter*** voluntas non vult, ſed ratione alicujus additæ conditionis, illud vult, ut projectio mercium in Mare ad evadendum naufragium.

Ira ***eſt appetitus inordinatus vindictæ***. Licèt ira poſſit eſſe communis hominibus, & brutis circà tria: 1. circà apprehenſionem alicujus mali illati; 2. circà ſanguinis ebulitionem circà cor; 3. circà quandam appetitionem, inferendo malum illi, à quo malum illatum eſt; attamen ille appetitus vindictæ, qui conſiſtit in intellectu, & voluntate competit ſoli homini: in quatuor caſibus eſt mortaliter peccaminoſa: 1. ex parte ſubjecti, cum non ſit dignus tali malo; 2. ex parte quantitatis, eo quia licèt dignus ſit malo, non tamen tanto; 3. ex defectu ordinis; 4. ex defectu rectæ intentionis, & animi recti, quæ omnia intelligi debent, ſi ſit de re gravi, & cum plenâ advertentiâ.

Irre-

I

Irregularitas eſt *Canonica inhabilitas Ordines ſuſcipiendi, ſuſceptoſque exercendi à ſolo Jure proveniens*: ità in re communiter: dicitur ly *à ſolo Jure proveniens*, & per hoc differt à cenſuris, quæ proveniunt etiam ab homine; ſicque irregularitas non eſt cenſura, & ſæpè contrahitur ſinè peccato.

Irregularitas duplex eſt; nempè: ex *defectu*; & ex *delicto*: Prima, ideſt, ex *defectu* ad novem capita reducitur: 1. ex defectu *natalium*, ut conſtat ex *cap.* 1. *&* 2. *de filiis Presbyterorum*: excipitur, ſi per ſubſequens matrimonium fiat legitimatio, ut habetur ex *cap. Conqueſtus*; *& cap. Tanta*; *qui ſint filii legit.*, *&* §. *fin. Inſtit. de Nuptiis*. Circà occultos, & expoſitos: eſt controverſum, & negativa opinio non eſt improbabilis; 2. ex defectu *Originis*; quæ provenit à ſervitute, ut habetur ex *cap. de ſervorum &c.* idèm dic. de ſervis *adſcriptiis*, atque *originariis*, qui certæ glebæ, ſeù prædio colendo, ſunt perpetuò obligati, ut habetur ex *Can. Admittuntur diſt.* 53., idem dic. de *Conjugatis*, ut conſtat ex *cap. Uxoratus de Converſ. Conjugat.*, & prædictis accedunt, qui ſunt obligati ad *ratiocinia*, ideſt, Procuratores, Actores, Executores, Curatores Pupillorum, & hujuſmodi; 3. ex defectu *libertatis*, ut ſunt mancipia, aliique ſupradicti; 4. ex defectu *ætatis legitimæ*, ut liquet ex *cap. ult. de tempo.*; 5. ex defectu *bonæ famæ*, ut ſunt illi, qui perpetrant publica crimina, quæ inducunt Juris infamiam, ut deſumitur ex *cap. Infames 6. q.* 1.; 6. ex defectu *animæ*, ut ſunt amentes, qui non ſolùm Jure Humano, ſed etiam Divino, & naturali ſunt irregulares: idem dic. de carentibus omnimodâ ſcientiâ, de Jure tamen ſolùm humano; & de Neophitis, ut habetur ex *arg. Neophit. Can.* 1. *diſt.* 48.; 7. ex defectu *corporis*, qui, ſcilicet, abſolutè ſubire nequeunt Ordinis miniſteria; vel ſi poſſunt, nequeunt tamen ſinè aliorum horrore, ut habetur ex *cap. Illiteratus diſt.* 36., & ex iſtis, multi à DD. enumerantur, quos brevitatis gratiâ prætereo; 8. ex defectu Sacramentorum, inter quos ſunt Bigami cujuslibet ex triplici bigamiâ; 9. ex defectu *lenitatis*, & ſunt illi, qui quòcumque modo, ſivè immediatè, ſivè mediatè tantùm, committunt homicidia, vel membrorum mutilationes, licèt ex juſtâ causâ, ſervato Juris ordine, & cum animo recto, ut habetur ex *cap. Si quis Viduam diſt.* 50., & ex *cap. Aliquando diſt.* 51.

Irregularitas ex *delicto* ad decem capita reducitur: 1. Hæretici; 2. Filii, & Nepotes Hæreticorum per lineam maſculinam

uſquè ad quartam generationem incluſivè, ſi tamen eorum Parentes mortui ſunt Hæretici; quod ſi antè Parentum crimen ſuſceperunt Ordines, vel obtinuerunt Beneficia Eccleſiaſtica, circà illos, & iſta non ſunt irregulares, ut habetur ex *cap. Quicumque de Hæreticis in 6.*, & ex *cap. Saluberrimum* 1. *q.7.*, quod dicitur de Hæreticis, & Filiis Hæreticorum; idem dic. eſt de quibuſcumque fautoribus Hæreticorum, quatenùs Hæretici ſunt; 3. Seriò, & ſcienter rebaptizantes, ſicuti & taliter rebaptizati: ità communiter, & *Scotus in 4. diſt. 6. quaſt.* 8.; 4. Adulti ab Hæreticis baptizati; attamen ſi in caſu neceſſitatis; tantummodo quo ad Presbyteratum: ità communiter; 5. Perduelliones, Filii, & Nepotes uſquè ad quartam generationem incluſivè; 6. Excommunicatio major; 7. Suſpenſio ab Officio, & Beneficio; 8. Suſpenſio ab Ordinibus ſuſcipiendis: Adv. tamen, quod hæc tria; nempè: excommunicatio major; ſuſpenſio ab Officio, & Beneficio; & ſuſpenſio ab Ordinibus ſuſcipiendis, cauſant irregularitatem ex delicto ſolummodo quo ad effectum; 9. Homicidium; 10. Mutilatio alicujus membri, quod in corpore humano habeat officium ſeparatum ab aliis membris.

Adv. eſt, quod tàm homicidium, quàm mutilatio ad hoc, ut inducant irregularitatem ex *delicto* debent eſſe facta *injuſtè*, nam ſi *juſtè*, ideſt, ſi ex juſtâ causâ, & cum animo recto, non inducunt irregularitatem ex *delicto*, ſed ſolùm ex defectu *lenitatis*: ad hoc poſteà, ut dici poſſit ly *ex juſtâ causâ*; quatuor conditiones ſimul, concurrere debent: 1. legitima poteſtas; 2. juſta cauſa; 3. juſtus juris ordo; 4. animus rectus.

Homicidium poſteà (idem dic. de mutilatione) tripliciter fieri poteſt; nempè: *voluntate*; *neceſſitate*; *à caſu*: Voluntarium poſteà duplex eſt; nempè: *directè* volitum; & *indirectè* volitum, ideſt, voluntarium *in ſe*; & voluntarium in *ſuá causâ*: Porrò voluntarium *in ſe* duplex eſt; nempè: *abſolutum*, & *conditionatum*, quod idem eſt, ac dicere: voluntarium *ſimpliciter*, & voluntarium *ſecundùm quid*: etiam voluntarium in *ſuá causâ* duplex eſt; nempè: 1. cauſa, ex quâ *ut plurimum* ſequitur effectus; puta, mors ex potatione veneni; ebrietas ex nimio vini potu; 2. cauſa, ex quâ *rarò* ſequitur effectus; putà, mors aliquorum adſtantium ad videndum curioſitatis causâ ictum bombardæ, quæ, quia crepuit; ideò adſtantes occiſi remanſerunt; & hoc modo dicitur voluntarium in ſuâ causâ *per accidens*, ſeù *caſuale*, quod ad hoc, ut inducat irregulari-

gularitatem, debet præſupponere culpam, quæ (ut hic ſumitur) eſt *deviatio ab eo, quod rectum eſt, & quod per Hominis diligentiam prævideri poterat*: His præmiſſis nota, & benè obſerva ſequentes regulas ex graviorum DD. ſententiis deſumptas.

In homicidio, ſeù mutilatione *caſuali*, quando quis per *commiſſionem*, eſt cauſa *immediata* homicidii, ſeù mutilationis, & aliàs opus erat *licitum*; culpa *levis* cauſat irregularitatem: ſi cauſa eſt ſolùm *mediata*, & aliàs opus erat *licitum*, culpa *lata* tantùm inducit irregularitatem: ſi verò opus erat *illicitum*, utrôque modo culpa *leviſſima* cauſat irregularitatem.

Si quis per *omiſſionem* eſt cauſa *immediata* mortis, & aliàs opus erat *licitum*, ut de negligentiâ Medici reſpectu infirmi mortui; culpa *levis* inducit irregularitatem; ſi eſt cauſa tantùm *mediata*, ut de præparantibus ordinata à Medico reſpectu infirmi mortui, culpa *lata* ſolùm inducit irregularitatem: ſi opus erat *illicitum*, ut de opprimentibus in lectulo infantulum; utrôque modo culpa *leviſſima*, inducit irregularitatem.

Ubi nulla datur culpa caſualis; ibi nulla incurritur irregularitas; ut de ebriis, dummodo non prævideri͏nt ebrietatem, & cauſam dederint ebrietati.

Quomodo ſit intelligendum, quod culpa *lata*, *levis*, *leviſſima* inducant irregularitatem: vide quæ dixi ſub verbo Contractus; & idem proportionaliter intellige.

Homicidium voluntarium *in ſe*, ideſt, *directè* volitum (concurrentibus ſuprà ſcriptis quatuor conditionibus) inducit irregularitatem ex defectu *lenitatis*; deficiente quâcumque, cauſat irregularitatem ex *delicto*: idem dic. de mutilatione.

Homicidium, & mutilatio ex *neceſſitate*, quatuor modis evenire poſſunt: 1. in defenſionem vitæ propriæ; 2. in defenſionem vitæ proximi; 3. in defenſionem bonorum temporalium; 4. in defenſionem caſtitatis, vel alterius veræ virtutis; immò etiam honoris. Si in defenſionem *vitæ propriæ*, & ſervato moderamine inculpatæ tutelæ; nulla incurritur irregularitas; Non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, incurritur irregularitas ex *delicto*: Si in defenſionem vitæ proximi ex inevitabili neceſſitate; incurritur irregularitas ex defectu lenitatis; ſi ſinè inevitabili neceſſitate, ex delicto: Si in defenſionem *bonorum temporalium*, & ſervatis conditionibus poſitis ſub verbo ly *Invaſorem &c.* ex defectu; non ſervatis talibus conditionibus, ex delicto: idem dic. ſi ſunt *per-*

 ſona

ſonæ Eccleſiaſtica, licèt ſervatis etiam talibus conditionibus: Si in defenſionem *caſtitatis*, vel alterius *veræ virtutis*, ſivè etiam *honoris*; ſi ex inevitabili neceſſitate, ex defectu; ſi ſinè inevitabili neceſſitate, ex delicto: & ſi in defenſionem *honoris*, & ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, ex delicto, licèt ex inevitabili neceſſitate.

In dubio *Juris* nemo cenſendus eſt irregularis in *utrôque foro*: idem dic. eſt in dubio *facti*, excepto tamen (*quo ad forum internum*) dubio *facti* de homicidio, ut eruitur ex *cap. Ad audientiam*; & ex *cap. Significaſti de Homicidio*; & eſt probabilior ſententia.

Per Baptiſmum tollitur quælibet irregularitas exceptâ bigamiâ, & proveniente ex defectu animæ, vel corporis: Per ingreſſum Religionis; quælibet exceptâ bigamiâ, & homicidio voluntario: Per Epiſcopum; quæcumque proveniens ex delicto occulto excepto homicidio voluntario: per Summum Pontificem; quælibet, & omnis.

Prælati Ordinum Mendicantium ex privilegio *Sixti IV.* (ut habetur in *Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum* ℣. *Diſpenſatio num. 9. & 12.*) diſpenſare poſſunt ſuos ſubditos in omni irregularitate, illâ exceptâ, quæ oritur ex bigamiâ, homicidio voluntario, & mutilatione; quod intelligendum eſt etiam reſpectu Novitiorum, & Hoſpitum ſubditorum.

Irreligioſitas *eſt defectus cultus, Deo debiti*: ejus ſpecies ſunt ſex; nempè: Tentatio Dei; Sacrilegium; Simonia; Blaſphemia; Perjurium; violatio voti, de quibus loco proprio.

Jubilæum, quod ſic appellatur à vocabulo hæbraico *Jobel*, quo Judæi appellabant annum remiſſionis, *eſt Bulla Pontificia, in quâ Papa concedit Indulgentiam plenariam, & alia privilegia præſtantibus opera, in ipſâ Bullâ, ſpecificata.*

Ad conſequendam Indulgentiam Jubilæi ſufficit, quod ultimum opus, in Bullâ præſcriptum, ſit factum in ſtatu gratiæ: *Dia. par. 5. tr. 12. reſ. 26.* Arſdechim *tom. 2. pag. 246.* cum aliis utrobique citatis, dicunt: quod ſi quis omnia opera in Bullâ præſcripta negligeret, & in ultimo die, pænitentiâ ductus, ſuam confeſſionem faceret, & Sanctiſſimam Eucharistiam ſumeret; in tali caſu poſſet Confeſſarius, illa opera in Bullâ præſcripta, in alia commutare, & eum reddere participem Jubilæi; & ratio eſt, quia tunc verè eſſet ſimpliciter impotens, ad ipſa opera præſcripta peragenda; & idem dicunt de illo, qui omnibus operibus præſcriptis jam peractis in ulti-

ultimâ die Jubilæi, non poteſt ſe communicare eo, quia, inadvertenter fregit jejunium naturale, puta, quia inadvertenter bibit.

Quando Summus Pontifex dat facultatem ſic in generali abſolvendi ab omnibus caſibus, ſibi reſervatis; non intelliguntur illi, qui ſunt reſervati in Bullâ Cœnæ, ut patet ex Decreto Sac. Cong. Conc. emanato anno 1612. 16. Novembris juſſu Clem. 8., quod Decretum incipit: *Editum fuit aliàs &c.* Si poſteà in Bullâ Pontificiâ ſunt ſic in generali expreſſi caſus in Bullâ Cœnæ; adhuc excipiuntur duo; nempè: *Hæreſis formalis*, ut clarè conſtat ex Decreto Sac. Cong. Inqu. juſſu *Alex. VII.*, emanato ſub die 25. *Maji* 1656., in quo ſic legitur: *Cum crimen* hæreſis *præ cæteris graviſſimum, ſpeciali notâ dignum ſit; decrevit* facultatem abſolvendi ab hæreſi in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus, non cenſeri comprehenſum, *niſi præciſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi*. Alius caſus eſt: Violatio tàm directa, quàm indirecta Immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ; & hoc etiam clarè conſtat ex Decreto Sac. Cong. Immunit. emanato ſub die 10. *Aprilis anno* 1673., in quo eadem Sac. Cong. declaravit, Regulares non poſſe, nec etiam vigore Jubilæi abſolvere *violatores* tàm directè, quàm indirectè *Immunitatis*, & *Libertatis Eccleſiaſticæ*.

Vigore Jubilæi nequeunt Moniales eligere in Confeſſarium Sacerdotem non approbatum ad illarum confeſſiones excipiendas juxtà *textus Conſtit. Greg. XIII.*, *& Clem. VIII.*; & etiam, quia accedit ratio, nam ſicuti approbatus *reſtrictè* pro maſculis, idoneus non cenſetur pro fœminis, ità non approbatus *ſpecificè* pro Monialibus, cenſeri non debet pro illis idoneus.

In articulo, vel probabili periculo mortis, poteſt Confeſſarius opera in Bullâ præſcripta, in alia commutare; & etiam prævenire tempus, dummodo conſtet publicatum fuiſſe Romæ: ità *Filli. tr.* 8. *de Sacram. n.* 267., ubi alios citat.

Quando quis non habet intentionem, adimplendi opera impoſita pro lucrando Jubilæo; ſicuti non poteſt acquirere Jubilæum, ſic nec etiam abſolvi poteſt à reſervatis, nec diſpenſari in votis; & ratio eſt, quia deficit conditio, ſinè quâ, non poteſt lucrari Jubilæum, & conſequenter &c. Secùs dic. eſt, ſi habet intentionem adimplendi talia opera, licèt poſteà non adimpleverit; & ratio eſt, quia in tali caſu abſolutio cadit ſuprà præſentem bonam diſpoſitionem, & non ſuprà futuram malam voluntatem: nequè in hoc peccat mortaliter; ſecluſo tamen Jubilæi contemptu: ità *Sanchez*

diſp. 31. de pœnit. ſect. 4. num. 54., *Lugo*, *Gobat.*, & alii.

Peccata reſervata inculpabiliter omiſſa, in confeſſione facta pro acquirendo Jubilæo, poſſunt poſteà abſolvi, ideſt, remitti extrà tempus Jubilæi à quôcumque ſimplici Confeſſario, nullam habente facultatem abſolvendi à reſervatis: idem dic. eſt de commutatione, & diſpenſatione votorum: ità communiter cum *Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 54. num. 39.*, & idem dic., quando tempore Jubilæi incepta fuit confeſſio, quæ intrà tempus Jubilæi perfici non potuit, ſivè quia pænitens illam perficere nequivit materialiter integram; ſivè quia Confeſſarius prudenter judicat, meliùs eſſe in Domino, differre abſolutionem extrà tempus Jubilæi ex aliquo juſto motivo: adv. tamen eſt, quod in prædictis duobus caſibus, debet interim Confeſſarius tollere reſervationem, & commutare, ſivè diſpenſare vota.

Quæritur primò, an datis prædictis duobus caſibus, ſi pænitens intrà ſpatium talis temporis incidit in alios caſus reſervatos, poſſit vigore Jubilæi etiam ab iſtis abſolvi? Reſp *affirmativè*; & ratio eſt, quia nondùm acquiſivit Jubilæum, & conſequenter &c.

Quæritur ſecundò, an bis acquiri poſſit Jubilæum, licèt etiam ſecundâ vice præſtentur opera in Bullâ præſcripta? Reſp. hoc eſſe controverſum inter DD., & licèt affirmativa opinio, quam tenet *Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 11. num. 1.* non fuerit aliàs improbabilis; attamen nunc omnimodâ probabilitate caret, cum teſte *Filli. tract. 8. de Sacram. num. 261.*, ità declaratum fuerit à *Sac. Cong. Conc. anno* 1620., & *cit. Filli. n. 278.* dicat, ità reſpondiſſe *Clementem Octavum*.

Quæritur tertiò, an peccatum reſervatum, commiſſum in *ſpe Jubilæi*, abſolvi poſſit ex vi Jubilæi? Reſp. eſſe controverſum apud DD., licèt affirmativa opinio probabilior eſſe videatur, cujus potiſſima ratio eſt, quia favorabilia numquam ſunt reſtringenda, ut eſt in confeſſo apud Theologos, & Juriſperitos, niſi aliqua lex ſingularis in contrarium præcipiat.

Judex quatuor habere debet: *legitimam poteſtatem*; *veritatem*; *formam Juris*; *vim executionis*: quadruplex poſteà datur poteſtas legitima; nempè: *ordinaria*; *delegata*; *arbitraria*; *acceſſoria*: Veritas duplex eſt; ſcilicet: *in ſe*, & juxtà *allegata*, & *probata*, & hæc prævalet in Judicio: Forma Juris conſiſtit in quatuor: 1. quod adſit ſaltem ſemiplena probatio; 2. in ferendâ ſententiâ juxtà leges, & jura; 3. in qualitate, & quantitate ſententiæ;

tentiæ; 4. in præparatoriis, concedendo juſtos terminos Juris pro defenſionibus.

Judex, ne in agendo peccet, memoriæ ſemper præſentes habere debet infraſcriptos duos verſiculos *Additionatorum ad Gloſſam in cap. Cauſam*, quæ de officio, & poteſtate Judicis delegati ſunt.

Quatuor iſta: Timor: Odium: Dilectio: Cenſus;
Sæpè ſolent Hominum rectos pervertere ſenſus.

Licèt juxtà *D. Thom. quæſt. 67. art. 2.*, & communem Theologorum, & Juriſtarum ſententiam, Judex teneatur judicare juxtà allegata, & probata; & hoc non obſtante, quod habeat certitudinem ſummam de oppoſito; attamen ſi nulla alia via, vel modo poteſt liberare unum innocentem, qui ſecundùm allegata, & probata condemnari debet ad mortem, tenetur ſecundùm *Maſtrium diſt. 6. Theol. Moral. num. 25.*, & alios, à ſe abdicare tale judicium; & hæc opinio non tantùm eſt tutior, ſed etiam probabilior; & ratio eſt, quia occiſio directa innocentis eſt intrinſecè mala, Juri Divino, & naturali contraria juxtà illud in *Exodo c. 22. Inſontem, & Juſtum non occides*: cùm autem lex, quæ obligat ad judicandum juxtà allegata, & probata ſit humana; & lex, quæ præcipit non occidere Innocentem, ſit Divina; conſequenter Divina prævalere debet humanæ; ac proindè &c.

Quæritur primò, an Judex condemnare poſſit unum, quem certò ſcit etiam de viſu proprio eſſe reum, licèt nec adſit ejus confeſſio, nec probatio per teſtes? Reſp. *negativè*; & ratio eſt, quia Judex tenetur ſervare Juris ordinem in judicando juxtà allegata, & probata, niſi tamen ſit Judex ſupremus, ut Princeps abſolutus, & hoc ſolùm ad impediendum publicum malum grave.

Quæritur 2., an ſit licitum Judici ſequi opinionem verè probabilem relictâ probabiliori, & magis tutâ? Reſp. *negativè* non ſolùm in *materiâ facti*, ut eſt communiſſima Theologorum opinio; ſed etiam in *materiâ Juris*, ut conſtat ex Propoſ. damn. ab Innoc. XI. 2. in ordine, & infrà ponenda.

Qualis ſit differentia, quæ verſatur inter Judicem, & Advocatum quoad eorum munera? Vide ſub verbo ly *Advocatus*.

Alex. VII. Propoſ. damn. 26. in ordine: Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles; poteſt Judex accipere pecuniam pro ferendâ ſententiâ in favorem unius præ alio; & Propoſ. 28.

28 Populus non peccat, licèt abſque ullâ cauſâ, non recipiat legem, à Principe promulgatam. In-

Innoc. XI. Propoſ. damn. 2. in ordine: Probabiliter exiſtimo, Judicem judicare poſſe juxtà opinionem, etiam minùs probabilem.

Judicium temerarium, *eſt firmus aſſenſus de re aliquâ ex levibus indiciis*: ità in re communiter: eſt peccatum mortale ſi quinque conditiones ſimul concurrunt: 1. aſſenſus; 2 quod talis aſſenſus ſit firmus, ideſt, ſinè formidine oppoſiti; 3. quod fiat ex levibus indiciis; 4. quod talis firmus aſſenſus, ex levibus indiciis factus, præſtetur ex plenâ deliberatione, ideſt, quod poſt actualem advertentiam ad id, quod cogitatur, illi poſteà præſtetur firmus aſſenſus; 5. quod talis firmus aſſenſus verſetur circà materiam mortaliter peccaminoſam: ità communiter DD. cum *D. Tho. 2. 2. q. 6. art. 3.*

Juramentum ex D. Auguſt. de Sermone Domini in Monte c. 17. *eſt invocatio Divini teſtimonii in dicti alicujus confirmationem*: duplex eſt; nempè: *explicitum*, & *implicitum*: Primum, ideſt, *explicitum* eſt illud, in quo expreſsè invocatur Deus, ut ſic dicendo: *Juro per Deum*: *Per Deum res ità ſe habet*: *Deum teſtem invoco*: *Deus ſit mihi teſtis*, & hujuſmodi: Secundum, ideſt, *implicitum* eſt illud, in quo *implicitè tantùm* invocatur Deus, ut ſic dicendo: *Per Sanctum Evangelium*: *Per Sanctam Fidem Catholicam*, & hujuſmodi, & hæc ſunt verè, & propriè juramenta, quia utrôque modo invocatur Deus in confirmationem illius rei, quæ cum juramento aſſeritur, vel negatur: ità communiter DD.

Juramentum poſteà, in quo neque *explicitè*, neque *implicitè* invocatur Deus eſt, v. g. ſic dicendo: *Per fidem meam*: *Per honorem Sacerdotalem*: *coram Deo hoc dico*: *Deus ſcit me dicere veritatem*: *Deus videt ita eſſe*, & hujuſmodi; non ſunt verè, & propriè juramentum, cum in talibus, & ſimilibus jurandi modis, neque *explicitè*, neque *implicitè* invocetur Divinum teſtimonium, ut liquet ex juramenti definitione, à Divo Auguſtino tradita.

Species juramenti ſunt quatuor: nempè: *Aſſertorium*; *Promiſſorium*; *Comminatorium*; *Execratorium*: In juramento falſo aſſertorio, ſicuti & in juramento facto ſinè intentione jurandi; & in juramento, quod fit ſinè intentione exequendi id, ad quod jurans, ſe obligat facere, non datur parvitas materiæ.

Conditiones juramenti ſunt tres; nempè: *Veritas*; *Juſtitia*; *Neceſſitas*: deficiente veritate ſemper eſt peccatum mortale: idem dic.,

dic., ſi deficit juſtitia, & utrâque deficiente, eſt duplex peccatum: unum contrà Religionem, quod eſt ſacrilegium, & alterum contrà juſtitiam, quod eſt mortale, ſi eſt de re gravi: deficiente neceſſitate non eſt niſi peccatum veniale, ſecluſo tamen periculo perjurandi propter conſuetudinem jurandi: ità communiter DD.

Veritas poſteà juramenti triplex eſſe poteſt: 1. quando objectum juramenti conformatur *menti*, & *rei*; 2. quando conformatur *menti*, ſed non conformatur *rei*; & in hoc caſu, ſi non fuit adhibita debita diligentia pro ſciendâ veritate, eſt peccatum mortale; 3. quando conformatur *rei*, ſed non conformatur *menti*; & etiam in hoc caſu eſt peccatum mortale, licèt juramentum ſit factum cum veritate; & ratio eſt, quia tale juramentum fuit factum contrà dictamen propriæ conſcientiæ, & conſequenter &c.

Juramentum *promiſſorium* quinque conditiones ſeorſim ſumptas includere poteſt: 1. ſi potero; 2. ſi erit licitum; 3. niſi Prælatus aliter ex juſtâ causâ diſponat; 4. ſi illi, in cujus gratiam fit, placebit, vel niſi remittet; 5. niſi rei conditio mutata fuerit in deteriùs, ideſt, dummodo rès in eôdem ſtatu permaneat, ut eſt de præſenti.

Quodlibet juramentum *promiſſorium*, factum cum intentione jurandi (ſi eſt de materiâ licitâ) obligat ſub mortali, quatuor caſibus exceptis: 1. ſi ex adimpletione juramenti, ſuperventurum eſſet aliquod grave damnum; 2. vel aliquid impeditivum majoris boni; 3. quando ceſſat ratio juramenti; puta, ſi moritur Dominus, cui unus ſervus juraverat ſervire toto tempore vitæ ſuæ; 4. ratione modi jurandi, ut quando quis irâ motus in actu primo primi aliquid jurat, licèt de materiâ licitâ; & etiam ſi in illo actu habeat intentionem adimplendi juramentum.

Juramentum factum de *re levi*, ideſt, quaſi indifferente; ſi habet pro fine motivum honeſtum; puta, juramentum non ludendi ad aleas pro evitandis blaſphemiis, quas quis profert, licèt ludus ſit ſolùm recreationis gratiâ, obligat: ſecùs dic. ſi motivum eſt frivolum; puta, eo quia interiùs conturbetur, videns, quod fortuna eſt ſibi adeò contraria.

Juramentum traditum per errorem, qui eſt *antecedens* ad ſubſtantiam rei promiſſæ, ideſt, dans cauſam promiſſioni juratæ, non obligat in foro conſcientiæ: ſecùs dic. ſi eſt *concomitans* ſubſtantiæ rei juratæ, ideſt, non dans cauſam promiſſioni juratæ.

Juramentum non obligat in tribus caſibus: 1. quando eſt contrà juſti-

juſtitiam; 2. quando eſt contrà meliora bona; 3. quando eſt ob ſolam utilitatem jurantis, niſi ſit ſpiritualis.

Numquam licitum eſſe poteſt, exigere juramentum ab illis, quos probabiliter timetur eſſe perjuraturos; vel juraturos per falſos Deos, niſi qui exigit ſit perſona publica, ut Judex ex officio, & etiam non niſi exigente juſtâ, & gravi neceſſitate; immò nec etiam ab illo, quem probabiliter timetur eſſe juraturum falſum, putando bonâ fide, ſe jurare verum: ità *Herinez diſp. 6. de Relig. n. 36.* Jurare cum reſtrictione mentali eſt ab Eccleſiâ damnatum: nec etiam licitum eſt jurare in alieno ſenſu, maximè quando quis ſpontè ſe offert ad jurandum, vel legitimè compellitur à Judice ad jurandum: ità communiter DD.

Nemo annullare poteſt juramentum factum in favorem tertii, niſi in tribus caſibus: 1. in pænam; 2. quando juramentum fuit extortum vi, vel metu gravi; fraude, vel dolo; 3. quando conditio rei juratæ mutata eſt in deterius.

Adv. eſt, quod Clem. XII. in ſuâ Conſtit., quæ incipit: *Romanus Pontifex* anno 1732. die 3. Calendas Aprilis revocavit quæcumque privilegia quibuſcumque conceſſa *relaxandi quæcumque juramenta*, licèt ſint ſinè ullo alieno damno, vel præjudicio.

Innoc. XI. Propoſ. damn. 24. in ordine: Vocare Deum in teſtem alicujus levis mendacii, non eſt tanta irriverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem; & Propoſ. 25.

25 Cum causâ licitum eſt jurare ſinè intentione jurandi, ſivè res ſit levis, ſivè gravis.

Juriſdictio conceſſa per errorem, qui verſatur circà ſubſtantiam Perſonæ eſt nulla: valida, ſi error verſatur ſolùm circà accidentia Perſonæ.

Jus *eſt legitima poteſtas, quam quis habet ad aliquam rem obtinendam, vel retinendam; vel ad aliquid faciendum, ità ut ab illius rei obtentione, vel retentione; aut ab illâ actione faciendâ licitè impedire nequeat*: ità Maſtrius *diſt. 3. Theol. Moral. num. 2.*

Jus dividitur in *Jus ad rem*, & in *Jus in re*: Primum, ideſt, *Jus ad rem* eſt, quo res ipſa, nondum eſt affecta, ſeù obligata, ſed ſolùm habetur Jus in ordine ad acquirendam poſſeſſionem, & dominium illius rei, antequam actu poſſideatur: *Jus in re* eſt illud, quod tribuit actionem in rem ipſam, quæ actu poſſidetur, & iſtud habe-

habetur per legitimam hæreditatem, & per quoſcumque licitos, & validos contractus: & loquendo de Beneficiis Eccleſiaſticis; per actualem illorum collationem, reſſignationem, vel Inveſtituram.

Jus poſteà genericè ſumptum, dividitur in *naturale*, & *poſitivum*, quæ inter ſe quinque modis differunt: 1. quia cauſa efficiens Juris naturalis eſt Deus; poſitivi verò eſt Homo; 2. quia regula Juris naturalis eſt lex æterna; poſitivi autem lex humana; 3. quia Jus naturale obligat ſingulos, & omnes, licèt infideles; poſitivum verò, ſolummodo ſubditos legislatoris; 4. quia Jus naturale ſimpliciter, & per ſe, eſt immutabile; poſitivum autem mutabile; 5. quia, quæ ſunt contraria juri naturali, ſunt prohibita, quia mala, & conſequenter prohibent etiam actus internos; quæ verò ſunt contraria juri poſitivo, ſunt mala, quia prohibita, & conſequenter non ſe extendunt, niſi ad actus externos.

Porrò Jus naturale duplex eſt; nempè: *primævum*, & *ſecundarium*: Primævum eſt, quod natura docuit omnia animalia, ut in *principio tit. Inſtit. de Jure naturali Gentium, & Civili*, & convenit omni Homini, ſed non ſoli Homini, quia idem eſt, ac inſtinctus naturæ: Secundarium idem eſt, ac *Jus Gentium primævum*, & eſt illud, quod apud omnes Gentes obſervatur, ut patet ex *Tex. cit. §. Jus autem Gentium*; & ex *Sac. Geneſi cap. 9., eſt autem mos univerſæ Terræ &c.* Hoc Jus Gentium *primævum*, quale eſt Religio ergà Deum; pietas ergà Parentes, & Patriam, permanſit in ſtatu *naturæ integræ*, ideſt, quando eramus in ſtatu innocentiæ antè peccatum Adami protoparentis noſtri: in ſtatu verò *naturæ lapſæ*, ideſt, poſt peccatum; introductum fuit Jus Gentium *ſecundarium*, ex quo dominia, & ſervitutes; meum, & tuum frigidum illud verbum, tot litium, & bellorum origo, ut dicunt DD. ad *cit. Textum*.

Dividitur etiam Jus in *Jus Canonicum*, & *Jus Civile*: Primum, ideſt, *Jus Canonicum*, hoc eſt, *Pontificium* conſtat ex Decreto Gratiani; ex Decretalibus Greg. IX.; ex Sexto Bonifacii VIII., ex Clementinis Clem. V., ex Extravagantibus Jo:XXII., & ex Extravagantibus communibus. Secundum, ideſt, *Civile*, aliud eſt generale, & aliud particulare: *Generale* eſt Jus Romanum, hoceſt, Cæſareum, conſtans ex Digeſtis, Codice, Inſtitutionibus, & Authenticis: *Particulare*, ideſt, *municipale* eſt illud, quod quælibet Provincia per Conſtitutiones; vel Civitas per Statuta conſtituit.

Jus

I

Jus patronatus *eſt legitima poteſtas, quam quis habet præſentandi Clericum ad Beneficium Eccleſiaſticum*: Dividitur in *Eccleſiaſticum*, *Laicalem*, & *Mixtum*: Primum, ideſt, *Eccleſiaſticum* eſt illud, quod fuit factum ex Bonis Eccleſiæ: *Laicale* eſt illud, quod fuit fundatum ex propriis Bonis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus: *Mixtum* eſt illud, quod ex Patronis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus coaleſcit.

Iuſpatronatus tribus potiſſimùm modis acquiritur; nempè: ex *fundatione*; ex *ædificatione*; ex *dotatione*, & ità habetur ex *Gloſsâ* communiter receptâ in *cap. Piæ mentis 16. quaſt. 7.*, & ex *Trid. ſeſſ. 14. de ref. cap. 12.* Generatim tribus modis ab uno in alium transfertur; nempè: *Succeſſione*; *Permutatione*, & *Donatione*: Vendi non poteſt ſinè ſimoniâ, ut clarè conſtat ex *cap. de Jurepatron.*

Laici de Jure antiquo, in Eccleſiis etiam per eos ædificatis, vel dotatis, nullum Jus habebant, ſed ſtatim ipſæ Eccleſiæ cum dotibus ſuis ad ordinationem Epiſcoporum pertinebant, ut patet ex *cap. Decretum*; *cap. Noverint 10. q. 1.*, *& notatur in cap. Piæ mentis 16. q. 7.* Succeſſivè poſteà ad illa tempora; Eccleſia conſtituit, ut ipſi Patroni haberent in Eccleſiis, vel Capellis certa Iura, prout expreſsè conſtat ex *cap. Nobis dic. tit.*, quæ Jura ſunt in triplici differentiâ: nempè: *Honorificum*; *Onerosum*; *Utile*: Dicitur ly *Honorificum*, per quod deſignatur, quod plures honores competunt Patrono in Eccleſiâ patronatâ, ut honor præſentandi Clericum &c. Dicitur *Oneroſum*, per quod ſignificatur, Patronum teneri defendere Eccleſiam ab impugnationibus; & de rebus Eccleſiæ habere ſolicitudinem, ne fraudentur: Dicitur *Utile*, per quod denotatur, quod ſi Patronus pervenerit ad inopiam, modeſtè alatur de Bonis Eccleſiæ, ut conſtat ex *cap. Nobis cit. tit.*; & hoc maximè, ſi Eccleſia fructibus abundet, & ſupereſſe poſſit aliquid ultrà neceſſarias expenſas pro Eccleſiâ: ità *Piaſecus prax. p. 2. c. 5. a. 1. n. 19.*

Dixi ſuprà, quod tribus modis acquiritur *Juſpatronatus*; nempè: *Fundatione*; *Ædificatione*; *Dotatione*, quod intelligendum eſt, licèt unus det fundum; alter conſtruat; & alius dotet, in quo caſu omnes in ſolidum efficiuntur Patroni, ut patet ex *cap. Piæ mentis*; *cap. Frigentius*; *cap. Quicumque 16. q. 7.*, & communiter: quod ſi poſteà accideret, quod Eccleſia à multis annis eſſet fundata; & poſteà conſtructa, ſed non dotata; & ſucceſſu longi

tem-

I

temporis ab alio dotaretur: tunc Juſpatronatus pertineret ad eum, qui de conſenſu Epiſcopi, illam competenter dotaret, ut conſtat ex *Trid. ſeſſ.* 14. *de ref. cap.* 12.

Juſpatronatus, ſi eſt *hæreditarius*, tranſire poteſt ad quoſcumque Patroni hæredes, tàm ſanguinis, quàm extraneos: ſi eſt *Gentilitius*, ſivè *Familiaris*, tranſire non poteſt, niſi ad illos, qui ſunt de ſanguine, & Familiâ Fundatoris, ut ſunt Filii, Nepotes, & Conſanguinei.

Patronus non poteſt habere locum in Choro, & Presbyterio, quando celebrantur Divina Officia juxtà *Decretum Conc. Mogontini* relatum in *cap. Ut Laici de vit., & honeſt. Cler.*

Patrono *Eccleſiaſtico*, conceditur tempus ſex menſium à die vacationis Beneficii; & *Laico* tempus quatuor menſium ad præſentandum; quod ſi intrà tale tempus præſentare negligunt; collatio devolvitur ad illum Superiorem, ad quem pertinet inſtitutio, ut habetur ex *cap. un. de Jurepatro. in* 6.; Devolvitur etiam in aliis tribus caſibus: 1. ſi Patroni ſunt plures, & intrà dictum tempus de Perſonâ præſentandâ non concordant; 2. ſi Perſona à majori parte Patronorum præſentata; repugnantibus aliis, non poſſit ſinè ſcandalo ſubſtitui; 3. Si de Jurepatronatus contingat lis, & intrà dictum tempus, non fuit definita, cui competat. *cap. Quoniam* 3. *de Jurepatr.*

Adv. eſt, quod ſi Patronus ſivè per abſentiam, ſivè per quodcumque aliud accidens, inculpabiliter ſcire nequit mortem Beneficiarii; tunc tenetur Epiſcopus eum monere, & ſi non monet, & Patronus intrà præſcriptum tempus non præſentat, non ideò amittit Jus præſentandi.

Ratio cur Patrono *Eccleſiaſtico* concedantur ſex menſes ad præſentandum, & *Laico* ſolùm quatuor, eſt, quia poſtquam *Eccleſiaſticus* aliquem præſentavit, non poteſt ampliùs intrà ſuum tempus alium præſentare, quod facere poteſt *Laicus*, ut habetur ex *cap. Cum autem* 24. *Paſtoralis* 29. *de Jurepatron.*

Quæritur, an Patronus præſentare teneatur digniorem? Reſp. cum diſtinctione, & primò *affirmativè*, ſi tamen Patronus eſt Eccleſiaſticus, & Beneficium habet annexam curam animarum, ut communiter tenent DD. cum *Caſtropal. par.* 2. *tr.* 13. *diſp.* 2. *pu.* 7., & prætereà ſic habetur ex *Trid. ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 1. Reſp. 2. *negativè* ſi Patronatus eſt laicalis; & aliàs non habet annexam curam animarum; tenetur tamen Patronus in hoc caſu, præſentare

I

Perſonam idoneam, nam ſi eſt indigna, & in tali Perſonâ indignâ Patronus perſiſtit; poteſt Epiſcopus conferre Beneficium alteri Perſonæ, aliàs dignæ, ut colligitur ex *cap. 2. de transl. Epiſc.*, & ex *cap. tuæ de Cler. non reſid.*

Juſtificatio eſt acceptio alicujus creaturæ rationalis, à Deo ad gratiam in præſenti, & ad gloriam in futuro: ità in re communiter.

Dominus, & Salvator noſter Jeſus Chriſtus, à quôdam interrogatus, quid illi faciendum erat, ut *juſtificari mereretur*, ut legitur in *Matt. cap. 19.*, ſic illi reſpondit: *Serva mandata*. Sciebat Jeſus Chriſtus, quod in Mundo multi debebant eſſe Anti-Chriſti, qui ad magis dilatandam illam latam, & ſpacioſam viam, quæ ducit ad perditionem, aſſerere, & docere debebant homines juſtificari per ſolam Fidem ſinè merito bonorum operum in executione mandatorum Dei; ideò non reſpondit: *Crede firmiter*, quod ſis juſtificatus, & per talem credentiam remanebis juſtificatus: ſed dixit: *Serva mandata*.

Simon Magus primogenitus Diabuli, & Pattiarca omnium Hæreſiarcarum, qui fuerunt in Mundo ab Aſcenſione Domini uſque nunc, fuit ille primus Anti-Chriſtus, qui docuit homines juſtificari per ſolam fidem; undè S. Irenæus, qui vixit in ſecundo ſæculo, de nequiſſimo hoc homine ſic ſcripſit in *lib. 1. cap. 20.* *Hi, qui in eum ſpem habebant, ut liberos agere, quæ velint: ſecundùm enim ipſius gratiam ſalvari homines, ſed non ſecundùm operas juſtas.*

Secundus, & tertius, qui propagarunt hanc hæreſim fuerunt *Cherintus* in ordine Hæreſiarcarum ſecundus, & *Menander* in ordine quintus, ut refert *S. Juſtinus*, qui vixit in ſæculo ſecundo *in Apol. ſecundâ Cherintus enim docebat, quod Infantes ſinè Baptiſmo mortui, ſalvari poterant ex merito ſolius Fidei, & precum Parentum*; *& quod* in adultis ſola fides *requiritur pro æternâ ſalute conſequendâ.*

Quartus, qui ſuperſeminavit Dominico tritico hanc peſſimam zizaniam, fuit Hæreſiarca Eunomius, de quo *S. Auguſtinus hæreſ. 74.* ſic ſcripſit: *Fertur Eunomium uſquè adeò fuiſſe bonis moribus inimicum, ut aſſeveraret, quod nihil cuiquam obeſſet quorumlibet perpetratio, ac perſeverantia peccatorum, ſi hujus, quæ ab illo docebatur fidei particeps eſſet.*

Lutherus, & Calvinus prædictorum Hæreſiarcarum veſtigia ſequen-

I

ſequentes; licèt in pluribus fidei articulis, ſint adeò inter ſe oppoſiti, ut adinvicem improperiorum, contumeliarum, & convitiorum dentibus, ut canes rabie ſpumantes, ſe dilanient, ut dixi ſub verbo ly *Hæreſis*; in aſſerendo tamen homines juſtificari per ſolam Fidem ſinè merito bonorum operum, ſicuti olim docuerunt Simon Magus, Cherintus, Menander, Eunomius Hæreſiarchæ execrati, quorum doctrina à primæva Eccleſiâ fuit damnata; facti ſunt adinvicem amici, ſicut Hærodes, & Pilatus in proditione Chriſti. Lutherus ergo, & Calvinus circà Juſtificationem pari paſſu currunt, illam ponentes in ſolâ fide ſinè merito bonorum operum; licèt aliàs Calvinus hoc addat, quod, ſcilicet, fides ſit cum firmâ credentiâ Juſtificationis.

Ad probandam poſteà ſuam hæreticalem doctrinam, adducunt *Apoſtolum*, qui in *Epiſt. ad Rom. cap.* 2. ſic ſcripſit: *Nos juſtificari gratis, ac ſinè operibus legis*; ex hoc inferentes, quod pro Juſtificatione, non ſint neceſſaria opera: verùm; ſi attentè legiſſent totam illam Pauli Epiſtolam, auſi non fuiſſent, talem inferre illationem, cum Spiritus Sanctus ſibi ipſi contradicere nequeat, ſicuti de facto ſibi contradixiſſet, ſi talis illatio verificari poſſet, nam in eâdem Epiſt. cap. 8. ſic legitur: *Non enim* auditores *legis juſti erunt apud Deum, ſed* factores *legis juſtificabuntur*. Senſus ergo *tex. cit.* eſt, ut dicit S. Auguſt., & cum eo paſſim omnes vetuſtæ Eccleſiæ Patres, quod Apoſtolus ibi loquebatur de *legibus ceremonialibus*, *jam per legem gratiæ abolitis*, ut etiam fatetur ipſe met Calvinus diſertiſſimis his verbis: *Equidem fateor Paulum illic* (ideſt nos gratis juſtificari, ac ſinè operibus legis) *de ceremoniis tractare*: *quia illi cum Pſeudo-Apoſtolis pugna eſt*, *qui* veteris legis umbras, Chriſti adventu abolitas, *reducere in Chriſtianam Eccleſiam moliebantur*: ità Calvinus *Inſtit. lib.* 3. *cap.* 19. *ſect.* 3.

Adducunt 2. cit. Apoſt. in cit. epiſt. cap. 10. dicentem: *Hominem juſtificari per* fidem, *&* gratis *per* fidem: Hæc objectio, quæ Hæreticis videtur inextricabilis, nihil prorsùs urget. Et quis eſt inter baptizatos adultos, qui inculpabiliter ignorare poſſit homines juſtificari primò per fidem, cum fides ſit principium ſalutis æternæ; fundamentum, & radix omnis Juſtificationis? Sinè fide impoſſibile eſt placere Deo, ait idem Apoſt., quæ fides tamen debet eſſe operoſa, cum Jacobus in ſuâ Epiſtolâ Catholicâ, proteſtetur inanem, & mortuam eſſe fidem ſinè operibus, in cujus confirma-

tionem

I

tionem *S. Auguſt. lib.83. quæſt. 76.* ſic ait; *Quapropter non ſunt ſibi contrariæ duorum Apoſtolorum Pauli, & Jacobi ſententiæ, cum unus dicit juſtificari hominem* ſinè operibus legis; *alt er verò* inanem, & mortuam *eſſe fidem* ſinè operibus; *quia ille dicit de operibus, quæ fidem* præcedunt; *iſte de iis, quæ fidem* ſubſequuntur, *ſicut etiam Apoſtolus Paulus, multis in locis oſtendit*. Concludendum ergo eſt, quod homo juſtificatur per fidem, & gratis per fidem, quia nihil eorum, quæ Juſtificationem præcedunt, ſivè fides, ſivè opera, ipſam Juſtificationis gratiam promeretur; nam ſi gratia eſt, ergo non ex operibus, aliter gratia non eſſet gratia, ut ait idem Apoſt.; ſed quia ex Jacobo fides ſinè operibus mortua eſt, & Spiritus Sanctus non poteſt ſibi contradicere; ideò concludendum eſt, certiſſimum eſſe hominem juſtificari gratis per fidem, ſed quod talis fides, debet eſſe operoſa pro æternâ ſalute conſequendâ, juxtà reſponſionem à Jeſu Chriſto datam: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; & juxtà doctrinam *Apoſt. ad Gal. cap. 5.*, ubi dicitur, *quod in Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem* OPERATUR.

Urgent poſtremò Hæretici, & ſic arguunt: Deus eſt infallibilis: ergo non poteſt mutari: Deus ſcit ab æterno quinam ſint prædeſtinati, & quinam ſint præſciti: ergo opera non ſunt neceſſaria pro æternâ beatitudine conſequendâ &c.

Reſpondeo primò affirmando Deum eſſe ſicuti infallibilem, ità immutabilem; & quod Deus ſcit ab æterno quinam ſint prædeſtinati; & quinam ſint præſciti, negando poſteà conſequentiam, cujus negationis ratio eſt, quia cum Deus ſciat ab æterno quinam ſint electi, & quinam ſint reprobi; ſcit etiam ab æterno, quod opera electorum in genere moris, erunt bona, & conſequenter æternæ beatitudinis meritoria; ſicuti à contrario ſenſu de reproborum operibus; & hoc evidentiſſimè conſtat ex Apocalyp. c.14., ubi ſic eſt ſcriptum: *Beati, qui in Domino moriuntur; opera enim illorum ſequuntur illos*: ergo opera, quæ antè mortem fecerunt, & poſt mortem ſequuntur illos, illos beatos fecerunt: ergo juxtà opera in genere moris bona, vel mala, Deus ab æterno elegit, vel reprobavit.

Reſp. ſecundò, quod ſi Hæreticorum argumentum, aliquam licèt minimam ſubſiſtentiam haberet; nullus hominum meliùs ſciret, quàm Diabolus, qui in naturalibus, non fuit læſus: & tamen Diabolus tamquam ſi nulla daretur prædeſtinatio, ſed omnia ex hominum

Digitized by Google

num induſtriâ penderent; tentando, inſidiando, perſuadendo, decipiendo, mentiendo, objecta repreſentando, occaſiones offerendo, die, nocteque mille nocendi artes moliendo, nihil intentatum relinquit, omnia intentat, ut homines ſeducat, trahatque ſecum ad inferos. Quis ergo tantùm inſaniat, ut credat, ſe, aliquid argumentando inveniſſe, quod nec Diabolus invenit? Aut meliùs logicam calere, quàm caleant Dæmones? Quâcumque ergo ex parte dilemma Hæreticorum expendatur, vaniſſimum eſt, & omnium hominum, Dæmonumque judicio plenè falſiſſimum: ceſſarent enim omnes inſidiæ, & omnes tentationes, ſic Diabulo philoſophante: Aut Judas eſt prædeſtinatus, aut eſt præſcitus: ſi prædeſtinatus; fruſtrà illum tento: ſi præſcitus, amitto tempus, & operam, quia etiam me non tentante, & nihil agente, mecum erit in æternâ damnatione.

Regius Propheta deſiderio fragrans, ſciendi quinam eſſent electi pro Paradiſo, ſic ad Deum oravit: *Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo? Aut quid requieſcit in Monte Sancto tuo?* Dei reſponſio fuit iſta: *Qui ingreditur ſinè maculâ, &* operatur *juſtitiam: Qui loquitur veritatem in corde ſuo; qui non egit dolum in linguâ ſuâ; nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium, non accepit adversùs proximos ſuos: Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus; timentes autem Dominum glorificat. Qui jurat proximo ſuo, & non decipit; qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram; & munera ſuper innocentem non accepit.* QUI FACIT HÆC, NON MOVEBITUR IN ÆTERNUM.

Prædicta ſupplicatio: *Domine, quis habitabit &c.* fuit facta à David, Viro ſecundùm cor Dei: reſponſio fuit data ab ipſo Deo: Senſus litteralis, nullius indiget expoſitionis: Totum, quod continetur in prædicta reſponſione, nihil aliud eſt, quàm obſervantia mandatorum Dei: ergo qui vult habitare in Tabernaculo Dei, & requieſcere æternaliter in Monte Sancto ejus, debet neceſſariò ſervare mandata Dei: ergo qui vult juſtificari non ſolùm debet credere, ſed etiam debet neceſſariò ſervare præcepta.

Confirmatur hæc veritas authoritate Sacræ Scripturæ pluribus in locis: in Epiſt. 1. S. Petri Apoſtolorum Principis cap. 2. ſic eſt ſcriptum: *Chriſtus paſſus eſt pro vobis, relinquens nobis exemplum, ut ſequamur* opera *ejus* -- & cit. Epiſt. cap. 1. *Et ſi Patrem invocatis eum, qui ſinè acceptione perſonarum judicat ſecundùm*

cundùm uniuſcujuſcumque OPUS — Et in Epiſt. 2. cap. 1. ſic: *Satagite, ut per* bona opera, *certam veſtram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim* facientes, *non peccabitis aliquando; ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini noſtri* — In Epiſt. Apoſt. ad Rom. cap. 6. *Deus reddet unicuique ſecundùm* opera *ejus* — In Epiſt. ad Titum cap. 2. *Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam . . . . In omnibus te ipſum præbe exemplum* bonorum operum. — In lib. Tobiæ cap. 12. *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſina magis, quàm theſauros auri recondere, quoniam eleemoſina à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.*

Orthodoxi vetuſtæ Eccleſiæ Patres; ſicuti hanc innegabilem veritatem agnoverunt, ſic illam poſteris in eorum ſcriptis reliquerunt: S. Cyprianus in lib. de Unit. Eccl. circà med. ſic ſcripſit: *Juſtitiæ opus eſt, ut* promereri, *quis poſſit Deum:* præceptis, & monitis ejus obtemperandum, *ut accipiant* merita noſtra *mercedem* — S. Baſilius Orat. in init. lib. Proverb. ſic: *Omnes, qui viam Evangelicam incedimus, mercatores ſumus*, per opera mandatorum, *nobis poſſeſſionem cæleſtium comparantes* — S. Hieronymus lib. 4. Comm. in cap. 23. Matt. ſic: *Dominus cum dediſſet mandata legis per Moyſen; ad extremum, intulit hæc verba:* ligabis ea in manu tuâ, & erunt immota antè oculos tuos; *& eſt ſenſus: Præcepta mea ſint in manu tua*, ut opere compleantur: *ſint antè oculos tuos, ut die, ac nocte* mediteris in eis. — Sanctus denique Auguſtinus (alios prætereo, ne promiſſæ brevitatis terminos excedam) ille Auguſtinus, dico, tàm ab Hæreticis veneratus, ut idem *Calvinus* aſſerere non dubitaverit in *lib. 4. Inſtit. cap. 14. ſect. 26.*, quod ex totâ antiquitate ſit optimus, & fideliſſimus teſtis; *in lib. de fide, & operat. cap. 14.* ſic ſcripſit: *Jam illud videmus, quod excutiendum eſt à cordibus Religioſis, ne malâ ſecuritate, ſalutem ſuam perdant, &* bonis operibus, *viam Dei tenere neglexerint:* Et cap. 15. circà medium ſic: Si mandatis non ſervatis, *ad vitam veniri poteſt* per ſolam fidem, quæ ſinè operibus mortua eſt: *illud deindè, quomodo verum erit, quod eis, quos ad ſiniſtram poſiturus eſt, dicet: ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabulo, & Angelis ejus; nec increpat; quia in eum* non crediderunt, *ſed quia* opera bona non fecerunt... *Erit ergo æterna combuſtio, ſicut ignis æternus, & eos in illum ituros* Veritas *dicit*,

cit, quorum non fidem, ſed bona opera defuiſſe *declaravit*.

Quid clariùs, quid evidentiùs ex authoritate Sacræ Scripturæ, & ex teſtimonio Orthodoxorum primitivæ Eccleſiæ Patrum ad ſolatium Catholico-Romanorum, & perpetuam Hæreticorum confuſionem? Si nolunt credere, & confiteri, quod pro Juſtificatione, ultrà fidem, ſunt neceſſaria opera bona; ideò eſt, quia *malunt clauſis oculis in Montem offendere, quàm oculis apertis in illum aſcendere*, ut ait D. Auguſtinus.

Juſtitia, ut Virtus Cardinalis, generatim ſumpta, *eſt virtus, quâ Deo, ſibi, & proximo tribuitur, quod ſuum eſt*: ità in re communiter: dividitur in *Legalem*, *Commutativam*, & *Diſtributivam*: Prima, ideſt, *Legalis* eſt, quæ inclinat ad *obſervantiam legum*, quæ ſunt ad bonum commune ordinatæ; *Commutativa* eſt, quæ *æqualitatem* juxtà proportionem *arithmeticam* conſtituit per ſe, ideſt, *rei ad rem*; *Diſtributiva* eſt, quæ *æqualitatem* juxtà proportionem *geometricam* conſtituit per ſe, ideſt, *proportionis ad proportionem*, ſivè *rei* ad *perſonam*: ſicque medium juſtitiæ *commutativæ*, eſt medium *rei*; & medium *diſtributivæ*, eſt medium *rationis*.

Juſtum, ut aliquid dicatur, tria habere debet; nam debet eſſe *licitum* ſecundùm æquitatem; *decens* ſecundùm honeſtatem; *expediens* ſecundùm utilitatem.

L

Latria *eſt actus Religionis, qui convenit ſoli Deo*: In Latriâ tres reperiuntur actus: 1. actus *intellectus*, quo cognoſcitur maxima Dei Altitudo; 2. actus *voluntatis*, quo Homo, ipſi Deo, ſe ſubjicit; 3. actus *exterior*, quo Homo ſe proſternit Deo, ut genuflexio, capitis denudatio, & hujuſmodi: Actus voluntatis eſt ipſamet adoratio; actus intellectus, & actus exterior præcipiuntur pro internâ ſimul, & externâ Latriâ.

Laus *eſt manifeſtatio alicujus excellentiæ cum affectu voluntatis*.

Alex. VIII. Propoſ. damnata 26. in ordine: Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.

Legatum *eſt donatio quædam, à Defuncto relicta, & ab hærede præſtanda*: ità in re communiter.

L

Hæres tenetur ſub mortali, ſolvere legata tempore præſcripto à Teſtatore; attamen ſi legatarius poſt Judicis monitionem fuerit per annum negligens in adimplendo aliquo onere, ſibi à Teſtatore injuncto, privatur legato; & illud applicatur pro animâ Defuncti Teſtatoris.

Legatarius ſciens Legatum, & potens illud petere; & per triginta annos, illud non petens: hæres Legantis, præſcribere poteſt contrà rem legatam in pænam negligentiæ Legatarii.

Legatum annuum relictum Uxori, donec *honeſtè* vixerit, amittitur per *publicam* fornicationem; non tamen per *occultam*, neque per *oſculum*: In Legato de *alienandis alicui*, veniunt ſolùm neceſſaria pro victu, & veſtitu.

Sex ſunt regulæ ſervandæ in Legatis: 1. Legata intelligenda ſunt juxtà conſuetudinem Loci: *l. Minùs ff. de Legat.* 3.; 2. In Legatis ad pias cauſas, facilis eſt extenſio, & larga interpretatio: *Bartol. in l. Titio §. Seja ff. de auro, & argento legato*; 3. In dubio favendum eſt cauſæ piæ: *l. ſunt perſonæ, ff. de Relig., & ſumpt.*; 4. In obſcuris inſpiciendum eſt, quod eſt veriſimiliùs ex *regulis Juris in 6.*; 5. pro expreſſo haberi debet, quod Teſtator diſpoſuiſſet, ſi interrogatus fuiſſet: *l. Titius, §. Lucius, ff. de liberis*; 6. Legato principali cenſetur Legatum acceſſorium: *Antonius à Spir. Sanc. de Teſtamento tract.* 10. *diſp.* 16. *ſect.* 3. *num.* 146.

Legatum in quinque caſibus non debetur: 1. Si Legatarius præmoritur Leganti: ſed ſi moritur poſt Teſtatoris mortem; debetur hæredibus Legatarii etiam hæreditate non additâ: *Vidal. de Legat. Si quis* 2. *V.*; 2. Per *notabilem* ingratitudinem Legatarii poſt Legatum, niſi poſteà expreſsè, vel tacitè ſe reconciliaverint: *Ant. à Spir. Sanct. cit. ſect.* 15.; 3. Si Legatum eſt de re alienâ, bonâ fide à Teſtatore acceptâ; 4. Extinctâ, vel conſumptâ re legatâ per ipſum Legantem: *Ant. à Spir. Sanc. cit. ſect.* 13.; 5. Legatum conditionale ceſſat, ſi purificetur conditio, antequam firmetur Legatum morte Teſtatoris.

Legata ad unum uſum relicta, converti nequeunt in alium uſum abſque juſtâ, & rationabili causâ, & etiam interveniente legitimi Superioris conſenſu: ità *Bonac. tom. 2. de Contract. diſp.* 3. *q.* 17. *§.* 9.; & ratio eſt, quia voluntas Teſtatoris ſervanda eſt ut lex, ut habetur ex *l. cap. ult.*, *cap. Ultima voluntas*.

Lex eſt ordinatio rationis oſtendens Homini, quid faciendum,

vel

vel omittendum ſit in commune bonum inſtituta; ſivè eſt Sanctio Sancta; jubens honeſta, & prohibens contraria: *l. 2. ff. de legib.* Habet quinque actus; nempè: *Præcipere*; *Prohibere*; *Permittere*; *Punire*; *Præmiare*.

Lex dividitur in *Divinam*, & *Humanam*: Prima, ideſt, *Divina*, eſt illa, quæ à Deo eſt immediatè inſtituta, ut lex Moſaica, & Evangelica: Divina poſteà dividitur in *Naturalem*, & *Poſitivam*: illa, ideſt, *Naturalis*, eſt illa, quæ à Deo ſic eſt data, ut ratio naturalis hominis, ſic eam dictet; & hujuſmodi ſunt decem Præcepta Decalogi, quæ à Deo immediatè condita fuerunt pro univerſo Orbe: *Poſitiva* eſt illa, quæ à Deo eſt data Hominibus, licèt aliàs lumen humanum, eam diſtinguere nequeat, niſi priùs per aliquam revelationem, illis manifeſtetur; & hujuſmodi ſunt leges cerimoniales, & aliquæ judiciales in veteri Teſtamento, quæ pro Populo Hæbraico, à Deo immediatè condita fuerunt; & præcepta Fidei, & Sacramentorum novi Teſtamenti, quæ immediatè à Jeſu Chriſto Salvatore noſtro, condita fuerunt pro univerſo Orbe, juxtà illud *Marci cap. ult. Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni Creaturæ*.

Lex humana *eſt illa, quæ ab Hominibus eſt inſtituta, per poteſtatem ipſis à Deo datam*: Ad hoc, ut lex humanà obliget, *quinque conditiones* habere debet: 1. quod ſit juſta; 2. quod ſit legitimè promulgata; 3. quod ſit uſu acceptata; 4. quod non ſit derrogata; 5. quod non ſit invincibiliter, ſeù probabiliter ignorata: Ad hoc poſteà, ut ſit *juſta*: *quatuor conditiones* requiruntur: 1. quod ſit de materiâ bonâ; 2. quod ſit inſtituta propter bonum commune; 3. quod ſit inſtituta ab habente legitimam poteſtatem, & intrà terminos ſuæ poteſtatis; 4. quod in eâ ſervetur juſtitia diſtributiva: Porrò *quinque modis* redditur injuſta: 1. quando repugnat legi Divinæ, & quibuſcumque aliis præceptis obligantibus ſub mortali; 2. quando adverſatur communi bono; 3. quando excedit facultatem Legislatoris; 4. quando imponitur onus, improportionatum cauſæ; 5. quando fundatur in falsâ præſumptione contrà veritatem; & in his quinque caſibus, non obligat in foro conſcientiæ.

Hic tria ſunt advertenda: 1. quod licèt *actus merè interni directè, & per ſe*, non cadant ſub lege humanâ, cum ſolus Deus ſit ſcrutator cordium; *per accidens* tamen, ſeù *indirectè*, & *concomitanter*, cadere poſſunt ſub lege humanâ; & hoc liquet ex eo,

 quod

quod Eccleſia præcipit Confeſſionem Sacramentalem ſemel in anno (quando adeſt materia neceſſaria), ad cujus validitatem neceſſariò requiritur *DOLOR*, qui eſt *actus merè internus*: Secundò adv. eſt, quod licèt lex humana, numquam actus peccaminoſos *licitè præcipere poſſit*; poteſt tamen aliquando licitè eos permittere, ſi tamen id exigit neceſſitas ad evitanda majora mala; non quidem approbando minus malum, ut licitum; ſed ſolùm diſſimulando ejus pænam, juxtà illud vulgatum: *Ex duobus malis majus eſt evitandum, eligendo minus*; non quidem minus malum approbando, ſed ſolùm illud eligendo, tamquam medium neceſſarium ſimpliciter, pro evitando majori malo; Tertio adv. eſt, quod licèt ſit de fide, quod lex *Veteris Teſtamenti*, ejuſque obligatio ceſſaverit per introductionem *Legis Evangelicæ*: Præcepta tamen moralia remanſerunt, & adhuc obligant, non tamen ut leges *Veteris Teſtamenti*, ſed quatenùs ſunt *Juris naturalis*; puta: *Non occides*; non mœchaberis; non furtum facies; non falſum teſtimonium dices &c. Idem dic. eſt etiam de aliquibus legibus judicialibus, ut de Decimis, quæ etiam nunc ſolvuntur Eccleſiæ Miniſtris juxtà illud *Matt. cap.* 10. *Dignus eſt Operarius mercede ſuâ*.

Quinam poſteà ſint illi, qui legem humanam ſervare teneantur juxtà illud *Apoſt. ad Rom. c.* 13. *Omnis anima, ſublimioribus Poteſtatibus ſubdita ſit ... Subditi eſtote non ſolùm propter* iram, *ſed etiam propter* conſcientiam.

Reſp. primò, quod legibus Papæ pro toto Orbe, legitimè latis, in iis omnibus, quæ concernunt *ſalutem animarum, rectamque Eccleſiæ gubernationem*; omnes baptizati non tantùm Catholici, ſed etiam Hæretici, & Schiſmatici obedire tenentur: quod etiam teneantur Schiſmatici, & Hæretici; ratio evidens eſt; nam ſi obedire non tenerentur legibus Eccleſiaſticis; fruſtrà tot leges pænales in Jure Canonico, contrà illos latæ fuiſſent; ſed hoc dicere omninò illicitum eſt: ergo &c. Secùs dic. de non baptizatis, licèt aliàs iſti etiam teneantur ad leges Eccleſiaſticas, quæ concernunt Jus Divinum naturale: immò ſi ſubſunt Eccleſiæ in temporalibus; tenentur obedire Papæ, ejuſque Miniſtris quo ad ea, quæ eorum ſtatum concernunt.

Reſp. ſecundò, quod legibus inferiorum Prælatorum Eccleſiaſticorum, non ſubſunt, niſi eorum ſubditi, & eo tempore ſolùm, quo intrà eorum Territorium exiſtunt: idem dic. eſt de

Regu-

Regul aribus quo ad Leges, Statuta, & Ordinationes *Ordinariorum*, in iis tamen caſibus, qui ſunt in jure expreſſi, ut habetur ex *Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 12.*; immò tenentur etiam ad leges Ordinariorum, quando ex earum tranſgreſſione, ſequi poteſt ſcandalum publicum, dummodo tamen non repugnent eorum legibus, vel privilegiis, aut ſtatui Religioſo.

Reſp. tertiò, quod neque Eccleſiæ, neque Perſonæ Eccleſiaſticæ, neque eorum Bona ſubſunt legibus Civilibus, Statutiſque Laicorum, niſi ab Eccleſiâ approbentur, ſicuti expreſsè conſtat ex *Jure Canonico* pluribus in locis, & præſertim ex *cap. 7.*, & 10. *tit. de conſtitutio.*, licèt aliàs, quando agitur de publicâ utilitate; & leges Civiles non repugnant *ſtatui Clericali*, aut *Eccleſiaſticæ Immunitati*, ad eas teneantur ex vi *directivâ*, non tamen *coercitivâ*, ut communiter tenent DD., idem dic. eſt ad evitanda ſcandala, & pro conſervandâ unitate, & pace Reipublicæ; vel etiam quando talis obligatio provenit etiam partim ab authoritate Eccleſiæ; nam ut dicitur in *cap. 1. de novi operis nunciat. Sicuti leges, non dedignantur Sacros Canones imitari; ità Sacrorum Canonum Statuta, Principum Conſtitutionibus adjuvantur.*

Reſp. quartò, quod licèt Legiſlatores non ſubſint legibus, ab ipſis conditis ex vi *coercitivâ*, ſubſunt tamen ex vi *directivâ*; & ratio eſt, quia ex oppoſito, facilè ſcandalizarentur Subditi juxtà illud Salvatoris in *Matt. cap. 23. Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem ſuo nolunt ea movere*: Hoc totum tamen intelligendum eſt, quando leges afficiunt Legiſlatorem æquè, & Subditos, non tamen, quando afficiunt tantùmmodo Subditos; puta, de ſolvendis tributis; de non deferendis armis in Civitate, & hujuſmodi.

Reſp. quintò, quod *Peregrini*, *Advenæ*, *Hoſpites &c.* tenentur: 1. legibus communibus totius Eccleſiæ ubicumque exiſtunt; 2. tenentur legibus illius loci, ubi domicilium habent; & hoc à primâ die, quâ ibidem inhabitant; 3. tenentur legibus loci, ubi ſunt per tranſitum, ſi ibi ſaltem per quindecim dies, moram facere volunt; & hujus ratio eſt, quia hoc exigit Reipublicæ quies, nam e contrario, perturbaretur; 4. tenentur ſervare formam contractuum, præſcriptam, ubi inveniuntur in *emptione*, ſcilicet, & *venditione*, & in *ſolutione vectigalium*, aliqui contractui appoſitorum, ut communiter tenent DD., & juxtà *Maſtrium diſt. 2. Theol. Moral. num. 119.*, & alios, ſunt etiam adſtricti legibus, &

con-

conſuetudinibus particularium locorum, per quæ tranſitum faciunt, licèt per breve tempus alicujus negotii causâ ibi permaneant per modum Hoſpitii: *Sanchez* tenet contrariam opinionem, ſed cum duplici reſtrictione, ideſt, dummodo non vigeat obligatio proprii domicilii; & dempto ſcandalo; 5. tenentur legibus Univerſalis Eccleſiæ vigentibus ubicumque inveniuntur, licèt in ipſorum Patriâ ex ſpeciali privilegio, aut conſuetudine legitimè præſcriptâ non ſint obligati: ità communiter DD.; & ratio eſt, quia ſicuti talia privilegia, aut conſuetudo ſunt *localia*; conſequenter eximunt ab obligatione tantummodo in *illo loco*, ubi vigent; 6. Non tenentur præceptis Juris communis etiam in ſuâ Patriâ vigentibus, ſi hæc non ſunt in uſu, ubi per modum hoſpitii inveniuntur; & ratio eſt, quia quiſque tutâ conſcientiâ, ſe poteſt accomodare rationabilibus conſuetudinibus loci, ubi exiſtit, ut paſſim dicunt DD.

Quæritur primò, an lex pænalis obliget ſtatim ad pænam ſubeundam? Reſp. cum diſtinctione, & primò *affirmativè*, loquendo de pænâ, quæ non requirit *actionem*, ſed ſolùm conſiſtit in *paſſione*, ut pæna irregularitatis ex delicto; & pæna non petendi debitum propter ſupervenientem affinitatem, & hujuſmodi; & *negativè*, loquendo de pæna, quæ requirit *actionem*; puta, ſolutionem pecuniæ, exilium, & hujuſmodi, niſi tamen expreſsè ſtatuatur in *Jure*, ut de illis, qui obtinuerunt Beneficium Parochiale, qui, ſi intrà annum ex propriâ culpâ non ordinantur, tenentur illud dimittere.

Quæritur ſecundò, an Eccleſia poſſit *directè*, & *per ſe* præcipere actus *merè internos*? Reſp. *affirmativè* (licèt ſuperiùs dixerim, quod ſolùm *indirectè*, & *concomitanter*) Hoc autem deducitur ex *Trid. ſeſſ. 13. in Decreto de SS. Euchariſtiâ*, ubi interdicitur, ne de SS. Euchariſtiâ aliter *credatur*, quàm quod in eôdem Decreto eſt definitum; ſed credere eſt actus purè internus: ergo Eccleſia poteſt *directè*, & *per ſe* præcipere actus merè internos.

Ex prædictis ſequitur, quod Eccleſia non ſolùm exercere poteſt poteſtatem *Juriſdictionis*, quæ in Hominum *utilitatem* pertinent, ut de diſpenſatione in votis *merè internis*; ſed etiam *legislativam*, & *coactivam*, ut expreſsè conſtat ex *primâ Propoſ. dam. ab Alex. VII.*, quæ prohibent ad practicam deduci, quæ ſpectant ad actus *Fidei*, *Spei*, & *Charitatis*, qui ſunt *actus merè interni*; & de Propoſitionibus ab Innoc. XI. damnatis 5., 6., & 7., quæ ſpectant ad

ad actus merè internos de *diligendo* proximo; & de Propoſ. 13., 14., 15., 16., 17., 18., 19., 20., 21., 22., 23., in quibus partim præcipiuntur; & partim prohibentur *actus merè interni*.

Quæritur tertiò, an declarationes Sac. Cong. Conc. habeant vim legis in utrôque foro? Reſp. *affirmativè*: ità *Rodr. q. Regul. tom. 1. q. x1. a. 2.*, Miran. in *Man. tom. 2. q. 26. a. x1.*, Caſtropal. *tom. 1. tr. 3. diſp. 5. par. 3. §. 1. num. 6.*, Fagnan. *lib. 1. Decret. cap. Quoniam 13. de conſtit. num. 6.*, & plures alii; & ratio eſt, quia tales declarationes non fiunt, niſi priùs conſulto Papâ, & cum authoritate Cardinalibus à Papâ traditâ, interpretandi Decreta Concilii, ut conſtat ex *Bullâ Pii IV.*, quæ incipit: *Benedictus Deus &c.*, & ex aliâ *Sixti V.*, quæ incipit: *Immenſa &c.* Cum autem declaratio legis facta ab eo, qui à legis Conditore, habet Jus interpretandi legem, illamque declarandi, non differat à lege declaratà, ut conſtat ex *l. Hominis, & rei, §. Verbum ex legib. §. de verb. ſignif.*; & ex *l. Qui teſtam., §. Mulier ¥. argum. ff. de teſtam.*, indè ſequitur, quod declarationes *Sac. Cong. Conc.* habeant vim legis.

Adv. eſt, quod, quando *Sac. Congr. Conc.* vult novam legem condere; illam priùs à Summo Pontifice jam approbatam, & roboratam ſolemniter publicare facit, ut liquet in Decretis de *Apoſtatis, & Ejectis*; de *Celebratione Miſſarum*; de rebus *Regularium* non alienandis &c., & hoc ad differentiam declarationis legis; quæ non facit *novum Jus*, ſed ſolùm declarat, & manifeſtat Jus, quod *priùs* erat conditum.

Quæritur quartò. Quâ de causâ multæ leges, ac Bullæ Pontificiæ, in variis Regionibus non obligent, quæ in aliis obligant? Reſp. cum *Herinex diſp. 3. de legibus num.* 117., quod in illis Regionibus, vel non fuerunt publicatæ; vel ſi fuerunt publicatæ, non fuerunt ex aliquo juſto motivo uſu acceptatæ; vel ſi fuerunt & publicatæ, & uſu acceptatæ, fuerunt ex poſt per conſuetudinem in contrarium derrogatæ.

Addo hoc tamen, quod, quando lex ſinè rationabili causâ non eſt acceptata, non ceſſat obligare juxtà illud *cit. Apoſt. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ex quo ſequitur, quod Subditi peccant, ſi non obſervant juſtas leges, à Superioribus conditas, licèt aliàs, quando lex non eſt acceptata, & Superior non inſtat pro acceptatione, & obſervantiâ; tunc contrà eam habet locum præſcriptio, & conſuetudo contraria, ità quod, ſi ex juſtâ, & ratio-

rationabili cauſâ à majori, & ſaniori parte Communitatis, non eſt acceptata, non obligat.

An poſteà peccent, qui non obſervant legem tempore intermedio inter promulgationem legis, & præſcriptionem? Reſp. eſſe controverſum inter DD., licèt *negativa* opinio, quam tenent *Becan.*, *Maſtrius*, & alii contrà *Bonac.*, videatur eſſe probabilior; & ratio eſt, quia in tali caſu rationabiliter præſumi debet de Superioris benignitate, quod non velit, nec patiatur, Subditos per multum temporis in malâ conſcientiâ permanere.

Tunc autem dicitur *conſuetudo rationabilis*, quando non adverſatur Juri Divino, aut naturali; neç reprobatur ab Eccleſiâ; neque peccandi occaſionem præbet; vel quâcumque aliâ ratione, utilitati communi non eſt perniciosa.

Quantum tempus poſteà requiratur ad hoc, ut conſuetudo dici poſſit *legitimè præſcripta*? Reſp. ſufficere *decennium* contrà legem civilem; nam decennium in Jure appellatur *longum tempus*, ut habetur ex *l. ſuper longi*, *C. de præſcript.*, idem quoque dic. contrà legem Canonicam, ut cum multis aliis tenet *Leſſius lib. 2. de Juſtitia*, *& Jure cap. 6. n. 46.*, licèt aliàs, quamplurimi alii DD. aſſerant, quod contrà legem Canonicam, requirantur quadraginta anni.

Adv. eſt, quod licèt *lex humana*, tolli poſſit per contrariam conſuetudinem, legitimè præſcriptam, ut ſuprà dixi; numquam tamen *Lex Divina*, aut *naturalis*, nam conſuetudo in contrarium, vera corruptela eſt, & dici debet.

Quæritur ultimò, an *Lex*, & *Præceptum* differant inter ſe? Reſp. *affirmativè*, & tribus modis: 1. quia ſimplex præceptum, immediatè fertur in ſingulares perſonas, illas afficiendo ubicumque ſunt; Lex verò afficit ſolùm ſubditos in Territorio Legislatoris exiſtentes; 2. quia præceptum plerumque extinguitur extinctis perſonis, quibus fuit factum; lex autem ſicuti imponitur toti Communitati, ſic etiam afficit præſentes, & futuros; 3. quia præceptum ceſſat per ceſſationem officii, vel per obitum Legiſlatoris; lex verò ſemper durat, donec revocetur.

Alex. VII. Propoſ. damn. 28. in ordine: Populus non peccat, licèt abſque ullâ cauſâ, non recipiat legem, à Principe promulgatam.

Libellus famoſus *eſt Scriptura*, *quæ alicujus infamiam ſecretam continet*, *ut publicetur*: ex genere ſuo, eſt peccatum mortale,

tale. Pæna contrà componentes, projicientes, invenientes, & non ſcindentes, ſed manifeſtantes; de Jure Civili eſt capitalis, ut videri poteſt in *tit. de famoſis libellis*, & alibi.

Liberum arbitrium, *eſt facultas rationis, & voluntatis, quâ eligitur Bonum gratiâ aſſiſtente, Malum gratiâ deſiſtente*: ità D. Auguſt. in *epiſt.* 89 *q.* 2.

Quod in Homine detur liberum arbitrium, ità quod extendere poſſit manum ſuam, ſivè ad aquam, ſivè ad ignem, ideſt, eligere poſſit quodcumque ex duobus contrariis, ideſt, aut bonum, aut malum ad libitum ſuæ propriæ voluntatis? Nullus baptizatus, qui habeat uſum rationis, & ſit ſanæ mentis, hoc negare audebit, cum talis veritas luce Solis ſplendidior, ex infallibili Sacræ Scripturæ teſtimonio appareat. *lib. Proverb. cap.* 1.: Vocavi, & renuiſtis: *Job cap.* 24. Ipſi rebelles fuerunt lumini: *Matt. cap.* 23. Quoties volui congregare filios tuos ſub alas..., & noluiſti: *Act. Apoſt. cap.* 7. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Quid clariùs? Quid evidentiùs? Verùm ſi quis Veſpertilio à luce abhorrens, liberum arbitrium in Homine adhuc pertinaciter negare auderet; non aliâ ratione, neque demonſtrativo argumento convinci deberet, quàm cum acriſſimâ torturâ, & eum acriſſimè torquere, donec altâ, clarâ, & intelligibili voce confiteretur, quod torquens verè habeat liberum arbitrium eligendi unum ex duobus oppoſitis, videlicèt, vel progrediendi in illâ acriſſimâ torturâ, vel deſiſtendi ab illâ...

Locatio eſt contractus, quo mercede conceditur Perſona, vel res ad uſum, vel fructum: eſt in gratiam utriuſque, ideſt, tàm locatoris, quàm conductoris, & conſequenter uterque tenetur de culpâ levi.

Lucrum non dicitur, niſi deductis expenſis, & eſt illud, quod quis habet, vel acquirit, quod aliàs ſuum non erat.

Ludus *eſt contractus, quo ludentes res ſuas exponunt periculo amiſſionis, propter ſpem acquirendi rem alienam, ludo expoſitam*: ità in re communiter.

Ludus Jure naturæ eſt licitus, dummodo tres conditiones concurrant: 1. quod ludentes diſponere poſſint de re, ludo expoſitâ, ut ſuâ, & ſinè gravi damno proprio, vel alieno; 2. quod non interveniat fraus contrà leges ludi, quia eſſet contrà juſtitiam, obligantem ad reſtitutionem; 3. quod unus alterum non trahat ad ludendum vi, vel metu; fraude, vel dolo.

Clericis tàm Sæcularibus, quàm Regularibus Jure Canonico eſt

prohibitus alearum luſus, ut habetur ex *Can. 42., & 43. Apoſtol.*, *& Trid. ſeſſ. 22. de ref. cap.* 1., quoad hoc, innovavit omnes antiquos Canones.

Quocumque ludo prohibito, aliquis lucratus eſt; non tenetur ad reſtitutionem, niſi poſt declaratoriam Judicis ſententiam.

Luxuria tertium peccatum capitale *eſt inordinatus appetitus, vel uſus venereorum*: ità in re communiter: Species luxuriæ ſunt novem: 1. ſimplex Fornicatio; 2. Stuprum; 3. Adulterium; 4. Inceſtus; 5. Raptus; 6. Sacrilegium; 7. Molities; 8. Sodomia; 9. Beſtialitas: prædictis novem *Maſtrius diſp. 15. Theol. Moral. n. 142.* addit indebitum modum cocumbendi, qui eſt præter naturam; & quatuor modis fieri poteſt; nempè: ſtando, ſedendo, fœminæ ſuccumbendo, & præpoſterè, licèt in vaſe naturali; licèt aliàs quòcumque ex prædictis quatuor modis fiat, non ſit ex ſe, niſi peccatum veniale, dempto tamen periculo abortus, vel quod impediri poſſit generatio, quia tunc mortale etiam inter conjugatos.

Hic adv. eſt cum *Herinez diſp. 2. de temperant. quæſt. 3. n. 29.*, quod propriè loquendo ſola fornicatio, & peccata contrà naturam, ideſt, molities, ſodomia, & beſtialitas, ſpecie diſtinguuntur in genere luxuriæ, nam cætera quantùm ad malitiam luxuriæ conveniunt cum ſimplici fornicatione, cui ſingula alia ſuperaddunt ſpecialem malitiam extrà genus luxuriæ; ſicque ſtuprum ſuperaddit violentiam; adulterium, injuſtitiam; inceſtus, irriverentiam ſanguini, & naturæ; raptus, injuſtitiam; ſacrilegium, violationem perſonæ Deo dicatæ per votum caſtitatis, vel loci Sacri.

Quæritur, an dari poſſit parvitas materiæ in rebus *luxurioſis*, & in rebus *venereis*? Reſp. cum *Maſtrio diſp. 11. Theol. Moral. n. 145.*, & aliis, ibi citatis, *negando* dari poſſe parvitatem materiæ, in rebus *venereis*; & ratio eſt, quia cum venereæ ſint; ſunt etiam inchoatio pollutionis, vel copulæ, quæ inter ſolutos eſt ſemper lethaliter peccaminoſa, dummodo ſit voluntaria: admittit tamen idem *Maſtrius* parvitatem materiæ in rebus *luxurioſis*, eo quod luxuria latè patet ad omnem culpam pertinentem maximè ad ſenſum tactus; undè tactus levis ex joco, vel curioſitate, non eſt niſi venialiter peccaminoſus. *Sanchez lib. 5. in Decal. c. 6. n. 22.*, admittit parvitatem materiæ in re *venereá*, cum hâc tamen reſtrictione; nempè: vel ratione *imperfecti conſenſus*; vel ob *defectum plenæ advertentiæ*, negando de cætero dari poſſe parvitatem materiæ in *rebus venereis* in quòcumque alio caſu, exceptis prædictis

duo-

Digitized by Google

duobus: & idem *Sanchez loco cit.* dicit, hanc opinionem approbatam fuiſſe à Summis Pontificibus *Clem. VIII.*, & *Paulo V.*, & concordat cum Propoſ. damn. ab Alex. VII., quæ eſt 40. in ordine, & infrà ponetur.

Licèt tamen in *venereis*, non detur parvitas materiæ; in duobus tamen caſibus, nullum eſt peccatum: 1. In caſu violentiæ ex parte patientis, dummodo interiùs non conſentiat actui; 2. in caſu privationis uſus rationis in actu exercito ex parte agentis, ut in amentibus, & ebriis, dummodo iſti non præviderint ebrietatem, & cauſam dederint ebrietati.

Hic ponuntur omnes propoſitiones damnatæ, ad quamcumque ſpeciem luxuriæ, ſpectantes.

Alex. VII. Propoſ. damn. 24. in ordine: Molities, ſodomia, & beſtialitas, ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideòque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem; & Propoſ. 40.

40 *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur; ſecluſo periculo ulterioris conſenſus, & pollutionis; & Propoſ. 41.*

41 *Non eſt obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, ſi hæc eſſet nimis utilis ob delectamentum Concubinarii, dum deficiente illâ, nimis agrè ageret vitam; & aliæ culpæ tedio magno afficerent Concubinarium, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

Innoc. XI. Propoſ. damn. 9. in ordine: Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, nullum eſt peccatum; & Propoſ. 48.

48 *Tàm clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe, nullam involvere malitiam; & ſolùm eſſe malam, quia prohibitam, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur; & Propoſ. 49.*

49 *Molities jure naturæ prohibita non eſt; undè ſi Deus illam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali; & Propoſ. 50.*

50 *Copula cum conjugatâ conſentiente Marito, non eſt adulterium; idèoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe fornicatum fuiſſe; & Propoſ. 51.*

51 *Famulus, qui ſubmiſſis humeris, ſcienter adjuvat Herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem; & mul-*

L

toties eidem ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti; puta, ne à Domino malè tractetur; ne torvis oculis aſpiciatur, aut de Domo expellatur.

M

MAgia duplex eſt *naturalis*, ſcilicet, & *ſuperſtitioſa*, ſeù *diabolica*: Prima, ideſt, *naturalis*, eſt *ratio quadam, operandi mira per cauſas merè naturales ſinè Dæmonis opere*; & hæc non eſt peccaminoſa, benè tamen periculoſa; undè *Leſſius lib. 2. de Juſt., & Jure cap. 44. n. 7.* dicit omnes libros, qui magiam naturalem continent, ſuſpectos eſſe habendos; & tamquam periculoſos præſertim à Juvenibus eſſe vitandos.

Magia *ſuperſtitioſa*, ſeù *diabolica* eſt *poteſtas inordinata faciendi, quod eſt ſuprà naturam*: Habet duplicem finem; nempè: commodum proprium, vel alienum; & alterius malum, quod eſt contrà juſtitiam.

Si Magus habet errorem in intellectu cum pertinaciâ, eſt etiam Hæreticus, licèt aliàs ſit ſemper de hæreſi, vel apoſtaſiâ ſuſpectus, cum Dæmon ab hujuſmodi perditis hominibus,exigere ſoleat abjurationem veræ fidei, adorationes, ſacrificia, & ſimilia.

Magiæ *diabolicæ* primus inventor, & Magiſter fuit *Zoroaſtes Batrianorum Rex*, de quo *Plinius lib. 7. cap. 1.* ſcripſit, quod ridendo egreſſus fuit ex utero Matris.

Maledictio *eſt, quâ quis alteri imprecatur aliquod malum*; puta, ut Diabolus illum rapiat, ut laqueo ſuſpendatur, & hujuſmodi: ex genere ſuo eſt peccatum mortale, ſed duo excuſant à mortali; nempè: parvitas materiæ; & indeliberatio actus: ſi maledictio fit in *abſentiâ*; opponitur *charitati*, & ſpectat ad peccatum odii; & ſi fit in *præſentiâ*; non ſolùm opponitur *charitati*, ſed etiam *juſtitiæ*, & pertinet ad peccatum contumeliæ.

Maleficium *eſt ars nocendi aliis Dæmonis poteſtate*: ità in re communiter: duplex eſt; *veneficum*, ſcilicet, & *amatorium*, & utrumque triplicem habet malitiam; nempè: *Recurſum ad Dæmonem*, quod eſt contrà Religionem, & primum Præceptum Decalogi; *abuſum rerum Sacrarum*, quod habet malitiam ſacrilegii, & *damnum* illatum Hominibus, ſivè in Perſonâ, ſivè in rebus, quod eſt contrâ juſtitiam.

Si

Si maleficus habet errorem in intellectu, quod illæ adorationes, quas Dæmoni præſtat, illi debeantur ut Deo, eſt Hæreticus.

Si ad conficienda maleficia, utitur Sacramentis, Sacramentalibus, vel rebus Sacris; tenetur hoc exprimere in Confeſſione, quia abuſus talium rerum, induit malitiam ſacrilegii.

Licèt maleficus, quando ad tollendum maleficium, à ſe factum, utitur alio maleficio; ordinariè loquendo, duo peccata mortalia committat propter recurſum ad Dæmonem, & abuſum rerum Sacrarum; attamen poteſt etiam ſinè ullo peccato, maleficium à ſe factum deſtruere; puta, vel deſtruendo ſignum, à ſe factum, ne duret; & quo durante, durat pactum vexandi; vel in caſu, quo maleficus didiciſſet à Dæmone aliquem modum licitum, aut ſecretum naturale deſtruendi maleficium, à ſe factum, nam in utrôque caſu, vel uti poteſt tali modo licito; vel ſecreto naturali ad deſtruendum maleficium à ſe, vel etiam ab aliis maleficis factum: ità cum pluribus aliis *Leander tr. 9. in Decal. diſp. 3. q. 26.*

Mandatum *eſt gratuita ſuſceptio aliquid exequendi, quod alius formaliter, vel virtualiter injunxit*: eſt contractus gratuitus, & in gratiam ſolius dantis, & conſequenter ſuſcipiens non tenetur, niſi de culpâ latâ.

Martyrium, *eſt cruciatus letalis pro Chriſti fide, aut verâ virtute, voluntariè ſuſceptus*: ità in re communiter.

Ad hoc, ut in *adultis* dici poſſit verum martyrium; duo copulativè requiruntur; nempè; vera fides in *intellectu*, & *pia voluntas* tollerandi mortem pro Chriſti fide, aut verâ virtute ſupernaturali.

In *adultis non baptizatis*, qui pro Chriſti fide occiduntur; requiritur etiam *attritio ſupernaturalis*; & ſivè ſint baptizati, ſivè non baptizati; requiritur, quod occiſor occidat in odium Chriſti; aut in contemptum veræ Fidei; vel Eccleſiæ Catholicæ.

Parvuli baptizati, qui licèt nullum actum intellectus, & voluntatis elicere poſſunt: ſi in odium Fidei occiduntur, ſunt veri Martyres, ut patet non ſolùm de *Sanctis Innocentibus*, ſed etiam ex generali Chriſti promiſſione in *Matt. cap.* 10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*: & ſi non ſunt baptizati; occiſio eſt illis Baptiſmus ſanguinis; quod etiam intelligi debet, ſi in utero Matris occiduntur propter Chriſtum, ut potè, proprio ſanguine baptizati.

Quæritur primò, an ſi Tyrannus in odium Fidei occidendo, alios

alios prætextus fingat, dici debeat martyrium? Reſp. *affirmativè*; & hoc liquet in Jeſu Chriſto Redemptore noſtro, Martyrum Duce, qui ideò à Judæis crucifixus fuit, quia illis prædicabat viam ſalutis æternæ, & veritatem; ſed altero prætextu, & falſo: quia (ut dixerunt Judæi Pilato), ſe volebat facere Regem.

Quæritur ſecundò, an milites, pugnantes contrà Infideles ex motivo Religionis Catholicæ, ſi occiduntur, dici debeant Martyres? Reſp. *negativè*; & ratio eſt, quia licèt occidantur ex motivo Religionis Catholicæ; occiſio tamen non evenit illis, ut acceptata à voluntate, ſed potiùs ex neceſſitate pugnando: hoc autem confirmatur ex *Epiſt. 1. D. Petri cap. 2.*; *Quique cum pateretur, non comminabatur* (ſermo S. Petri eſt de Paſſione Jeſu Chriſti); aliàs ipſi milites, in bello morientes ex prædicto motivo (ſi cætera concurrunt), exercent actum valdè meritorium.

Quæritur tertiò, an morientes morte naturali, ſed in Carcere detenti propter Fidem Catholicam; vel propter ipſam Fidem Catholicam in exilium miſſi, ſint veri Martyres? Reſp. *affirmativè*, dummodò tamen *Carcer*, vel *exilium* fuerint *cauſa efficiens* præmaturæ mortis; & hoc patet exemplo Sanctorum Martyrum Marcelli, Joannis, Silverii, & plurium aliorum, qui pro Fide Chriſtianâ in Carceribus detenti, & in exilium miſſi, ibi ærumnis confecti. objerunt, quos aliàs Eccleſia Catholica, ut veros Martyres veneratur.

Quæritur quartò, an morientes in cauſâ piâ, v. g. in ſervitio peſtiferorum, ſint veri Martyres? Reſp. *negativè*, licèt aliàs veluti Martyres, Religioſa Fidelium Fides venerari conſuevit, ut legitur in *Martyrologio Romano ſub die 28. Februarii*: Quod poſteà dici nequeant veri Martyres, ex hoc patet, quod mors eiſdem non infertur, neque ex odio Chriſti, aut Catholicæ Fidei; neque ex cauſâ alicujus veræ virtutis ſupernaturalis, quod eſt de eſſentiâ Martyrii.

Quæritur quintò, an Martyres deſiderio ſint veri Martyres? Reſp. *negativè*; & ratio eſt, quia re ipsâ non ſuſtinent cruciatus, neque mortem propter Chriſtum, vel Fidem Catholicam, aut aliquam veram virtutem ſupernaturalem, licèt hoc facere deſiderent, & conſequenter dici nequeunt veri Martyres, & hoc patet (inter alios, qui deſiderio flagarunt mortem ſubire pro Chriſto, & animarum ſalute) in Seraphico Franciſco, de quo legitur in Antiphonâ ad Benedictus: *O Martyr deſiderio Franciſce &c.*,

quem

quem tamen Eccleſia non veneratur ut Martyrem.

Matrimonium juxtà *Scotum in 4. diſt. 26. quæſt. un. §. De quintâ*, tripliciter diſtingui debet; nam aliud eſt *Matrimonium*; aliud *Contractus* matrimonii; & aliud *Sacramentum* matrimonii: Matrimonium *eſt illa mutua obligatio, quâ Conjuges inter ſe mutuò, & indiſſolubiliter obligati permanent*: Contractus Matrimonii *eſt ille mutuus actus voluntatis, exteriùs expreſſus, quo Conjuges contrahunt Sponſalia de præſenti*: Sacramentum Matrimonii (quod eſt ſeptimum novæ legis Sacramentum), *eſt ſignum ſenſibile, ex Chriſti inſtitutione in dignè contrahentibus, cauſans gratiam ex opere operato*; & de hoc principaliter hic eſt ſermo.

Materia *remota* hujus Sacramenti, ſunt corpora mutuò tradenda; *proxima*, eſt corporum traditio: *Forma* ſunt verba, vel ſigna externa mutui conſenſus: *Miniſtri*, ſunt ipſimet Sponſi contrahentes per verba de præſenti: *Finis principalis* hujus Sacramenti, tàm in fieri, quàm in facto eſſe, debet eſſe Proles, ut Deo ſerviat; *minùs principalis*, eſt remedium contrà concupiſcentiam.

Ad validitatem Matrimonii, requiritur præſentia phyſica Parochi, qui debet eſſe proprius ſaltem unius contrahentium, & cum duobus ſaltem Teſtibus, qui ſint doli capaces.

Matrimonium antè Adami peccatum, inſtitutum fuit à Deo in Paradiſo Terreſtri in officium naturæ; poſt peccatum Adami; illud idem, quod inſtitutum fuerat in officium naturæ, remanſit in remedium concupiſcentiæ; & in lege gratiæ; illud ipſum, fuit à Chriſto elevatum ad *eſſe Sacramenti*, quando confirmando primam inſtitutionem, à Deo factam in Paradiſo Terreſtri, ſic dixit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*: *Matt. cap.*10.

Eſt de fide, quod Matrimonium baptizatorum eſt verè, ac propriè Sacramentum, gratiam conferens ex opere operato, ut habetur ex *Trid. ſeſſ. 7. Can. 6.*, dummodo tamen contrahentes habeant intentionem faciendi rem Sacram; nam ſi ſunt rudes, neſcientes Matrimonium eſſe Sacramentum, ac proindè non habent intentionem faciendi rem Sacram, perficiunt Matrimonium in eſſe *contractus*, non verò in eſſe *Sacramenti*: idem dic. de Matrimonio contracto inter fidelem, & infidelem cum diſpenſatione Papæ: an idem ſit dicendum de Matrimonio contracto per Procuratorem? Reſp., quod licèt aliqui teneant *affirmativam* opinionem; *negativa* tamen, ut probabilior ſequenda eſt.

Datur

Datur præceptum naturale de Matrimonio contrahendo juxtà illud *Geneſis*: *Creſcite, & multiplicamini*: Verùm nunc non obligat omnes, ut cônſtat ex *Trid. ſeſſ.* 24. contrà modernos Hæreticos: attamen ſi daretur vera neceſſitas, obligaret omnes, etiam Religioſos utriuſque ſexus.

Septem modis, peccare quis poteſt mortaliter in Matrimonio contrahendo: 1. ſi contrahit in peccato mortali; 2. ſi in finem mortaliter peccaminoſum; 3. ſi cum intentione formali non contrahendi; 4. ſi clandeſtinè, modò non excuſet ignorantia invincibilis Trid., aut vera neceſſitas, ut dicam inferiùs loco proprio; 5. ſi contrà rationabilem Parentum voluntatem; 6. ſi tempore prohibito; 7. ſi cum impedimento cognito.

Uſus Matrimonii fit illicitus aliis ſeptem de cauſis: 1. ratione voti caſtitatis; 2. ratione impedimenti, clarè cogniti; 3. ratione pravæ intentionis; 4. ratione mali finis intenti; 5. ratione temporis, ut dicam inferiùs loco proprio; 6. ratione loci; 7. ratione modi adhibiti in uſu.

Matrimonium ratum baptizatorum, non dirimitur per quodcumque votum, quod ſuperveniat Matrimonio, excepto tamen voto ſolemni Religionis, quod emittitur in profeſſione Religioſâ Religionis approbatæ, ità quod manens in ſæculo, tranſire poſſit ad alias nuptias: ità *Trid. ſeſſ.* 24. *Can.* 6.

Eccleſia concedit Sponſis poſt ratum Matrimonium, duos menſes ad deliberandum de ingreſſu Religionis, ità, quod poteſt unus, vel alter, negare alteri debitum, licèt expreſsè illud petat: An hoc verificetur etiam, ſi, qui debitum negat, nihil de ingreſſu Religionis cogitet eo tempore, quo negat debitum? Reſp. eſſe controverſum inter DD., licèt aliàs *affirmativa* opinio ſit, & communior, & probabilior; & ratio eſt, quia ſicuti bimeſtre eſt conceſſum ad deliberandum, ità poteſt unus, cras velle, quod hodiè non vult, nec de illo cogitat; & aliàs bimeſtre eſt conceſſum in favorem Religionis. Bimeſtre numerari debet à puncto rati Matrimonii uſque ad punctum, in quo finitur.

Poſt bimeſtre, tenentur Conjuges ſub mortali, adinvicem reddere debitum, non ſolùm quando *expreſsè* petitur, ſed etiam quando ſolùm *tacitè*, niſi excuſet aliqua juſta cauſa, ſicuti de facto decem ſunt cauſæ juſtæ, excuſantes à debito reddendo ſinè peccato: 1. Benedictiones non diuturnæ, ſecluſo tamen periculo incontinentiæ; 2. dilatio brevis, ſecluſo eòdem periculo; 3. immode-

ratio damnoſa, etiam reſpectu temporis, vel infirmitatis; 4. impotentia; 5. menſtruum, ſecluſo tamen periculo incontinentiæ; 6. morbus epidemicus, poſt ratum Matrimonium contractus; 7. petitio remiſſa ſinè intentione obligandi; 8. publicitas, etiam dempto ſcandalo; 9. ſcandalum puſillorum; 10. magnum detrimentum in bonis fortunæ, dummodo non ſit ex causâ generationis Filiorum.

Sponſa intrà bimeſtre, cognita à Sponſo per vim, vel metum gravem, cadentem in conſtantem virum, ingredi poteſt Religionem, etiam invito Marito, licèt aliàs per ejus ſolemnem profeſſionem, non dirimatur Matrimonium antecedens; ità *Ant. à Spir. Sanc.* cum pluribus aliis; & ratio eſt, quia ex eo, quod injuriâ extorta fuerit copula, & aliàs nequeat Sponſa aliâ viâ recuperare Jus ſuum, conſequenter &c.

Matrimonium non cenſetur conſumatum, quando copula præceſſit Matrimonium, eo quia talis copula, non fuit matrimonialis, ſed fornicaria: idem dic., quando membrum virile penetravit vas muliebre ſinè ſeminatione intrà vas; & licèt hoc ſit controverſum apud DD., prædicta tamen opinio eſt ſatis probabilior; & ratio eſt, quia ſola vaſis penetratio non ſufficit ad generationem, & conſequenter cenſeri non debet Matrimonium conſumatum, quod primariò, & per ſe, inſtitutum fuit pro generatione juxtà illud *Geneſ. Creſcite, & multiplicamini*: quâcumque ratione, vel modo ſemen viri intrà vas uxoris recipiatur, ſemper conſumatur matrimonium, licèt etiam ſinè penetratione vaſis; immò etiam licèt fiat arte Dæmonis, dummodo tamen præſtetur conſenſus: ità communiter DD.

Matrimonium *Infidelium* (durante utriuſque infidelitate), licèt non ſit conſumatum; nullatenùs ſolvi poteſt, neque per poteſtatem Principis, cui ſunt ſubjecti (cum ad hoc, poteſtatem non habeant à Deo Principes Laici) neque per poteſtatem Summi Pontificis, cum Papa nullam habeat poteſtatem in non baptizatos: ſi eſt conſumatum, & ex poſt ambo convertuntur ad fidem; nullatenùs diſſolvi poteſt à Papâ, ut ait *Ant. à Spir. Sanc.* contrà *Sanchez*; & ratio eſt, quia indiſſolubilitas competit Matrimonio conſumato Jure Divino, & conſequenter diſſolvi non poteſt à Papâ: ſecùs dic. ſi non eſt conſumatum; & ratio eſt, quia indiſſolubilitas competit matrimonio rato, non conſumato, ſolùm Jure Eccleſiaſtico, & conſequenter &c.

Quando unus ex duobus *Conjugibus infidelibus*, convertitur ad fidem, altero remanente in *infidelitate*; in tribus caſibus diſſolvi poteſt matrimonium quoad vinculum: 1. quando *infidelis*, non vult cohabitare cum *fideli*, eo quia converſus eſt ad fidem; 2. quandò licèt cohabitet; talis cohabitatio eſt cum injuriâ Jeſu Chriſti; puta, ſpernendo ejus Sanctiſſimum Nomen; prohibendo ejus laudes, & hujuſmodi; 3. ſi infidelis ſolicitat fidelem ad apoſtaſiam à fide, vel ad alia gravia peccata.

Eſt de fide Divinâ, dari humanam poteſtatem ad ſtatuenda impedimenta, non ſolùm *impedientia*, ſed etiam *dirimentia* matrimonii, ut conſtat ex *Trid. ſeſſ.* 24. *Can.*3, *&* 4., nec ex eo, quod Chriſtus elevavit matrimonium *ad eſſe Sacramenti*, abſtulit ab Eccleſiâ hanc poteſtatem, nam Chriſtus ſolùm elevavit *ad eſſe Sacramenti* matrimonium *validè* contractum; cum autem Eccleſia irritet, & annullet matrimonium taliter, vel tali modo factum; matrimonium taliter, vel tali modo factum, eſt irritum, & nullum, ac proindè non eſt Sacramentum, & conſequenter &c. Talis poſteà poteſtas ex naturâ rei, ineſt illis omnibus, qui habent poteſtatem ferendi leges, dummodo in illis non ſit alligata, ſicuti de facto in omnibus eſt alligata, exceptis *Papâ*, *& Conc. General. Æcumenico*.

Contrahere *ſcienter* matrimonium cum quôcumque impedimento; eſt peccatum mortale, niſi excuſet metus gravis, cadens in conſtantem Virum, ſi aliàs tamen contrahentes habent intentionem non conſumandi matrimonium, niſi poſt diſpenſationem obtentam; aut licentiam, ſi impedimentum non eſt dirimens, ſed ſolùm impediens.

Impedimenta, quæ dirimunt matrimonium, continentur in ſequentibus ſex verſiculis.

Error; conditio; votum; cognatio; crimen;
Cultus diſparitas; Vis; Ordo; ligamen; boneſtas;
Si ſis affinis; ſi fortè coire nequibis;
Si Parochi; & duplicis deſit præſentia teſtis;
Rapta ne ſit mulier, nec parti tradita tuta
Hæc facienda vetant; conubiaque facta retractant.

Quamvis in prædictis ſex verſiculis; *quatuordecim* tantùm enumerantur impedimenta; rigoroſè tamen loquendo, ſunt *novemdecim*, quia cognatio *triplex* eſt, & crimen *quadruplex*.

Circà

M

Circà primum, ideſt, *Error* circà *ſubſtantiam Perſonæ*: hoc impedimentum, ſivè ſint *antecedens*, ſivè ſit *concomitans*, dirimit matrimonium Jure naturæ, & Eccleſiaſtico; & hoc verum eſt, licèt error Perſonæ, procedat ex ignorantiâ craſsâ, & ſupinâ; & ratio eſt, quia ignorantia qualiſcumque ſit (exceptâ affectatâ) facit, quod actus non ſit perfectè voluntarius, & conſequenter tollit perfectum conſenſum, qui aliàs eſt ſimpliciter neceſſarius pro validitate matrimonii.

Error circà *qualitates Perſonæ*; puta, Virginitatis, nobilitatis, divitiarum, & hujuſmodi, non dirimit matrimonium, niſi in caſu, quo matrimonium fiat dependenter à tali qualitate, tamquam à conditione ſinè qua Non: idem dic., quando qualitas refunditur in Perſonam, ità quod illam determinet *numericè*, & tali modo *individuet*, quod quamcumque aliam excludat.

Circà ſecundum, ideſt, *Conditio*, quæ aliàs intelligi debet de conditione *ſervili*, ut ſunt mancipia; & non *ſervitio*, ut ſunt famuli, & famulæ domeſticæ; dirimit matrimonium Jure Eccleſiaſtico.

Conditio poſteà (ut eſt *qualitas, diſpoſitioni adjecta, futurum eventum ſuſpendens*) ſi eſt *turpis*, ideſt, contraria ſubſtantiæ matrimonii; nempè: vel contrà fidem matrimonii; vel contrà Prolem; vel contrà indiſſolubilitatem matrimonii, annullat matrimonium in utrôque foro: Si eſt *turpis*, ſed non contraria ſubſtantiæ matrimonii; habetur pro non adjectâ in utroque foro, niſi conſtaret, quod aſſenſus fuiſſet præſtitus, dependenter à tali conditione, quia tunc matrimonium non eſſet validum, donec talis conditio adimpleretur.

Conditio *honeſta* de *futuro*: ſi eſt *neceſſaria*, non ſuſpendit aſſenſum: idem dic. licèt ſit *contingens*, dummodo ſit *infallibilis*: Si eſt contingens, ità quod poſſit eſſe, & non eſſe, ſuſpendit aſſenſum, donec adimpleatur conditio: ſi conditio eſt honeſta, & de præterito; & aliàs aliquando fuit, & aliquando non fuit: ſtandum eſt poſteriori actui: In *dubio*, an fuerit, vel non fuerit; matrimonium eſt nullum: ità communiter DD.

Circà tertium, ideſt, *Votum* (quod intelligi debet de Voto ſolemni Religionis approbatæ) dirimit matrimonium non ſolùm quando antecedit ipſi matrimonio (ut faciunt alia impedimenta dirimentia), ſed etiam quando ſupervenit matrimonio rato, nondùm conſumato: immò poſt conſumatum matrimonium; poſſunt

 conju-

conjuges de communi conſenſu(libero tamen, & voluntario) ingredi Religionem, & emittere profeſſionem ſolemnem; prætereà: ſi unus tantùm ingrederetur Religionem (altero tamen ſciente, & liberè, ac voluntariè conſentiente, emittente & ipſo votum caſtitatis) ſi emitteret profeſſionem; talis profeſſio eſſet valida.

Circà quartum, ideſt, *Cognatio*, quæ triplex eſt; nempè: *naturalis*; *ſpiritualis*, & *legalis*, ideſt, *adoptiva*.

Naturalis, quæ etiam dicitur *Conſanguinitas*: iſta *eſt vinculum Perſonarum ab eôdem proximo ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum*: Hoc impedimentum in *lineâ rectâ*, dirimit matrimonium in quôcumque remotiſſimo gradu, & eſt de *Jure naturæ*: in *lineâ collaterali*, uſque ad quartum gradum inclusivè *Jure Eccleſiaſtico*, excepto tamen primo gradu, qui eſt de *Jure naturæ*, ut eſt communis DD. conſenſus.

Tot poſteà ſunt gradus, quot ſunt Perſonæ deſcendentes, unâ demptâ pro ſtipite in *lineâ rectâ*, & hoc eſt tàm de Jure Canonico, quàm Civili: in *collaterali* verò, perſonæ eo gradu diſtant inter ſe, quo gradu altera magis remota, diſtat à communi ſtipite: adv. tamen eſt, quod prædicta ſic procedunt ſolùm *Jure Canonico*, nam de *Jure Civili*, tot ſunt gradus, quot ſunt Perſonæ, dempto ſtipite, qui conſideratur reſpectu filiorum primi gradus; undè Frater, & Soror ſunt in *ſecundo gradu* (de Jure enim Civili in lineâ collaterali non datur primus gradus) duo Conſobrini, in *quarto gradu*; ſed de Jure Canonico Frater, & Soror ſunt in *primo gradu*; Filii Fratris cum Patruo in ſecundo gradu; & in *linea inæquali*, duo Conſobrini in tertio gradu: Ratio autem diſparitatis eſt, quia *Jus Canonicum* computat gradus ob *Matrimonium*, pro quo requiruntur duæ Perſonæ ad conſtituendum gradum; ſed *Jus Civile* ob *ſucceſſionem*, pro quâ ſufficit una Perſona proxima in gradu.

Cognatio ſpiritualis, *eſt propinquitas quarumdam Perſonarum, conſurgens ex Baptiſmo, vel Confirmatione*: eſt de Jure Eccleſiaſtico tantùm: Hoc impedimentum eſt *perpetuum*; undè non extinguitur per mortem illius Perſonæ, quâ mediâ contractum fuit: hæc cognatio reſtricta fuit à Trid. ad duos Parſonarum gradus; nempè: inter baptizantem, baptizatum, & Parentes baptizati; & dicitur *Paternitas*; & inter Patrinos, baptizatum, & Parentes baptizati, & dicitur *Compaternitas*.

Ad hoc, ut contrahatur *Cognatio Compaternitatis*, ſeptem con-

conditiones requiruntur: 1. quod teneatur infans in Baptiſmo *ſolemni*; & quod in Confirmatione tangatur; 2. quod ſuſcipiatur de fonte, quando baptizatur, non autem quando rebaptizatur, ideſt, ſub conditione; 3. intentio ſaltem virtualis præſtandi munus Patrini, qui aliàs habere debet uſum rationis in actu exercito; 4. quod non erretur circà baptizatum; puta, quod Patrinus præſtando munus Patrinini, credat infantem, eſſe v. g. filium Petri, cum ſit filius Pauli; 5. quod tàm Patrini, quàm Parentes baptizati, ſint Chriſtiani; 6. quod in Confirmatione, Patrini ſint & ipſi confirmati; 7. quod Patrini ſint determinati, & quo ad Perſonas, & quo ad numerum, qui juxtà *Trid.*, excedere non debet duas Perſonas; maſculum, ſcilicet, & fæminam.

Cognatio legalis, ideſt, adoptiva, *eſt vinculum Perſonarum conſurgens ex adoptione perfectâ*, quæ (ut dici poſſit perfecta) ſex conditiones habere debet: 1. quod ſit facta authoritate Principis, quæ eſt illa, in quâ adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis, & ſit illius hæres neceſſarius ſaltem quo ad legitimam; 2. quod adoptatus ſit maſculus; 3. quod ſit ſui juris; 4. quod habeat potentiam naturalem ad generandum; 5. quod ætate excedat viginti quinque annos; 6. quod in ætate excedat adoptatum decem, & octo annis.

Hoc impedimentum eſt *de Jure Eccleſiaſtico*, & extenditur ad tres gradus Perſonarum: 1. inter adoptantem, & adoptatum, ac deſcendentes adoptati uſque ad quartum gradum incluſivè; 2. inter adoptantem, & uxorem adoptati; & è contrà inter adoptatum, & uxorem adoptantis; 3. inter adoptatum, & filios legitimos adoptantis: prima, & ſecunda cognatio deſcripta, eſt perpetua; tertia ceſſat per emancipationem filii à Patriâ poteſtate, vel per mortem Patris; immò iſta non contrahitur, ſi filii adoptantis ſunt illegitimi.

Circà quintum, ideſt, *Crimen*: Iſtud quadruplex eſt; nempè: 1. Adulterium cum occiſione conjugis; 2. occiſio conjugis ſinè adulterio, ſed cum fine machinoſo contrahendi cum alterâ Perſonâ; 3. ſolùm adulterium, ſed cum promiſſione futuri matrimonii; 4. ſolum adulterium cum matrimonio de præſenti: ut meliùs intelligatur quale ſit hoc quadruplex crimen, hìc infrà ponuntur exempla.

Exemplum de *primo*: Titius conjugatus, poſt adulterium, commiſſum cum Bertâ, occidit propriam uxorem, & ex poſt contrahit

hit cum Bertâ: Si occiſio uxoris fuit facta in hunc finem contrahendi matrimonium cum Bertâ; nullum eſt dubium, quod tale matrimonium ſit irritum, & nullum: ſi ſinè tali intentione, eſt controverſum, licèt *negativa* opinio ſit, & communior, & probabilior.

Exemplum de *ſecundo*: Titius conjugatus, convenit cum Bertâ, & ambo ſimul machinantur occiſionem uxoris Titii, ad hoc, ut inter ſe ex poſt contrahant matrimonium: occiditur uxor Titii; & poſt occiſionem, Titius contrahit cum Bertâ: Hoc matrimonium eſt irritum, & nullum, dummodò uterque influxerit in talem occiſionem, & dummodò matrimonium Titii cum occisâ uxore, fuerit verum matrimonium, & non verum, quia bonâ fide putatum verum.

Exemplum de *tertio*: Titius conjugatus, committit adulterium cum Bertâ, eique promittit, quod ſi morietur uxor ſua, illam ducet in matrimonium: moritur uxor Titii, & hic juxtà promiſſionem, contrahit cum Bertâ: matrimonium eſt irritum, & nullum, concurrentibus tamen quinque conditionibus: 1. quod promiſſio fuerit vera, & non ficta; 2. quod fuerit abſoluta; 3. ſi fuit conditionata; quod conditio fuerit adimpleta antè obitum uxoris Titii; 4. quod promiſſio fuerit expreſsè à Bertâ acceptata per aliquod ſignum externum; 5. quod Berta ſciverit matrimonium Titii.

Exemplum de *quarto*: Titius conjugatus, vivente ſuâ propriâ uxore, contrahit cum Bertâ per verba de præſenti, & conſumat: Hoc matrimonium (quod etiam vocatur *Polygamia*), eſt irritum, & nullum *Jure Divino* in lege Evangelicâ; quin immò: ſi Titius cognovit Bertam, ſivè antè, ſivè poſt contractum matrimonium, habet impedimentum *impediens* ad quodcumque aliud matrimonium etiam poſt mortem ſuæ propriæ, & legitimæ uxoris.

Occiſio ſufficit, quod ſit facta etiam ſolo conſilio, dummodo conſilium influxerit in occiſionem: ſecùs dic. eſt de ſolâ ratihabitione: quod dicitur de marito reſpectu uxoris, idem dic. de uxore reſpectu mariti.

Circà ſextum, ideſt, *Cultum diſparitas*: Matrimonium baptizati cum non baptizatâ, vel e contrà, eſt irritum, & nullum. Sicuti hoc impedimentum eſt de *Jure Eccleſiaſtico*, ità Papa diſpenſare poteſt, tàm antè matrimonium contrahendum, quàm poſt contractum matrimonium, ſi nullum ſit periculum perverſionis

per-

perſonæ baptizatæ, vel indebitæ æducationis filiorum.

Circà ſeptimum, ideſt, *Vis*: Si *Vis* eſt talis, ut faciat metum gravem, cadentem in conſtantem Virum, irritat, & annullat matrimonium *Jure naturæ*.

Pro intelligentiâ not. eſt, quod metus duplex eſt; nempè: *intrinſecus*, & *extrinſecus*: primus, ideſt, *intrinſecus* eſt ille, qui provenit à causâ intrinſecâ *naturali*; puta, à morbo: *extrinſecus* eſt ille, qui provenit à causâ extrinſecâ *liberâ*; puta, ab Homine: metus poſteà extrinſecus alius eſt *juſtus*, & alius *injuſtus*: primus, ideſt, *juſtus* eſt ille, qui *juſtè* incutitur; puta, quando aliquis alteri minatur aliquod malum, quod *juſtè* inferre poteſt; puta, veram criminis accuſationem: *injuſtus* eſt ille, qui *injuſtè* incutitur; puta, ſi quis alteri minaretur aliquod malum, quod illi inferre non poteſt, niſi peccando contrà juſtitiam, ut, v. g. ſi perſona privata alteri minaretur mortem, vel aliud grave malum, quod de facto illi inferre non poteſt, niſi peccando contrà juſtitiam. His prænotatis ſit, & obſerva benè.

Nullus metus, licèt gravis, & cadens in conſtantem Virum, ſi eſt *juſtè* incuſſus à causâ extrinſecâ liberâ, irritat, vel dirimit matrimonium: & hoc non ſolùm, ſi eſt incuſſus ad alium finem, quàm ad extorquendum matrimonium, ſed etiam ſi præcisè ſit incuſſus ad hunc finem extorquendi matrimonium: immò juxtà *Ant. à Spir. Sanc.* cum pluribus aliis ab ipſo cit., licèt delictum, de quo quis alteri minatur veram accuſationem, habeat à lege annexum matrimonium: Circà hoc ultimum adeſt controverſia inter DD., licèt aliàs prædicta opinio non ſit tenuis probabilitatis. Quicumque poſteà ſic contrahit, quia, ſcilicet, *juſtè* incuſſit metum gravem, non peccat mortaliter, quia utitur Jure ſuo.

Quilibet metus gravis, cadens in conſtantem Virum, & proveniens à causâ extrinſecâ liberâ; ſi eſt injuſtè incuſſus, & ad hunc finem extorquendi conſenſum pro contrahendo matrimonio, illud dirimit in utrôque foro: ſecùs dic. ſi eſt incuſſus cuicumque alteri perſonæ, illâ exceptâ, quæ eſt principalis in contractu matrimonii, ideſt Sponſo, vel Sponsâ.

Ad hoc poſteà, ut *metus* dici poſſit *gravis*, *cadens in conſtantem Virum*, tria ſimul requiruntur: 1. quod malum minatum ſit grave; 2. quod nullo alio modo vitari poſſit, niſi eligendo aliquod minus malum; 3. quod incutiens metum ſit ſolitus, ut plurimum, opere complere minas ſuas.

Ma-

Matrimonium invalidum ex defectu conſenſus, quia metu gravi extortus, validatur per copulam ſequentem voluntariam, affectu maritali habitam, dummodo ipſi copulæ præcedat novus conſenſus, & alter conjux remaneat in ſuo conſenſu, jam præſtito; & ratio eſt, quia per talem copulam, affectu maritali habitam cum novo conſenſu, purificatur conſenſus ex gravi metu extortus, & fit verum Sacramentum.

Circà octavum, ideſt, *Ordo Sacer*: Hic dirimit matrimonium ex duplici capite; nempè: ratione ſui, ideſt, Juris Eccleſiaſtici, & ratione voti ſolemnis caſtitatis, in eo incluſi.

Ordo Sacer ſuſceptos antè annos pubertatis: licèt ſecundùm *Dicaſtil.*, *Sanchez*, & alios non dirimat matrimonium contrahendum, ſi ſic ordinatus vult nubere, & non uti Ordine Sacro; negativa tamen opinio probabilior eſt; & abſolutè loquendo, Eccleſia (interveniente juſtâ causâ) poteſt talem obligare, uti Ordine Sacro, illi prohibendo matrimonium contrahere.

Circà nonum, ideſt, *Ligamen*, quod idem eſt, ac *Polygamia*, dirimit matrimonium poſteriùs factum, non ſolùm Jure Eccleſiaſtico, & Divino in lege Evangelicâ, ſed etiam *Jure naturali ſecundario*, ut vult *Bonac.* cum pluribus aliis; & ratio eſt, quia finis ſecundarius matrimonii, eſt tranquilla, ac pacifica cohabitatio conjugum, & gubernatio domeſtica; ſed pluralitas Uxorum repugnat quieti, & paci domus, & familiæ, ut patet ex tot exemplis in Sacrâ Scripturâ poſitis: ergo &c.

Circà decimum, ideſt, *Publica Honeſtas*: Quid ſit, & quomodo dirimat matrimonium, vide ſub verbo ly *Honeſtas*: Quæ ſequuntur; adduntur.

Ad hoc, ut oriatur hoc impedimentum ex Sponſalibus, tria requiruntur: 1. quod Sponſalia ſint valida; 2. quod ſint abſoluta ſinè ullâ conditione; 3. quod ſint cum determinatâ Perſonâ.

Licèt aliàs videretur opinio probabilis, quod hoc impedimentum ceſſaret, quando per mutuum conſenſum Sponſorum diſſolvebantur Sponſalia; attamen nunc per *unum Decretum Sac. Cong. Conc.* emanatum ſub *die 6. Julii anno* 1658., *& ab Alex. VII.* approbatum; tale impedimentum non tollitur nec etiam, quando Sponſalia diſſolvuntur per mutuum conſenſum Sponſorum.

Circà undecimum, ideſt, *Affinitas*: hæc deffinitur, quod *ſit propinquitas quarumdam perſonarum, conſurgens ex carnali copulâ, ſivè licitâ, ſivè illicitâ conſanguineorum*.

Affi-

Digitized by Google

Affinitas ex copulâ *licitâ*, dirimit matrimonium contrahendum uſque ad quartum gradum incluſivè: ex copulâ *illicitâ*, ſolùm uſque ad ſecundum incluſivè.

Affinitas ex copulâ *illicitâ*, eſt, quando quis habet rem cum conſanguineâ ejus, cum quâ fornicatus eſt, vel e contrà.

Affinitatis gradus, eo modo enumerantur, ſicuti enumerantur gradus conſanguinitatis.

Copula, à quâ oritur affinitas, debet eſſe perfecta, ideſt, cum ſeminatione *prolificâ* intrà vas naturale mulieris: dicitur ly *prolificâ*, quia ſicuti ſemen Eunuchi, Spadonis &c. non eſt *prolificum*, ideſt, aptum ad generationem: ità ex ipſorum copulâ non oritur affinitas.

Impedimentum utriuſque affinitatis, eſt ſolùm de *Jure Eccleſiaſtico*, etiam in primo gradu, etiam lineæ rectæ, & conſequenter Papa poteſt diſpenſare, ut fiat matrimonium inter Pruignum, & Nuercam; inter Socrum, & Nurum.

Quæritur, an ſit neceſſaria ſeminatio fæminæ ad hoc, ut ex copulâ oriatur affinitas? Reſp. controverſum eſſe; & licèt *affirmativa* opinio, (quæ eſt *Galleni*, & *ejus aſſeclarum*) ſuſtineatur validiſſimis rationibus; *negativa* tamen, quam cum *Peripateticis* ſequitur *D. Thom.* cum aliis, eſt communior, maximè inter Moraliſtas.

Circà duodecimum, ideſt: *Impotentia*, vide per extenſum ſub verbo ly *Impotentia*.

Circà tertiumdecimum, ideſt: *Raptus*, qui deffinitur, quod *ſit violenta extractio perſonæ fæminæ de loco ad locum, ad actum turpem cum illâ committendum, vel matrimonium contrahendum*: Hoc impedimentum eſt de *Jure Eccleſiaſtico* tantùm, & dummodo ſex concurrant conditiones: 1. quod raptus ſit perſonæ fæminæ; 2. quod ſit factus cum violentiâ; 3. de loco ad locum, ideſt, de domo ad domum; 4. quod ſit factus ex causâ matrimonii; 5. quod matrimonium fiat à raptore, vel ab aliquo alio, qui non ſit innocens raptus; 6. quod ſit factum, quando fæmina adhuc eſt in poteſtate raptoris: Unâ tantùm ex prædictis conditionibus deficiente; raptus non inducit impedimentum dirimens.

Tres ſunt pœnæ per *Trid.* ſtatutæ contrà fæminarum raptores: 1. quod tàm raptor, quàm alii raptus conſortes, ſint ipſo jure excommunicati; perpetuò infames; & omnium dignitatum incapaces; 2. quod raptor, ſivè contrahat matrimonium cum raptâ,

ſivè non contrahat, teneatur dotare decenter raptam arbitrio Judicis; & antè declaratoriam Judicis ſententiam, reſarcire omnia damna, raptæ ſecuta ex causâ raptus; 3. quod inter raptorem, & raptam declaretur matrimonium irritum, & nullum, ſi tamen concurrerunt omnes prædictæ ſex conditiones: hæc tertia pœna contrahitur antè declaratoriam Judicis ſententiam, licèt perſona rapta non ſit Virgo, & etiam cujuſcumque famæ: Idem dic. eſt de Sponſalibus contractis, concurrentibus tamen prædictis ſex conditionibus; quod etiam intelligendum eſt de propriâ Sponsâ per verba de futuro, ſi renuens extrahitur: ità communiter DD.

Circà ultimum, ideſt, *Matrimonium clandeſtinum*: Iſtud eſt nullum, & irritum *Jure Eccleſiaſtico*, ſed ſolùm in illis locis, in quibus fuit aliquando publicatum, & receptum *Concilium Tridentinum*.

In duobus caſibus Matrimonium clandeſtinum, eſſet validum, ſi fieret in illis locis, in quibus fuit publicatum, & receptum *Conc. Trid.*: 1. Ubi Cathedralis Eccleſia caret Epiſcopo, & Capitulo; & Eccleſia Parochialis, Parocho; & aliàs nullus eſt, qui prædictorum gerat vices; 2. Si in prædictis locis eſſet tàm Epiſcopus, & Capitulum; quàm Parochus; ſed propter metum Infidelium, vel Hæreticorum, taliter latitarent, quod nemo ſciret, ubi eſſent: In his duobus caſibus matrimonium clandeſtinum eſſet validum, ſi fieret ſinè Parocho cum duobus tamen teſtibus ad minùs; & ità declaraſſe *Sac. Cong. Conc.*, teſtatur Baſſæus.

Licèt ignorantia inculpabilis *legis Trid.*, excuſet à peccato, contrahendo matrimonium clandeſtinè; non poteſt tamen facere, quod matrimonium clandeſtinum ſit validum.

Summus Pontifex diſpenſare poteſt circà impedimenta dirimentia, *Jure Eccleſiaſtico* inducta, non tamen circà illa, quæ ſunt de *Jure Divino*, vel *naturali*: De *Jure Divino*, eſt unum tantùm; nempè: *Ligamen*, ideſt, *Polygamia*: De *Jure naturæ* ſunt quinque; nempè: 1. *Error* circà ſubſtantiam Perſonæ; 2. *Conſanguinitas* in lineâ rectâ in quôcumque gradu, licèt remotiſſimo; 3. *Conſanguinitas* in lineâ collaterali in primo gradu; 4. *Vis* incutiens metum gravem cadentem in conſtantem Virum; 5. *Impotentia*, eo modo, quo dixi ſub verbo ly *Impotentia*.

Impedimenta *impedientia* ſunt multa, ſed hiſce temporibus, nullum

nullum habent robur præter quatuor ſequentia: 1. Sacrum tempus; 2. prohibitio Judicis Eccleſiaſtici; 3. Sponſalia; 4. Votum ſimplicis Religionis, vel caſtitatis; quapropter nubere cum aliquo ex prædictis quatuor impedimentis, eſt peccatum mortale, licèt aliàs matrimonium ſit validum.

Epiſcopus, interveniente juſtâ causâ, diſpenſare poteſt circà impedimenta impedientia, excepto voto perfecto, & abſoluto Religionis, vel caſtitatis.

Quamvis Epiſcopus jure ordinario, diſpenſare nequeat circà impedimenta dirimentia Jure Eccleſiaſtico inducta, neque ad contrahendum matrimonium; neque poſt contractum matrimonium: attamen datâ juſtâ, & urgenti causâ, diſpenſare poteſt in foro conſcientiæ tàm *antè*, quàm *poſt* contractum matrimonium.

Poſt contractum matrimonium, diſpenſare poteſt in foro conſcientiæ, concurrentibus tamen ſeptem ſimul conditionibus: 1. quod matrimonium ſit celebratum in facie Eccleſiæ; 2. quod ſit publicum; 3. quod delictum, ob quod matrimonium eſt irritum, ſit omninò occultum; 4. quod ſeparatio conjugum, fieri nequeat ſinè ſcandalo, aut conjugum infamiâ, vel gravi ſuſpitione delicti; 5. quod matrimonium fuerit contractum bonâ fide ſaltem ex parte unius conjugum; 6. quod non ſit facilis recurſus ad Papam; 7. quod ex causâ moræ, adſit periculum incontinentiæ.

Antè matrimonium contrahendum; diſpenſare poteſt in foro conſcientiæ, urgente juſtâ, & gravi neceſſitate; puta, ſi nulla ſupereſſet via, evitandi aliquod grave ſcandalum, ut ſi, v. g., omnia eſſent parata, & diſpoſita pro contractu matrimonii per verba de præſenti inter duas Illuſtres Perſonas; ibique cum Epiſcopo invitati fuiſſent plures nobiles utriuſque ſexus; & Sponſa in ſecretò diceret Epiſcopo, ſe fornicatam fuiſſe cum conſanguineo Sponſi; nullusque inveniretur medius terminus, cohoneſtandi dilationem matrimonii ſinè gravi ſuſpitione delicti apud invitatos præſentes, & cum periculo alicujus gravi ſcandali &c. In tali caſu Epiſcopus diſpenſando ſuper tali impedimento dirimente in foro conſcientiæ; licitè, & validè diſpenſaret.

Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare poſt contractum Matrimonium, confirmando diſpenſationem Papæ (quando talis diſpenſatio, fuit *ſubreptitia*, vel *obreptitia*) dummodo crimen ſubreptionis, vel obreptionis ſit omninò occultum; difficilis recurſus ad Papam; quod ſeparatio fieri nequeat ſinè ſcandalo, vel gravi

ſuſpitione delicti; & quod in morâ adſit periculum incontinentiæ.

Quando impedimentum dirimens ſupervenit matrimonio, jam contracto; poteſt Epiſcopus diſpenſare in prædicto impedimento, habilitando ad petitionem debiti; & idem facere poteſt cum conjugatis, voto caſtitatis adſtrictis: idem dic. eſt de Confeſſariis Mendicantium quo ad utrumque caſum, dummodo ad id, ſint deputati à propriis Provincialibus. Hoc privilegium, Mendicantibus conceſſum; nunc remanet revocatum à *Clem. XII. per Conſtit.*, quæ incipit: *Romanus Pontifex* 1732., in quâ Sanctitas Sua, revocat omnia privilegia, Regularibus conceſſa diſpenſandi, vel commutandi quæcumque vota ſimplicia.

Si impedimenta ſunt plura, & diverſæ rationis; in petitione diſpenſationis, exprimi debent omnia, aliter diſpenſatio eſſet nulla, quia obreptitia: ſecùs dic. ſi ſunt ejuſdem rationis, & ſpeciei: Si ſunt plura, & diverſæ ſpeciei, neceſſarium eſt, illa omnia in unâ numerò petitione exprimere; & ſic de facto eſt ſtylus Curiæ.

Quando poſt diſpenſationem unius impedimenti, contrahitur aliud impedimentum ejuſdem rationis: non eſt neceſſe, quod in petitione diſpenſationis pro ſecundo, exprimi debeat, fuiſſe priùs diſpenſatum aliud, ideſt, primum: idem dic., quando unum eſt publicum, & aliud occultum: ità *Ant. à Spir. Sanct. pag.* 352., *& ſeqq.*

Cauſæ juſtæ pro diſpenſatione circà impedimenta dirimentia matrimonii juxtà cit. *Ant. à Spir. Sanc.*, ſunt novem ſequentes.

1 Bonum pacis inter Conſanguineos, Affines, vel alias Perſonas; putà, extinctio magnæ litis; evitatio gravis ſcandali; probabilis timor inimicitiarum; quando matrimonium eſt quaſi remedium neceſſarium obviandi alicui magno delicto; vel ad evitandum periculum fornicationis ob frequentem habitationem.

2 Inæqualitas matrimonii, quando, ſcilicet, ob loci anguſtiam, vel nimiam cognationem, non reperitur matrimonium æquale, niſi inter Conſanguineos, vel Affines: ad æqualitatem poſteà requiritur, quod maſculus, & fæmina ſint æquales in nobilitate, divitiis, ætate, & moribus, & ſatis eſt, quod talis æqualitas non reperiatur in loco fæminæ.

3 Defectus dotis competentis in fæminâ, & ſubſtantiarum in maſcu-

maſculo, ità quod contrahere nequeant, niſi cum diſpenſatione.

4 Conſervatio ampliſſimorum bonorum, & divitiarum intrà eandem familiam.

5 Illuſtris Familiæ conſervatio in eôdem ſanguine.

6 Si in altero ex conjugibus adſit periculum patiendi jacturam in bonis, quæ poſſidet; vel in jure, quod habet poſſidendi, niſi contrahat cum habente impedimentum dirimens, ut ſi duo conſanguinei inſtituti ſunt hæredes cum conditione, ut inter ſe contrahant; aut ſi fæmina habet dotem litibus implicatam; & Conſanguineus, vel Affinis, qui vult eam ducere, in negotiis eſt peritus, nec alius extraneus æqualis tàm expertus, offertur.

7 Excellentia meritorum petentis diſpenſationem, ſivè illius, in cujus gratiam petitur diſpenſatio, ergà Sedem Apoſtolicam.

8 Quando habita fuit proles ex Conſanguineâ, vel Affine, bonâ fide ignorando eſſe Conſanguineam, vel Affinem: vel quando matrimonium nullum propter impedimentum occultum inculpabiliter ignoratum, & proles ſubſecuta eſt durante bonâ fide.

9 Magna pecuniæ quantitas, deputanda ad opera pia, & præſertim in remotiori bus gradibus. Ità *Ant. à Spir. Sanc.* plures alios citans in *tract.* x1. *de Matrim. diſp.* 8. *ſect.* 5., qui prædictis novem cauſis, aliam adducit; nempè: quod juſta cauſa diſpenſationis conſurgere poteſt ex pluribus cauſis ſimul ſumptis, quarum ſingulæ, ſeorſim ſumptæ, inſufficientes reputantur.

Ne poſteà diſpenſatio matrimonialis, vitium ſubreptionis, vel obreptionis incurrat, quattuordecim in petitione obſervari debent.

1 Quando in petitione diſpenſationis omittitur aliquid, quod jure præcipitur exprimi debere, licèt talis veritas, & notitia pertineant ad cauſam impulſivam, etiam ſi ex ignorantiâ omittatur; diſpenſatio eſt nulla: excipitur ſi diſpenſatio, ſit facta motu proprio à diſpenſante.

2 Quando in petitione omittitur aliquid, quod ex ſtylo Curiæ Romanæ exprimi ſolet; in foro interno conſcientiæ, non vitiatur, licèt probabile ſit, vitiari in foro externo.

3 Quando exprimitur falſum, vel tacetur aliquod verum circà cauſam motivam conceſſionis; diſpenſatio eſt irrita: ſecùs dic. ſi cauſa eſt impulſiva tantùm.

4 Quando eſt dubium, an cauſa falsò expreſſa, vel tacita ſit motiva, vel impulſiva; principalis, vel minùs principalis: præſumendum

mendum eſt fuiſſe impulſivam, & minùs principalem.

5 Quando in petitione una tantùm exprimitur cauſa: ſi non ſubſiſtit; ruit diſpenſatio.

6 Valida eſt diſpenſatio per ſecundam petitionem, licèt in eâ nulla facit mentio prioris petitionis negationis, non ſolùm ſi ab eôdem, ſed etiam ſi à diverſo Superiore petatur.

7 Ad valorem petitionis diſpenſationis, non eſt neceſſaria mentio prioris diſpenſationis obtentæ, ſivè poſterior ordinetur ad eundem finem, vel effectum, ſivè non.

8 Quando in petitione plures cauſæ motivæ, vel impulſivæ aſſignantur; non eſt neceſſe, quod omnes ſint veræ, ſed ſufficit, quod una tantùm cauſa, quæ ſit adæquatè motiva, ſit vera.

9 Quando expreſſio falſitatis, aut ſuppreſſio veritatis cadit ſuprà ſolam petitionem conſtantem ex duabus partibus: ſi partes ſunt ità connexæ, ut una dependeat ab aliâ per ordinem ad eundem finem; vitiatâ unâ parte, vitiatur etiam altera: ſecùs dic. eſt, ſi partes reſcripti, ità ſint diſparatæ, ut una non dependeat ab alterâ.

10 Quando in diſpenſatione erratur in nomine perſonæ; diſpenſatio eſt valida; & idem dic. ſi error eſt in nomine Diæceſis; idemque dic. ſi error eſt in gradu; puta, exprimendo tertium gradum *Affinitatis* loco tertii gradus *Conſanguinitatis*.

11 Diſpenſationes, & gratiæ, ut ſuum habeant valorem, non indigent expeditione litterarum pro foro conſcientiæ, ſed ſolùm pro foro externo.

12 Diſpenſatio impetrata pro aliquo prodeſt, licèt illo inſcio impetretur: debet tamen ſcire antequam executioni mandetur.

13 Quando impedimentum afficit utramque perſonam contrahentium, ſufficit, quod diſpenſatio ab unâ tantùm ſciatur, & acceptetur: ſecùs dic. quando impedimentum afficit unum ſolùm; aut ſi utrumque; eſt tamen diverſum.

14 Diſpenſatio non ſortitur effectum, niſi poſtquam notitia illius pervenit diſpenſando. Ità cit. *Ant. à Spir. Sanc.* plures alios, ibi citans.

Actus conjugalis, ſi fit cum fine procreandæ prolis, ut ſerviat Deo, vel ad evitandam alterius conjugis incontinentiam, eſt meritorius: ad evitandam propriam incontinentiam, aut ob ſanitatem corporis, vel alium bonum finem, eſt licitus; ſi ob ſolam voluptatem; eſt venialiter peccaminoſus, ut patet ex Propoſ. dam.

ab

ab Innoc. XI., quæ eſt 22. in ordine: *Conjugium ob ſolam voluptatem exercitum, nullum eſt peccatum.*

Licèt nullum detur tempus, in quo non poſſit eſſe licitus actus conjugalis (ſecluſo tamen damno extrinſeco), attamen tempore *amentiæ*, eſt illicitus in tribus caſibus: 1. quando Uxor eſt *amens furioſa* propter periculum abortus, niſi tamen conſtaret de *ſterilitate*; 2. quando ambo conjuges ſunt amentes, ſi adeſt periculum malæ educationis filiorum: ipſi tamen conjuges, cum careant uſu rationis in actu exercito, non peccant; ſed illi peccant, qui debent, & commodè impedire poſſunt actum conjugalem, & non impediunt; 3. Uxor ſanæ mentis, petere poteſt debitum à Marito amente etiam furioſo, licèt adſit periculum diſperſionis ſeminis, quia hoc ſequeretur per accidens, cum aliàs in tali caſu, utatur Jure ſuo: ſecùs dic. de redditione, niſi hæc ſit neceſſaria ad evitanda graviora mala.

Uxor poſtquam ſeminavit, tenetur ſub mortali expectare ſeminationem Mariti, cum hujus ſemen ſit ſimpliciter neceſſarium ad generationem: ſecùs dic. de Marito, eo quod (ut dixi ſuprà) ſemen mulieris, non eſt neceſſarium pro generatione.

Maritus poſt ſeminationem Uxoris, tenetur ſub mortali progredi actum conjugalem uſque ad ſeminationem, ſi ſeminare poteſt; vel niſi adſit periculum vitæ, vel alia urgeat juſta cauſa deſiſtendi à copulâ; puta, adventus improviſus extraneæ Perſonæ; & hujuſmodi &c.

De communi conſenſu (ſi neuter ſeminavit) poſſunt Conjuges deſiſtere à copulâ inceptâ, ſecluſo tamen periculo pollutionis: ſecùs dic. ſi unus deſiſtit alter renuente, quia peccaret contrà juſtitiam, non reddendo illud debitum, ad quod tenetur ex juſtitiâ.

Si poſt contractum matrimonium, Vir ſeminare non poteſt intrà vas fæminæ, vel ob ipſius impotentiam, quia vel ſenex, vel imbecillis, vel aliquo morbo oppreſſus; vel per impotentiam Uxoris, quia nimis arctæ naturæ, ſemen recipere non poteſt, niſi difficulter: Si adhuc habet aliquam probabilitatem ſeminandi intrà vas; licitè copulari poteſt cum Uxore, licèt per accidens ſemen multoties effundatur extrà vas; utitur enim Jure ſuo: quapropter dubiis de impotentiâ, triennium experientiæ conceditur: Si poſteà certò conſtat, nullam eſſe ſpem ſeminandi intrà vas: ab eo puncto, quo hoc conſtiterit; tenetur ſub mortali abſtineri ab actu conjugali, licèt aliàs non teneantur abſtineri ab oſculis, tactibus, &

amplo-

amplexibus, ſi hæc fieri poſſunt ſinè periculo pollutionis.

Fœtu etiam probabiliter animato; poteſt fæmina (ut conſulat ſuæ ſaluti corporali) uti aliquibus medicamentis, licèt cum periculo abortus (dummodo tamen medicamentum non ſit de ſe abortivum, & ſeclusâ intentione abortiendi); & ratio eſt, quia ſi ſequeretur abortus; hoc eſſet per accidens, nam in tali caſu medicamentum refertur ſolùm directè ad ſalutem Matris, quæ habet Jus à naturâ ipsâ, conſervandi propriam vitam illis mediis licitis, quæ ad illius conſervationem judicantur neceſſaria, licèt per accidens, alteri nocere poſſint.

Vir, vel fæmina, quæ voluntariè, ac ſcienter peccavit carnaliter cum conſanguineâ, vel conſanguineo alterius Conjugis in primo, vel ſecundo gradu; privatur jure petendi debitum: poteſt tamen reddere, ſi alter Conjux non conſenſit in inceſtu, ut ex communis DD. opinio: immò licèt conſenſerit, dummodo tamen non conſenſerit *voluntariè*, ac *ſcienter*; puta, quia *ignoranter*, vel ex *metu gravi*; & ratio eſt, quia tàm metus gravis, quàm ignorantia non affectata, & Juris, & facti, excuſant à quâcumque pænâ, ut eſt communis DD. opinio.

Conjux certus de nullitate matrimonii ex quâcumque causâ; peccat mortaliter etiam reddendo debitum, licèt etiam reddat ex causâ metus gravis; & ratio eſt, quia, cum fornicatio ſit intrinſecè mala, nullam admittere poteſt excuſationem.

Quæritur, an Conjux, dubius de *validitate matrimonii*, poſſit reddere, & petere debitum? Reſp. cum diſtinctione, & primò *negativè*, ſi matrimonium nondùm eſt conſumatum, & intrà bimeſtre, niſi poſt adhibitam diligentiam: Reſp. ſecundò, quod ſi matrimonium eſt conſumatum, & dubium eſt *negativum*, ità quod intellectus, declinare non valeat in alteram partem, & aliàs cum bonâ fide contraxit matrimonium; *licitè reddere* poteſt debitum etiam *antè* adhibitam diligentiam, ſed non poteſt *licitè petere*: hæc opinio eſt communis inter DD.. Reſp. tertiò, quod ſi adhibuit debitam diligentiam, & adhuc remanet dubius, poteſt etiam *petere debitum*; & ratio eſt, quia in materiâ juſtitiæ, poſſeſſor bonæ fidei, non ſolùm retinere poteſt rem apud ſe, ſed etiam poteſt licito modo illâ uti, ut eſt communis Theologorum, & Juriſprudentum ſententia: idem à fortiori dic. eſt ſi dubium eſt *opinativum*.

Ex prædictis ſequitur, quod Conjux *dubius* (licèt etiam in dubio con-

contraxerit matrimonium) adhuc tenetur *reddere debitum* alteri Conjugi, bonâ fide petenti; & ratio eſt, quia petens, ſicuti bonâ fide contraxit, ità bonâ fide poſſidet, & conſequenter licitè frui poteſt re, quam poſſidet etiam *antè* adhibitam ab altero debitam diligentiam.

Conjux, regulariter loquendo, non tenetur credere alteri Conjugi, aſſerenti, quod adſit aliquod impedimentum dirimens ſinè ullâ ſpecificatione, & hâc de causâ, deſiſtere à conjugio.

Conjuges *propriè*, & *per ſe*, non tenentur petere debitum; tenentur tamen aliquando per *accidens*; purà, ad evitandam non ſolùm propriam, ſed etiam alterius Conjugis incontinentiam: Hinc tria deducuntur: 1. quod Conjuges tenentur ſub mortali ſimul cohabitare, adeò quod unus nequeat altero invito, diù abeſſe ſinè gravi neceſſitate, nam hoc eſſet voluntariè ſe reddere impotentem, ad reddendum debitum; 2. quod Conjux tenetur conſervare vires neceſſarias, ut debitum juſtè petitum, reddere valeat; quapropter ſi fornicationibus, vel voluntariis pollutionibus, impotentem ſe reddit ad reddendum debitum, juſtè petitum; ultrà peccatum adulterii, vel molitiei, peccat etiam contrà juſtitiam: immò, ut communiter dicunt DD., tenetur ſe abſtinere à jejuniis, & aliis pænitentiis, ab Eccleſiâ præceptis, ſi hæc impediunt moderatam debiti redditionem.

Quando actus conjugalis, qui exigitur, eſt *illicitus* exigenti ratione alicujus circumſtantiæ ſe tenentis *immediatè* ex parte *ejuſdem actus*, ut, v. g. quando petitur cum periculo abortus, vel cum damno ipſius petentis, vel alterius conjugis; tunc iſte negare poteſt debitum, niſi ex negatione majora oriri deberent mala: ſi poſteà actus conjugalis, eſt *illicitus* exigenti ratione alicujus circumſtantiæ, ſe tenentis ex *parte exigentis*; puta, ſi voto caſtitatis ſit adſtrictus; alter conjux non peccat mortaliter, reddendo debitum, licèt alias ex charitate teneatur negare, ſecluſo tamen periculo incontinentiæ propriæ, vel petentis, aut ipſius indignationis: Si verò *injuſtè* petit, quia, v. g. commiſit adulterium; non tenetur reddere, quia negando utitur jure ſuo.

Tactus, oſcula, amplexus inter conjuges, etiam ſolius voluptatis gratiâ, ſecluſo periculo pollutionis, ſunt liciti: cum periculo pollutionis, & ſinè causâ; ſint mortaliter peccaminoſi: ſi cum causâ; puta, ad mutuum amorem demonſtrandum, eumque fovendum; non ſunt mortaliter peccaminoſi, dummodo ille, qui prævidet

videt pollutionem ſit ſecurus, quod intùs non conſentiet in illam delectationem.

Omnia, quæ ſpectant ad præſentem tractatum de matrimonio, ſunt juxtà communiores, & probabiliores DD. ſententias.

Medicus in curando infirmo, tenetur ſequi ſententias certas (ſi adſunt), relictis incertis, & dubiis; quapropter ſi certis relictis, adhibet medicamenta, de quibus dubitat, an ſint profutura (ſi agitur de periculo vitæ, vel quod infirmus diutiùs decumbere debeat) graviter peccat, ſicuti etiam graviter peccat (ſi experiendi tantùm causâ) inexplorata medicamenta (certis relictis) adhibet infirmo, & hâc de causâ, ejus ſanitatem, & vitam periculo exponit.

Si medicamenta certa non habet, illa adhibere tenetur, quæ probabiliora judicat, poſtpoſitis minùs probabilibus: ſi verò nulla medicamenta ſuppetunt, niſi dubia, & periculoſa; tunc cautè procedere debebit, conſiderando vim, ac periculum morbi, ſpem ſanandi, & periculum nocendi.

Si poſteà intelligit, infirmum certò moriturum, niſi medicamentum dubium adhibeatur; tunc illud adhibere poterit, ſecluſo tamen periculo accelerandæ mortis: idem omninò dic. eſt reſpectivè, & proportionaliter de *Chirurgo*.

Mendacium *eſt affirmatio falſi, vel putati falſi pro vero*: dividitur in *Perniciosum*, *Jocoſum*, & *Officioſum*: primum, ideſt, *Pernicioſum* eſt illud, quod tendit in damnum proximi; & ſi agitur de materiâ gravi; eſt peccatum mortale contrà juſtitiam, obligans ad retractationem, ſi eſt ſpes fructus; & ſi non eſt ſpes fructus, ad compenſationem omnium damnorum: *Jocoſum* eſt illud, quod tendit, neque in damnum, neque in utilitatem proximi: *Officioſum* eſt illud, quod tendit potiùs in utilitatem proximi, quàm in ejus damnum.

Mendacium officioſum, licèt tendat potiùs in utilitatem, quàm in damnum proximi, adhuc tamen eſt illicitum, cum ſit intrinſecè malum, ut patet ex Sacrâ Scripturâ pluribus in locis, & præſertim in *Pſalmis* 5., & 14., in quorum primo ſic: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium; Omnes*, dixit Regius Propheta; ideòque excludi noluit, nec etiam illos, qui officiosè mentiuntur propter utilitatem proximi; in ſecundo poſteà loquendo de *Prædeſtinatis*, ideſt, qualia ſint ſigna infallibilia *prædeſtinationis*, inter cætera alia, hoc aſſignat: *Qui loquitur* veritatem *in corde ſuo &c.* cum autem *veritas*, & *mendacium* ſint oppoſita, neceſſariò

riò concludendum eſt, quod ſicuti *veritas* eſt ſignum *prædeſtinationis*, ità juxtà regulam oppoſitorum ex logicis, *mendacium* eſt ſignum *reprobationis*.

Alphonſus de Caſtro in *tract. adverſus hæreſes lib.* 10. *litt. M. verbo Mendacium* fol. 165. dicit, quod ab Eccleſiâ damnatus fuit ut Hæreticus *Joannes Caſſianus*, qui ſub nomine *Abbatis Joſeph*, docebat licitum eſſe *mentiri* pro vitâ Hominis tuendâ; aut pro magno beneficio Homini impendendo; aut etiam humilitatis gratiâ, ad tegendas, ſcilicet, proprias virtutes &c., & Caſſianus coll. 17. cap. 8. narrat, quod erat ſententia aliquorum antiquorum, mendacium aliquoties, non ſolùm eſſe licitum, ſed etiam neceſſarium: *Mendacio utendum eſt* (dicebant) *tamquam helleboro, quod ſumitur, imminente aliquo exitiali morbo*: ſed quod hæc erronea opinio reprobata fuit ab *Innocentio III.*, qui in *cap. Superior de Uſurâ*, ait Scripturam Sacram prohibere, ne quis etiam pro alterius vitâ ſervandâ mentiatur &c. Cum ergo Eccleſia (quæ in ſuis ſanctionibus circà res fidei, eſt infallibilis) bis damnaverit ut ſuprà &c. nullum debet eſſe dubium inter Catholicos, quod mendacium quodcumque ſit, & quâcumque de causâ fiat, ſit ſemper illicitum, ac proindè omnis controverſia removenda.

Meretrix *eſt mulier, cujus turpitudo eſt venalis*: in duobus caſibus reſtituere tenetur lucrum acceptum de meretricio, niſi bonâ fide illud conſumpſit: 1. Si accepit ab illis, qui alienare non poſſunt; 2. ſi fraude extorſit, v. g. dicendo ſe eſſe Virginem, cum Virgo non ſit, & hujuſmodi.

Meritum eſt actio humana, & bona, cui debetur præmium.

Metus *eſt perturbatio animi, proveniens ex apprehenſione mali imminentis*: qualis ſit metus intrinſecus, & extrinſecus; juſtus, & injuſtus: vide ſub verbo ly *Matrimonium* §. *Circa ſeptimum*; ibique etiam vide, quot requirantur ad hoc, ut metus dici poſſit gravis, cadens in conſtantem Virum.

Miſericordia, quæ oritur ex charitate, *eſt aliena miſeriæ in corde noſtro compaſſio, quâ (ſi poſſumus) ſubveniri compellimur*: ità D. Auguſtinus *lib.* 9. *de Civit. Dei cap.* 5. Huic virtuti per exceſſum, opponitur *nimia indulgentia*, & per defectum, *cordis obduratio*: Opera Miſericordiæ ſunt quatuordecim, & continentur in ſequentibus duobus verſiculis.

Corporalia -- Viſito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.

Spiritualia -- *Conſule*, *Plecte*, *Doce*, *Solare*, *Remitte*, *Fer*, *Ora*.

Miſſa *eſt oblatio facta à Sacerdote Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſub alienis ſpeciebus, Sacrificii ab ipſo met Chriſto ſemel exhibiti, expreſſiva*: ità communiter in re.

Miſſæ Sacrificium juxtà *Scotum Quodlibeto* 20., & alios, tripliciter prodeſſe poteſt; nempè: *ſpecialiſſimè*; *generaliſſimè*; & *medio modo*: primo modo, ideſt, *ſpecialiſſimè* prodeſt ſoli Sacerdoti celebranti: *generaliſſimè* prodeſt toti Eccleſiæ: *medio modo* prodeſt illi, cui per Sacerdotem Sacrificantem, ſpecialiter applicatur Sacrificium.

Ad mentem *cit. Scoti*, duplicem habet vim operandi ſuos effectus; nempè: ex *opere operato*; & ex *opere operantis*: iſte, ideſt, ex *opere operantis* promanat ex meritis Eccleſiæ: ille, ideſt, ex *opere operato* eſt ille, qui eidem Eccleſiæ, ex Chriſti inſtitutione, ejuſque infinitis meritis independenter à quôcumque alio, competit, ut etiam habetur ex *Trid. ſeſſ. 22. cap.* 1., in quo ſic: *Et hæc quidem, eſt illa oblatio munda (Malach.), quæ nullâ indignitate, aut malitiâ Offerentium inquinari poteſt*.

Eſt de fide, quod in Miſsâ offertur Deo, verè, & propriè dictum Sacrificium: ità *Trid. ſeſſ. 22. Can.* 1., & deſumitur ex illis verbis Jeſu Chriſti: *Hoc facite in meam commemorationem: Matt. cap. 26.* Tale Sacrificium, eſt incruentum; & in ipſo præcipua, & principalis Hoſtia eſt Chriſtus, ideſt, Corpus, Sanguis, Anima Chriſti, & Divinitas: ità *Trid. cit. Can.* 2.

Principalis offerens Sacrificium Miſſæ, eſt Chriſtus, licèt offerat Sacerdotum miniſterio, ut habetur ex *cit. Trid.*, Sacerdos celebrans, ut Miniſter proximus; cæteri fideles, ut aliquo modo minùs propriè, quatenùs, ſcilicet, & ſpeciali externo concurſu, ad ejus oblationem cooperantur; & quatenùs ſunt membra Eccleſiæ, cujus nomine Sacerdos offert iſtud Sacrificium.

Eſſentia Sacrificii Miſſæ, juxtà communiorem DD. opinionem, conſiſtit in tribus; nempè: in *Conſecratione*; *Oblatione*; *Communione*, licèt aliàs *Herinex diſp. 8. de Euchariſt. quaſt.* 3. *n.* 4. cum *Sannig.*, & alii teneat, quod eſſentia Sacrificii Miſſæ, conſiſtat ſolummodo in *Conſecratione utriuſque ſpeciei*: oblatio autem, & communio ad integritatem, & complementum Sacrificii tantùm ſpectent.

Sacrificium Miſſæ poſteà quadruplex eſt; nempè: *Euchariſticum*,

cum, quatenùs ad inſtar Holocauſti Deo offertur in recognitionem ſuæ ſupremæ excellentiæ: *Propitiatorium*, quatenùs confert gratiam, & remittit peccata: *Impetratorium*, quatenùs nobis impetrat ſpiritualia, atque temporalia: *Satisfactorium*, quatenùs remittit pænas, quæ debentur in Purgatorio.

Fideles majora beneficia, fructumque uberiorem, ſibi comparant, ſi Miſſas ſibi curent, celebrari in vitâ, quàm poſt mortem: quàpropter *S.Greg. lib. 4. Dial. cap.58.* ſic dicit: *Tutior eſt via, ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſperat agi per alios; ipſe dum vivit, per ſe exequatur: Beatiùs quippè eſt, liberum exire, quàm poſt vincula, libertatem quærere.*

Tempus ordinarium celebrandi Miſſam incipit ab aurorâ, & terminatur in meridie, ut patet in *Rubric.Miſſal. tit. de defectib. in Miniſt. ipſo occurrentib.*, excipiuntur tamen illa loca, in quibus viget conſuetudo celebrandi, ſivè antè auroram, ſivè poſt meridiem; idemque dic. eſt de Perſonis privilegiatis; vel ſi adſit aliqua neceſſitas; puta, pro communicando infirmo, vel pro quâcumque aliâ verâ, & juſtâ causâ: in Veſperis tamen vetitum eſt.

Per Bullam Clem. XII. emanatam 1732., & incipit: *Romanus Pontifex*; privilegium Regularibus conceſſum, celebrandi ſivè antè auroram, ſivè poſt meridiem, remanet revocatum.

Sinè graviſſimâ neceſſitate; puta, ſi Infideles, vel Hæretici venirent, ut occiderent Sacerdotem ſacrificantem, vel ad faciendam injuriam Sacramento; interrumpi non poteſt Miſſa quo ad *partes eſſentiales*: neque ſinè gravi neceſsitate, interrumpi poteſt quo ad *partes accidentales*, ut ſi, v.g., antequam celebrans perveniſſet ad illa verba: *qui pridiè, quàm pateretur*, ſuperveniret aliquis notoriè excommunicatus vitandus nominatim; vel dum Sacerdos celebrat, & nondùm incepiſſet Canonem, pollueretur Eccleſia, & hujuſmodi.

Licèt præceptum Eccleſiaſticum de audiendâ Miſsâ in diebus feſtivis de præcepto, obliget ſub mortali; ſeptem tamen excuſant: 1. impotentia; & hoc, licèt omiſſio eſſet cum conſcientiâ erroneâ peccati mortalis; & ratio eſt, quia dari non poteſt peccatum, quin ſit voluntarium; ſed voluntarium dici non poteſt, quando quis vellet audire Miſſam, ſed non poteſt: ergo &c.; 2. neceſſitas propria, vel proximi; 3. ad evitandum damnum ſpirituale proprium, vel proximi; 4. ad evitandum damnum honoris; 5. ad evitandum damnum grave corporale, vel temporale proprium, vel

pro-

proximi; 6. Officium, puta, Milites, Paſtores, & hujuſmodi; 7. conſuetudo, puta, mulieres poſt partum; tempore luctus &c. dummodo adſit conſuetudo, & aliàs non exeant de domo ad alia negotia peragenda.

Ad ſatisfaciendum præcepto audiendi Miſſam; tria requiruntur: 1. *præſentia moralis*, ideſt, quod actio, quâ quis Sacrificio Miſſæ eſt præſens, humano modo dici poſſit *præſentia moralis*, quapropter ſi quis ex feneſtrâ domus ſuæ, extrà Eccleſiam ſitæ: Miſſam audiret, dici non poſſet *moraliter præſens*, ut eſt communis DD. opinio contrà *Tamburinum*, & *Clericatum*: idem dic., ſi quis extrà Eccleſiam manens, illam audiret, niſi excuſaretur ab ingreſſu propter impoſſibilitatem phyſicam; & ratio eſt, quia tunc cenſeretur *moraliter præſens* ratione conjunctionis cum multitudine, cum quâ conſtitueret unum corpus morale Fidelium, Miſſæ præſens, atque aſſiſtens; 2. requiritur *Attentio*, quæ juxtà *Maſtrium*, *Bonac.*, *Cajet.*, & alios requiritur de præcepto, quod ſit *interna*, licèt ſecundùm *Dianam*, *Tambur.*, *Card. de Lugo*, & communiorem, præſertim recentium, ſolùm requiratur *attentio externa*, quæ tamen excludat *actionem externam incompoſſibilem* cum auditione Miſſæ, v. g., pingendo, ſcribendo, confabulando, & hujuſmodi; & hæc opinio, ut communior, & favorabilior, tutâ conſcientiâ ſequi poteſt; 3. requiritur *integritas*, circà quam laxior opinio eſt, quod omiſſio à principio Miſſæ, uſque ad Epiſtolam incluſivè; & à Comunione excluſivè uſque ad ultimum Evangelium incluſivè, non cadat ſub mortali: ſatisfacit præcepto, qui eôdem tempore recitat orationes quaſcumque, etiam præceptas: ſecùs dic. ſi quis eôdem tempore faceret confeſſionem Sacramentalem, niſi excuſaret parvitas materiæ, ut eſt communis DD. contrà *Bonac.*; & ratio eſt, quia confeſſio eſt actus judicialis impediens attentionem ad Sacrum.

Primus qui celebravit Miſſam fuit S. Petrus Apoſt., ſed brevibus, ſimplicibuſque precibus, nam dicto in primis Apoſtolorum Symbolo, conſecrabat in utrâque ſpecie, & poſt conſecrationem recitabat Dominicam Orationem, quâ terminatâ, finem dabat Sacrificio, ſe communicando cum utrâque ſpecie: *S. Jacobus Apoſt.* addidit: Orate Fratres; Surſum corda; & Pacis oſculum: *Teleſphorus* addidit: Gloria in excelſis &c. *Pontianus* addidit: Confiteor Deo &c. *Damaſus* addidit: Epiſtolas; Evangelium; & Alleluja: *Cœleſtinus*: Introitum: *Gellaſius*: Collectas: *Pelagius*,

lagius: Defunctorum Commemorationem: *Gregorius*: Kyrie; Graduale; & Tractum: *Sergius*: Agnus Dei: *Marcus* poſtremò ſancivit, ut loco *Symboli Apoſtolici*, recitetur *Symbolum Nicænum*: ità *Bernin. tom. 1. ſæcul. 1. cap. 3. pag. 35. & ſeqq.*

Sanctum Miſſæ Sacrificium, à Jeſu Chriſto inſtitutum, & per continuatam ſucceſſionem, ſinè ullâ prorſus temporis interruptione, in Eccleſiis Orientalibus, & Occidentalibus, à Sacerdotibus Latinis, & Græcis cum omni ſolemnitate celebratum, à modernis Hæreticis impugnatur; ſed proprio gladio ſe ipſos interimunt, ut infrà patebit.

S. Juſtinus, qui vixit in tertio ſæculo, in Apol. 2. narrat, quod *prima Miſſa* celebrata fuit à S. Petro, & Presbyteri, Diaconique Achajæ, qui teſtes fuerunt de audito immediato, ſcripſerunt, quod *S. Andreas Apoſtolus*, Ægeo Proconſuli, qui ei intimaverat Crucis patibulum, niſi Diis immolaret, ſic reſpondit: *Egò, Omnipotenti Deo, qui unus eſt, & verus, immolo quotidie, non taurorum, nec hircorum ſanguinem, ſed* immaculatum Agnum in Altari: *cujus carnem poſteàquam omnis Populus credentium manducaverit*; Agnus, qui ſacrificatus eſt, *integer perſeverat, & vivus.*

S. Anacletus, qui electus fuit Papa anno 103., ordinavit, (ut legitur in *lib. Rom. Pontificum in Anacleto*), ne Sacerdos celebraret MISSAM ſinè aſſiſtentiâ unius ſaltem Clerici.

S. Alexander, qui electus fuit Papa anno 121. confirmavit *Apoſtolicam Traditionem* (à S. Cypriano appellatam *Dominicam Traditionem*), ut in *conſecratione Calicis*, miſceatur cum vino, modica aqua — Hæc Apoſtolica, ſivè Dominica Traditio, confirmat, quod alii Sancti Apoſtoli præter Petrum, & Andream, celebraverint Miſſam juxtà præceptum Domini: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

S. Epiphanius, qui vixit in ſecundo ſæculo in ſept. Syn. act. 6. ſic ſcripſit: *Numquam invenies, neque Dominum, neque Apoſtolos, neque Patres*, incruentum illud Sacrificium, quod à Sacerdote offertur, *Imaginem dixiſſe, ſed ipſum Sanguinem.*

S. Ambroſius, qui vixit in quarto ſæculo in præparatione ad MISSAM pro die Dominico ſic: *Summe Sacerdos, & verè Pontifex Jeſu Chriſte, qui te obtuliſti Deo Patri, hoſtiam puram, & immaculatam in Arâ Crucis pro nobis miſeris peccatoribus; & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & ſanguinem*

nem tuum ad bibendum; & poſuiſti myſterium iſtud in virtute Spiritus Sancti tui dicens: Hæc quotieſcumque feceritis; in mei memoriam facietis... *Deſcendat etiam Domine illa Spiritus Sancti tui inviſibilis, & incomprehenſibilis Majeſtas, quæ ... & me indignum Sacerdotem, doceat tantùm tractare myſterium ..., ità ut placidè, & benignè ſuſcipias* Sacrificium de manibus meis, *ad ſalutem omnium, tàm vivorum, quàm Defunctorum*.

S. Auguſtinus, qui vixit in quinto ſæculo in Sermone 251. de temp. ſic: *Adbuc quoque, quod valdè dolendum eſt, conqueri vobiſcum volo, quia ſunt aliqui, & maximè potentes hujus Mundi, qui cum veniunt ad Eccleſiam, non ſunt devoti ad laudes Dei celebrandas, ſed cogunt* Presbyterum, *ut abreviet* MISSAM.

S. Gregorius, quem Hæreſiarchæ, Hæreticique moderni agnoſcunt, & fatentur, fuiſſe legitimum, licèt (ut ipſi addunt) ultimum ex Romanis Pontificibus, qui legitimè ſederit in Cathedrâ Petri, & conſequenter, quod fuerit verus Chriſti Vicarius *in lib. 3. Dial. cap. 3.* ſic ſcripſit: *Cumque in eá jam* Miſſarum ſolemnia *celebrarentur ... Peractâ igitur* celebratione Miſſarum ... *Sacerdos quoque, & Cuſtodes, & hi, qui ad celebranda* Miſſarum ſolemnia *venerant &c.* -- Et ibidem ſic: *Cui, dùm in virtute Dei* (loquitur de S. Agapito electo Papâ anno 535. itineranti Conſtantinopolim versùs) *ex authoritate Petri, fixam ſalutis illius ſpem habere dicerent; protinùs Venerandus Vir, orationi incubuit*, & Miſſarum ſolemnia *exortus*, Sacrificium *in conſpectu Dei Omnipotentis immolavit*.

S. Victor Uticenſis (plures alios prætereo brevitatis gratiâ), qui vixit in quinto ſæculo *in lib. de perſecut. Vandal.* narrat, quod cum ab Hunerico Vandalorum Rege Arriano, relegati fuiſſent in ſolitudinibus Mauritaniæ 4966. Eccleſiaſtici; *quibus ad exilium conductis, in quódam loco, obvii fuerunt Fideles Catholici, cereos, manibus geſtantes, & ſic clamantes: Quibus, nos miſeros, relinquitis, dùm pergitis ad coronas? Qui noſtros, baptizaturi ſunt, parvulos, fontibus aquæ perennis? ... A quibus*, Divini Sacrificii ritus, *adhibendus eſt conſuetus*? &c.

Ex veridico, & irrefragabili ergo teſtimonio prædictorum Orthodoxorum Patrum, qui eo tempore vixerunt, quo etiam juxtà Lutherum (teſte Card. de Richeil. lib. 4. in Matt. cap. 12.) *Eccleſia fuit illæſa à quácumque hæreſi; & obſervatrix puritatis fidei*:

fidei: & juxtà Calvinum Inſtit. lib. 1. cap. 2. ſect. 13. *floruit vera Religio, & ſyncerior viguit doctrina*; & ſecundùm Bartholomeum Kechermanum lib. 3. cap. 14. Syſtem. Logici, *floruerunt Diſcipuli Domini, eorumque auditores &c.* colligitur, quod *Sanctum Miſſæ Sacrificium* inſtitutum fuit à Jeſu Chriſto in ultimâ Cœnâ, quando poſt inſtitutionem SS. Euchariſtiæ Sacramenti, & communicatis Apoſtolis, dixit: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Si enim Jeſus Chriſtus per prædicta verba, non inſtituiſſet *Sanctum Miſſæ Sacrificium*: Sanctus Petrus, ſuper quem Chriſtus, fundavit Eccleſiam ſuam, auſus non fuiſſet, eſſe primus, ad celebrandam Miſſam; neque S. Andreas intrepido animo, & Apoſtolico pectore reſpondere Ægeo Proconſuli eo modo, quo reſpondit: Et Sancti Anacletus, & Alexander legitimi D. Petri Succeſſores; non feciſſent Decreta in ordine ad Sanctum Miſſæ Sacrificium celebrandum, niſi à Jeſu Chriſto inſtitutum fuiſſet, & ab Apoſtolis practicatum: & tandem Sancti primævæ Eccleſiæ Orthodoxi Patres, de Sancto Miſſæ Sacrificio tàm dignum, & evidens, in eorum ſcriptis, teſtimonium non perhibuiſſent, ſi certus non extitiſſet univerſalis Eccleſiæ firmus aſſenſus, quod Sanctum Miſſæ Sacrificium à Jeſu Chriſto inſtitutum fuiſſet.

Magdeburgenſes Lutherani; cenſurantes S. Teleſphorum, qui electus fuit Papa anno 142. *in Cent. 2. cap. 10.*, ſic de illo ſcripſerunt: *Teleſphorus* Miſſas *cumulat; ritum earum auget; atque ad tempus alligat*.

Ecce quomodo iidem Hæretici, etiam nolendo, clarum dant teſtimonium de Sancto Miſſæ Sacrificio? Si enim, ut dixi ſuprà, Jeſus Chriſtus per illa verba: *Hæc quotieſcumque feceritis &c.* non inſtituiſſet Sanctum Miſſæ Sacrificium; S. Teleſphorus, qui poſt Sanctum Petrum fuit ſeptimus Summus Pontifex, & proprio ſanguine dedit teſtimonium de verà Jeſu Chriſti fide; neque addidiſſet ritum Miſſæ, addendo ly *Gloria in Excelſis Deo*, neque ſtatuiſſet tempus celebrandi Miſſam: Et ecce quomodo Hæretici (ſic diſponente Deo) proprio gladio ſe interimunt.

Verùm: Eſtò, quod nullus ex Sanctis, & Orthodoxis primævæ Eccleſiæ Patribus, de Sancto Miſſæ Sacrificio ſcripſiſſet: *ex Epiſt. ad Hebr. cap. 7.* largiter educitur, quod Sanctum Miſſæ Sacrificium, à Chriſto Jeſu inſtitutum fuerit; nam ibi deſcribens Apoſtolus Chriſti Sacerdotium ſecundùm Ordinem Melchiſedech, qui panem, & vinum obtulit, ut legitur in *Geneſi cap. 14.*, de

Jeſu Chriſto cum omni claritate aſſerit illud: *Tu es Sacerdos* in æternum *ſecundum Ordinem Melchiſedech*: Cum autem proprium Sacerdotis munus, ſit Sacrificium offerre (ut liquet ex Sacrâ Scripturâ pluribus in locis), non poteſt Chriſti Sacerdotium eſſe in Eccleſiâ ÆTERNUM ſinè perpetuo Sacrificio in Eccleſiâ offerendo: ſed ſic eſt, quod cruentum Miſſæ Sacrificium ſemel tantùm offerri potuit, cum Chriſtus pluries mori, & immolari nequeat: ergo juxtà Apoſtoli verba, aſſerendum eſt, quod Chriſtus incruentum Miſſæ Sacrificium, ab ipſomet inſtitutum, per manus Sacerdotum Miniſtrorum ſuorum, quotidie Deo Patri offerat.

In celebratione Miſſæ, in quâ dicitur Gloria in Excelſis, & Credo; Sacerdos facit *quinquaginta tria* Crucis ſigna: *ſexies* profundè, ſi inclinat; nempè: 1. ſtatim hac pervenit ad Altare, ubi tamen non ſit SS. Euchariſtiæ Sacramentum, nam ſi ibi ſervatur; locò profundæ inclinationis, fit genuflexio; In principio Miſſæ, ideſt, antequam incipiat, dicendo: In nomine Patris, & Filii, &c.; 3. Toto tempore, quo dicit: Confiteor; & Miniſter dicit: Miſereatur tui &c.; 4. toto tempore, quo dicit: Munda cor meum &c.; 5. toto tempore, quo dicit: Te igitur Clementiſſime Pater &c.; 6. toto tempore, quo dicit: Supplices te rogamus &c. *Octies* ſtat inclinatus, ſed non profundè: 1. in principio Miſſæ toto tempore, quo dicit: Deus tu converſus vivificabis nos &c. uſque ad Oremus excluſivè; 2. toto tempore, quo dicit: Auſer à nobis &c.; 3. toto tempore, quo dicit: In ſpiritu humilitatis &c.; 4. toto tempore, quo dicit: Suſcipe Sancta Trinitas hanc &c.; 5. toto tempore, quo dicit; Sanctus, Sanctus, uſque ad Hoſana in excelſis incluſivè; 6. toto tempore, quo dicit tres Orationes poſt Agnus Dei &c.; 7. toto tempore, quo ter dicit: Domine non ſum dignus &c.; 8. quando ſumit SS. Hoſtiam. *Pluries* inclinat tantummodo caput, & primò toties, quoties nomen Jeſu, vel Mariæ, aut Sancti, de quo Miſſam celebrat, profert, & etiam illius, aut illorum, de quo, vel de quibus Commemorationem facit in eâdem Miſsâ, ſicuti etiam, quando profert nomen Summi Pontificis antè Memento de vivis; 2. toties, quoties dicit: Oremus; 3. toto tempore, quo dicit: Gloria Patri, &c. in principio Miſsæ; 5. ad Gloria in excelſis &c. ſexies; nempè dum dicit: Deo: adoramus te: gratias agimus tibi: Jeſu Chriſte: ſuſcipe deprecationem noſtram: & iterum: Jeſu Chriſte; 6 ad Credo ter; nempè, dum dicit: in unum Deum: Jeſum Chriſtum: ſimul adoratur;

ratur; 7. in principio Præfationis, quando dicit: Gratias agamus Domino *Deo noſtro*; 8. toto tempore *Memento*, in quo orat tàm pro vivis, quàm pro Defunctis; 9. antè conſecrationem, quando dicit. Tibi gratias agens; & item dicit: item Tibi gratias agens; 10. toto tempore conſecrationis tàm Hoſtiæ, quàm Calicis; 11. toto tempore, quo ter dicit: Agnus Dei, qui tollis &c.; 12. toto tempore, quo dicit: Placeat tibi Sancta Trinitas antequam det benedictionem Populo; 13. in actu, quo vult ſe vertere ad dandam benedictionem, antequam ſe vertat; 14. in actu, quo recedit ab Altari: *Undecies* in actu celebrationis elevat oculos: 1. antequam incipiat: Munda cor meum &c. 2. dùm dicit: Suſcipe Sancte Pater &c.; 3. dùm dicit: Offerimus tibi Domine Calicem &c.; 4. dùm dicit: Veni Sanctificator Omnipotens &c.; 5. antequam dicat: Suſcipe Sancta Trinitas &c.; 6. quando in principio Præfationis dicit: Deo noſtro; 7. in principio Canonis in actu, quo vult dicere: Te igitur &c.; 8. quando antè conſecrationem dicit: Et elevatis oculis &c.; 9. quando elevat Sanctiſſimam Hoſtiam, debet ſemper tenere oculos in illâ fixos, donec illam reponat ſuper Corporale; 10. idem dic. in elevatione Calicis; 11. Dicto: Placeat tibi Sancta Trinitas &c., antequam ſe vertat ad dandam benedictionem Populo: Quater aliquantulùm ſubmiſsà, ſed intelligibili voce recitat: 1. quando dicit: Orate Fratres: 2. quando dicit: Sanctus, Sanctus, Sanctus uſque ad ſecundum Hoſana in excelſis incluſivè: 3. quando dicit: Nobis quoque peccatoribus: 4. quando ter dicit: Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, uſque ad finem: ità in *Rubrica Miſſalis Romani, de ritu ſervando in celebratione Miſſæ*, in quibus pluribi admonentur Sacerdotes, quod quando in celebratione Miſſæ, ſe vertunt ad Populum, ſemper cum debitâ modeſtiâ debeant tenere *oculos ad terram demiſſos*.

Ritus ſervandus in celebratione Miſſæ privatæ, quando celebratur ad Altare, ubi ſit expoſitum SS. Euchariſtiæ Sacramentum ex *Rubricis Miſſalis Romani*, *& Gavanto p. 4. tit. 8. n. 8.* eſt, ut ſequitur.

Sacerdos Sacris veſtibus indutus: ſtatim hac Presbyterium, ſeù Capellam, ubi eſt expoſitum SS. Euchariſtiæ Sacramentum, pervenerit; aliquantulum conſiſtens, debet caput detegere; & ſic perveniens ad medium Altaris, debet utrôque genu in planâ terrâ genuflectere, & caput profundè inclinare; & poſteà ſe elevans, rectâ lineâ aſcendere debet ad Altare, ſuper quod in cornu Evan-

gelii poſito Calice, antequam de burſâ extrahat Corporale, debet dextro genu flectere; & poſteà extenſo Corporali, & Calice velato ſuperpoſito, ut moris eſt, debet iterum eôdem modo genuflectere antequam accedat ad cornu Epiſtolæ ad aperiendum Miſſale; quo aperto, ſtatim hac redierit ad medium Altaris, iterum genuflectere debet, & aliquantulum ſe retrahens ad cornu Evangelii, debet deſcendere ad planum terræ, & deſcendendo advertere debet, ne humeros SS. Sacramento vertat; ibique factâ genuflexione ſuper infimum gradum cum capite inclinato; erectus debet Miſſam incipere more ſolito: & poſtquam aſcenderit ad Altare, antequam incipiat Orationem: *Oramus te Domine &c.* debet genuflectere; & finitâ oratione; antequam accedat ad Miſſale, debet iterum genuflectere, & idem facere debet, poſtquam redierit ad medium Altaris, antequam incipiat dicere: *Kyrie eleiſon*; & toties, quoties dicturus erit: *Dominus vobiſcum*; debebit priùs oſculari Altare in medio, & poſteà genuflectere, deindè erectus ſe vertere ad Populum, tali modo tamen, quod humeros non vertat ad Sanctiſſimum Sacramentum; & dicto: *Dominus vobiſcum*; antequam accedat ad Miſſale, debet iterum genuflectere; & idem facere debet antè *Credo* (ſi dicendum erit), quo dicto, debet priùs oſculari Altare in medio, & poſteà genuflectere, antequam ſe vertat ad dicendum: *Dominus vobiſcum*; quo dicto converſus ad Altare, debet priùs genuflectere, & poſteà dicere: *Oremus*; & antequam accedat ad cornu Epiſtolæ ad infundendum vinum in Calicem, debet iterum genuflectere, quod facere debebit, poſtquam redierit, ubi dicto: *Veni Sanctificator &c.* genuflectere debet, & poſteà rectâ lineâ pergere ad cornu Epiſtolæ, & deſcendere ad planum terræ, ibique ſtatim vertendo faciem ad parietem Altaris, & ſucceſſivè ad cornu Epiſtolæ, perficere debet circulum, & ſic facie verſâ ad Populum, lavabit manus, quibus lotis, aſcendere debet ad cornu Epiſtolæ, ibique eas abſtergere; & poſtquam redierit ad medium Altaris, debet genuflectere, & poſt dictas Orationes ſecretas; debet iterum genuflectere, antequam ſe vertat ad dicendum: *Orate Fratres*, quod dicere debet in cornu Evangelii eo modo, quo dicitur: *Dominus vobiſcum*, non perficiendo tamen circulum, ſicuti quando celebratur, ubi non eſt expoſitum *Venerabile*: Cætera omnia uſque ad *Communionem* fiunt, ſicuti eſt moris, quando non eſt expoſitum SS. Sacramentum. Poſt ſumptam purificationem: poſtquam poſuerit Calicem extrà Corporale in cornu

Epi-

Epiſtolæ, debet genuflectere, & poſteà rectâ viâ, pergere ad faciendam digitorum ablutionem, quibus exterſis, eôdem modo redire debet ad medium Altaris, & poſt factam genuflexionem, ſumere debet ablutionem more ſolito, quo facto, & benè diſpoſito Calice cum velo, & burſâ, ut moris eſt, genuflectere debet, & poſteà pergere ad cornu Epiſtolæ, & dictâ Poſtcommunione, reddire debet ad medium Altaris, ubi genuflectere debet, antequam deoſculetur Altare, quo deoſculato; iterum genuflectere debet, antequam ſe vertat ad dicendum: *Dominus vobiſcum*; quo dicto, debet iterum genuflectere, antequam pergat ad cornu Epiſtolæ ad dicendas Orationes, quibus dictis reddere debet ad medium Altaris, ubi antequam illud deoſculetur, genuflectere debet, & poſteà ſe retrahendo ad cornu Evangelii converſus ad Populum dicere debet: *Dominus vobiſcum cum ite Miſſa eſt*, & iterum genuflectere; & ſi dicendum erit: *Benedicamus Domino* poſt: *Dominus vobiſcum*, antequam dicat: *Benedicamus Domino*, debet priùs genuflectere: dictâ poſteà Oratione: *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* oſculari debet Altare, & dicto: *Benedicat vos &c.* non debet caput inclinare, ſed debet genuflectere, & poſteà more ſolito, benedictionem dare, non perficiendo tamen circulum, neque redeundo ad medium Altaris ad genuflectendum, ſed in eodem loco, ubi dedit benedictionem; converſus ad Altare, dicere debet: *Dominus vobiſcum*, & *legere Evangelium*, quod ſi eſt: *Initium Evangelii ſecundùm Joannem*; dum dicit: *Et Verbum Caro factum eſt &c.* genuflectere debet *aliquantulum* verſus SS. Sacramentum, quod idem facere debebit ad quæcumque verba, in quibus juxtà Rubricas genuflectere debebit. Terminato Evangelio, pergere debet ad medium Altaris, ubi antequam accipiat Calicem, genuflectere debet, & poſteà more ſolito, accepto Calice, humeris ad cornu Evangelii verſis, deſcendere debet; & poſtquam ad planum terræ pervenerit, utrôque genu ad terram poſito, & capite profundè inclinato, adorare debet SS. Euchariſtiam, & poſtquam ſe erexerit, diſcedere debebit, caput tegendo in eodem loco, ubi illud detexerit.

Alex. VII. Propoſ. damn. 8. in ordine: Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos licitè accipere pro eâdem Miſsâ, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem: idque poſt Decretum Urbani VIII.; & Propoſ. 9.

9 *Poſt Decretum Urbani VIII. poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii, ſibi retentâ; & Propoſ. 10.*

10 *Non eſt contrà juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & unum offerre; neque contrà fidelitatem etiam ſi promittam promiſſione etiam juramento firmatâ danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram; & Prop. 38.*

38 *Mandatum Trid., factum Sacerdoti, ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi, quàm primùm, eſt conſilium, non præceptum; & Prop. 39.*

39 *Illa particula quàm primùm, intelligitur, quando ſuo tempore confitebitur; & Propoſ. 43.*

43 *Annuum legatum relictum pro Animâ, non durat plùſquam per decem annos.*

Innoc. XI. Propoſ. damn. 53. in ordine: Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor ſimul, à diverſis Celebrantibus audit.

Moderamen inculpatæ tutelæ, ut ſervetur, quinque conditiones ſervari debent: 1. quod aggreſſor injuſtè aggrediatur; 2. quod aggreſſus, non priùs offendat, quàm ſit invaſus; 3. quod ſi neceſſarium eſt pro propriâ defenſione offendere, id faciat in ipſo actu aggreſſionis, & non ex poſt; 4. quod aggreſſus, quàm diù poteſt ſe defendere non offendendo, hoc faciat; 5. quod aggreſſus probabiliter credat, ſe fore graviter lædendum, vel occidendum, niſi lædat, vel occidat.

Modeſtia *eſt virtus, moderans exteriores corporis actiones ad præſcriptum rectæ rationis*: alia autem eſt, quæ verſatur circà *verba*; alia, circà *facta*; alia, circà *exteriorem cultum* veſtium, ſupellectium, conviviorum, & ſimilium juxtà proprium cujuſque Perſonæ ſtatum, & conditionem: Modeſtiæ per *exceſſum* opponitur petulantia, & inſolentia; & per *deffectum* opponitur morum ruditas.

Molities, quæ ab *Apoſt. in 2. ad Cor. cap. 12.*, & ad *Gal. cap. 5.* appellatur: *Immunditia*, eſt intrinſecè mala, & Jure naturali prohibita, & mortaliter peccaminoſa, cuiuſque malitia conſiſtit in illâ ſeminis diſperſione à Deo, & naturâ ordinati ad propagationem ſpeciei humanæ.

Alex. VII. Propoſ. damn. 24. in ordine: Molities, Sodomia, Be-

Beſtialitas, ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideòque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

Innoc. XI. Propoſ. damn. 49. in ordine: Mollities jure naturæ, prohibita non eſt; undè ſi Deus illam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

Monopolium eſt ſtudioſa conventio Mercatorum, quâ adinvicem conveniunt, ut nemo illorum emat, vel vendat tales merces; puta, unius ſpeciei, v. g., caſeum, niſi tanto pretio, ab ipſis ſtabilito; vel ut emant omnes merces unius ſpeciei, ut majori pretio illas vendant; aut ut accipiant omnes pecunias cambiis expoſitas, ad hoc, ut venientes alii, & non invenientes pecunias: mediante hâc fraude, pretium pecuniarum creſcat in illorum utilitatem.

Monopolium eſt lethaliter peccaminoſum contrà juſtitiam, reſtitutioni obnoxium, etiam quando eſt tale, quod nullus vendat, niſi *ſummo* pretio, licèt juſto; aut emat, niſi *infimo* pretio, licèt juſto.

Quæritur primò, an peccet contrà juſtitiam, qui impetrat à Principe, ne res unius ſpeciei ab alio, quàm à ſe ipſo vendi poſſit, licèt ſit cum notabili aliorum damno? Reſp. *affirmativè*; & ratio eſt, quia cum fiat cum notabili aliorum damno, conſequenter fit contrà juſtitiam.

Quæritur ſecundò, an quando rerum pretium, creſcit ex causâ monopolii: an ſi unus, qui non eſt monopola, vendendo juxtà incrementum, quod fuit factum ex causâ monopolii, peccet contrà juſtitiam? Reſp. *negativè*; & ratio eſt, quia in tali caſu utitur jure ſuo, dummodo tamen tale pretium, non excedat pretium naturale ſummum in illâ parte, in quâ eſt exceſſus.

Quæritur tertiò, an excuſet alterationem *pretii legalis*, quia taxa victualium facta tempore abundantiæ, non fuit minorata tempore ſterilitatis? Reſp. *affirmativè*, dummodo tamen taxa, ideſt *pretium legale* à Principe, vel ejus Miniſtris impoſitum, ſit univerſaliſſimum, & cum reſpectu ad annos abundantiæ, & ſterilitatis, nam magna utilitas in tempore abundantiæ, compenſat damnum temporis ſterilitatis: ſecùs dic. ſi taxa, nec eſt univerſaliſſima, nec cum prædicto reſpectu; & ratio eſt, quia ſicuti non daretur compenſatio ſterilitatis, ità conſequenter eſſet injuſta.

Mons Pietatis *eſt ſumma aliqua pecuniæ, vel tritici, aut hujuſmodi, in communi poſita, deſtinata ad mutuandum indigentibus, ſalvo ſemper Capitali.* Ad

Ad juſtitiam Montis Pietatis tres requiruntur conditiones: 1. quod mutuum detur ad tempus; 2. quod mutuatarius det pignora cuſtodienda apud Adminiſtratores, quæ (ſi mutuatarius non ſolvit præfixo tempore) venduntur, retentâ à Monte portione, ſibi debitâ, reliquâ mutuatario redditâ; 3. quod mutuatarius ad ratam pecuniæ mutuatæ, & temporis, ſolvat ſingulis menſibus pro conſervatione Montis; pro Domo; & pro Miniſtris.

Montes Pietatis alii ſunt, qui ſunt erecti ex eleemoſinis, Monti liberè datis; & alii ſunt, qui erecti ſunt ex pecuniis, à particularibus Perſonis apud Montes depoſitis: uterque exigere poteſt à mutuatario duo, aut tria pro centum, quæ inſervire debent pro laboribus, & ſtipendio Miniſtrorum, & pro expenſis neceſſariis ad conſervationem Montis; & ſi proceſſu temporis cognoſcitur ſuperfluitas; diminuendum erit, & interim ſuperfluum, de quo conſtat; reſtituendum eſt mutuatariis, quod ſi adeſt impoſſibilitas, pauperibus erogandum eſt.

Officiales Montis; pecuniam diſtrahentes in alios uſus, quàm pauperum juxtà regulas Montis, graviter peccant contrà juſtitiam, & incurrunt ipſo facto in excommunicationem Papæ reſervatam, ut conſtat ex *Bullâ Pauli V.*, quæ incipit: *Onerosa &c.*

Mons erectus ex pecuniis, à particularibus Perſonis apud ipſum depoſitis, exigere poteſt à mutuatariis quinque pro centum annuatim: & hoc patet ex *Bullâ Pauli III.*, quæ incipit: *Charitatis opera &c.*, in quâ Summus Pontifex declarat, hoc fieri poſſe abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo.

Motus voluntatis duplex eſt; nempè primò primus, & ſecundò primus: *primò primus* eſt ille, qui prævenit omnem uſum rationis, & advertentiam; quapropter ſicuti nullo modo eſt voluntarius, ità nullo modo eſt peccaminoſus: *ſecundò primus* eſt ille, qui prævenit *plenam* voluntatis deliberationem, & licèt *aliqualiter* ſit in poteſtate voluntatis; quia tamen non eſt *plenè* deliberata; ideò eſt tantummodo veniale.

Murmuratio (quæ etiam differt à detractione) eſt confabulatio de factis publicis, quæ ſumi poſſunt in bonam partem, illa vertendo in malam partem, exagerando rem ultrà meritum cauſæ: eſt mortaliter, vel venialiter peccaminoſa, pro ut materia, circà quam verſatur, eſt gravis, vel levis.

Mutilatio *eſt abſciſſio alicujus membri à corpore*: Ad hoc, ut

inducat irregularitatem, ſivè ex delicto, ſivè ex defectu lenitatis; tale membrum abſciſſum, debet eſſe unum ex illis, quæ in corpore humano, habent officium ſeparatum ab aliis membris.

Mutuum, ideſt, de meo factum tuum *eſt contractus, in quo transfertur dominium alicujus rei, uſu conſumptibilis cum pacto recipiendi tantumdem non numericè, ſed ſpecificè, aut genericè.*

Mutuum duplex eſt; nempè: *verum*, & *palliatum*: Primum, ideſt, *verum* (quod ſuprà eſt definitum) conſiſtit in rebus, uſu conſumptibilibus, quæ aliàs conſiſtunt, aut in pondere, aut in numero, aut in menſurâ: *palliatum* eſt illud, quod ſecundùm ſuam formam apertam, & verba contrahentium, eſt alterius contractus à mutuo, ſed ſecundùm formam latentem, & mentem veram, vel præſumptam contrahentium, eſt verum mutuum.

Sicuti in mutuò transfertum dominium rei mutuatæ in mutuatarium, ſic iſte per neceſſariam conſequentiam, non ſolùm tenetur de dolo, & culpâ leviſſimâ, ſed etiam de caſu fortuito, quia ſi res perit Domino ſuo perit, ut habetur ex *l. Pignus*, *C. de pigneratitiâ actione*.

Mutuum eſt contractus gratuitus, quia ſi intervenit pretium, eſt venditio; ſi merces, eſt locatio; ſi lucrum, eſt uſura.

Omnes, qui contrahere poſſunt; etiam mutuo dare, & recipere poſſunt: attamen duo ſunt advertenda: 1. quod quæcumque *Loca Pia* ex mutuo, quod eorum Rectores, ſeù Adminiſtratores ſuſceperunt; tunc ſolùm obligantur, ſi Creditores probaverint, pecuniam in talium Locorum Piorum utilitatem fuiſſe converſam, aliter ſoli Rectores, vel Adminiſtratores conveniri poſſunt, non verò Loca Pia, ut deſumitur ex *l. Civitas*, *ff. Si verò petatur*, juncto *cap. 1. de ſolutio. cum concordantiis*; 2. quod *Filius-familias*, mutuò accipiens: per *Senatuſ-Conſultum Macedonicum*, non tenetur, neque ipſe, neque ejus Parentes in *foro externo* reſtituere: immò ſecundum *Leſſium lib. 2. cap. 20. n. 8.*, & alios, non tenetur reſtituere, nec etiam in *foro interno*, niſi in ſequentibus ſex caſibus: 1. ſi habet bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia; 2. ſi publicè putabatur eſſe ſui juris; 3. ſi mutuò accepit aliud à pecuniâ; puta, vinum, triticum, & hujuſmodi; 4. ſi accipiendo pecuniam, illam accepit in commodum Parentum; aut iſti ſoliti fuerunt pecuniam mutuo acceptam per ſuos filios ſolvere; 5. ſi Parentes debuiſſent ſecundùm rectam rationem, ſuppeditare pecuniam filiis; 6. ſi filius juravit ſe ſoluturum.

Digitized by Google

N

Negotiatio *eſt actus ex naturâ ſuâ indifferens*: triplex eſt; nempè: *Æconomica*; *Politica*; *Lucrativa*: Prima, ideſt, *Æconomica* eſt, quâ unuſquiſque emit neceſſaria ad proprium uſum, atque ſuorum: *Politica* eſt illa, cujus finis eſt providere, negotiando, publicis Reipublicæ neceſſitatibus; *Lucrativa* eſt, quâ quis aliquid emit, ut majori pretio deindè illud vendat.

Negotiatio lucrativa ex præcepto Eccleſiaſtico, eſt prohibita ſub mortali cuicumque Regulari, & omnibus Clericis ſæcularibus in Sacris poſitis; excuſat à mortali, ſi eſt de re levi, & fiat in occulto: ſi fit per tertiam Perſonam, eſt illis licita, dummodo negotiatio, ex ſe ſit licita.

Neophitus dicitur ille, qui ex lege *Judaicâ*, *Mahometicâ*, vel *Ethnicâ*, nuper converſus ad fidem Chriſtianam in ætate adultâ, ſuſcipit Baptiſmum: eſt irregularis, ut conſtat ex *arg. Can.* 1. *diſt.* 48., & hoc ne in ſuperbiam elatus, incidat in laqueum Diaboli, ut ait *Apoſt. in* 1. *ad Cor. cap.* 3.

Notarius, ſeu, Tabellio tria neceſſariò habere debet; nempè; *debitam pro Officio ſuo ſcientiam*; *fidelitatem*; *& juſtitiam*: quo ad primum, ideſt, *ſcientiam*; tenetur ſcire ea omnia, quæ ad munus ſuum pertinent, & in eis obſervandis debitam diligentiam adhibere; quâpropter, ſi ex *ignorantiâ*, vel *negligentiâ*; quicumque, quodcumque detrimentum grave patitur, lethaliter peccat, & damna reſarcire tenetur: quo ad ſecundum, ideſt, *fidelitatem*, tenetur eſſe fidelis in omnibus, quæ ſunt ſui muneris, & præſertim circà quinque: 1. quod non conficiat falſum Inſtrumentum; 2. quod in Inſtrumento vero, ſervet puritatem, & ſinceritatem verborum; 3. quod conſervet apud ſe regiſtrum, nulli illud dando, niſi tranſumpta; 4. quod non occultet Inſtrumenta, quæ ab ipſo exiguntur; 5. quod ſi apud ſe manet aliquod Inſtrumentum, vel Teſtamentum, ratione cujus, quibuſcumque Perſonis ſint facta legata, & nondùm completa; illa manifeſtare teneatur etiam nullo exigente, ſi tamen non exiguntur per ignorantiam, eo quia, ſcilicet, ignorant, quod adſint talia legata, ipſis ſolvenda, quod tamen prudenter fieri debet, manifeſtando priùs illis, ad quos ſpectat talia legata adimplere, quibus non ſatisfacientibus; illis, in quorum gratiam ſunt facta talia legata: quo ad tertium, ideſt, *juſtitiam*; tenetur eſſe juſtus in Inſtrumentis, & in pretio, ideſt, quod in Inſtrumentis conficiendis; nulla faciat, quæ ſint prohibita,

vel

Digitized by Google

vel illicita; & circà pretium, quod non exigat pretium pro rebus, pro quibus nullum debetur pretium; & ſi debetur, quod ſit juſtum.

Notarius quo ad officium ſuum, in quatuor caſibus peccare poteſt: 1. ſi Inſtrumentum violat; 2. ſi Teſtamentum Hominis, uſu rationis in actu exercito carentis, rogat; 3. ſi dicta teſtium antè eorum publicationem parti contrariæ manifeſtat; 4. ſi manifeſtam facit ſententiam nondùm publicatam.

Notarius requiſitus, ut conficiat Inſtrumentum, Teſtamentum, Contractum, & hujuſmodi; tenetur facere, aliter etiam in foro externo puniri poteſt, quia ex quo creatus eſt Notarius, ſervus publicus effectus eſt, ut dicunt *Bartol.*, & *Bald.*, & etiam id affirmat *Genuenſ. in adnot. alleg.*; Prohibetur tamen conficere Inſtrumenta pro alienatione rerum Eccleſiaſticarum, niſi impetrato priùs aſſenſu Papæ in ſcriptis.

Notorium dicitur *illud*, *quod nullâ tergiverſatione celari poteſt*: ità in re communiter: duplex eſt; nempè: *juris*, & *facti*: Primum, ideſt, *Juris* eſt illud, quod conſtat, vel per Rei confeſſionem in judicio factam; vel per veridicam ſententiam; vel per legitimam conteſtium depoſitionem; quâ res tàm clarè, & manifeſtè remanet probata non ſolùm quo ad *factum*, ſed etiam, quod factum ſit *delictum*, ut neque coloratè impugnari poſſit: quapropter ſi eſt notorium *notorietate Juris*, Titium fuiſſe percuſſorem Clerici, ſtatim vitandus eſt antè declaratoriam Judicis ſententiam: Notorium poſteà *notorietate facti* eſt illud, quod licèt nullâ tergiverſatione celari poſſit quo ad *factum*, celari tamen poteſt quo ad *delictum*, ideſt, quod *tale factum*, non ſit *delictum*, & conſequenter indiget legitimâ probatione, quod tale *factum* ſit *delictum*; nam licèt notorium *notorietate facti* eſſe poſſit, Titium fuiſſe percuſſorem Clerici; Titius tamen non eſt vitandus antè declaratoriam Judicis ſententiam, eo quia Titius in ſui defenſionem, ad ſe expurgandum ſivè in toto, ſivè in parte, adducere poteſt unam, vel aliam ex illis undecim cauſis (ut dixi ſub verbo ly *excommunicatio*), quæ excuſant percuſſorem Clerici ab incurrendâ excommunicatione, & conſequenter non eſt vitandus, niſi poſt declaratoriam Judicis ſententiam.

O

OBedientia *eſt virtus, quæ promptum facit ſubditum ad adimplendum mandatum Superioris, quatenùs mandatum eſt*, dupliciter quis poteſt alterius mandatum adimplere; nempè: *materialiter*, & *formaliter*: primo modo faciendo ſimpliciter ea, quæ ſunt mandata; ſecundo modo, illa faciendo hâc intentione, & motivo, quia à Superiore ſunt mandata, & hoc modo eſt vera obedientia.

Tranſgreſſio voti Obedientiæ, duo peccata importat: unum contrà votum, & alterum contrà juſtitiam propter deditionem, quâ ſubditus ſe totum dedit Superiori in profeſſione Religioſâ; & ſi inobedientia eſt cum contemptu Superioris, eſt triplex peccatum; immò etiam quadruplex, ſi ex inobedientiâ oritur ſcandalum in aliis.

Duo tamen ſunt advertenda: 1. quod Religioſus obedire non tenetur ſuo Superiori in his, quæ pertinent ad majorem perfectionem, quàm ſit Regulæ, quam profeſſus eſt; quapropter *D. Tho. 2. ſent. diſt. 44. quæſt. 2. num. 3.* ait, quod Religioſus obedire tenetur ſuo Prælato in tribus: 1. in his, quæ in Regulâ continentur; 2. in his, ſinè quibus contenta in Regulâ obſervari nequeunt; 3. in ſubeundis pænis, inflictis propter culpas commiſſas contrà prædicta duo: Secundò adv. eſt, quod tunc ſolùm tranſgreſſio obedientiæ cadit ſub mortali, quando mandatum eſt de re gravi; & Prælatus præcipiendo, habet intentionem obligandi ſub mortali; quod exprimitur, quando præcipit in virtute Sanctæ Obedientiæ, vel quando id, quod præcipit, eſt de præcepto Divino, vel Eccleſiaſtico, aut Regulæ obligantis ſub pænâ peccati mortalis.

Obligatio *eſt Juris vinculum, quo neceſſariò adſtringimur ad aliquid dandum, vel faciendum*: triplex eſt; nempè: *naturalis; civilis*; & *mixta. Text. & DD. ad tit. Inſtit. de obligat.*

Occaſio generatim ſumpta, *eſt cauſa inſufficiens, ſpontè data, vel acceptata alicujus rei facienda, vel dicendæ*: duplex eſt; nempè: *proxima*, & *remota*: Prima, ideſt, *proxima eſt omnis, & illa ſola, quæ continet in ſe peccatum mortale, & quâ uti non poſſumus ſinè peccato, niſi cum magnâ difficultate*: Secunda, ideſt, *remota eſt illa, quæ non ſemper adeſt, ſed indiget inquiſitione, ut inveniatur, & ſæpè non invenitur; & ſi invenitur,*

venitur, difficulter tamen invenitur.

Occaſio proxima duplex eſt; nempè: *activa*, ſeù *voluntaria*; & *paſſiva*, ſeù *involuntaria*: An abſolvi poſſit, qui verſatur in occaſione proximâ voluntariâ peccandi mortaliter, licèt non habeat firmum propoſitum dimittendi illam? Conjicies ex *tribus Propoſ. damn. ab Innoc. XI.*, quæ infrà ponentur: Nulla certò cauſa ſufficiens aſſignari poteſt, cur pænitens deſerere non debeat occaſionem proximam peccandi præter impotentiam *phyſicam*, vel *moralem*, nam quiſque tenetur ſub mortali vitare proximum periculum ſummi mali, quale eſt peccatum mortale, utpotè, graviſſima infiniti Boni offenſa. *Impotentia moralis* idem eſt, ac *occaſio proxima involuntaria*, ut quando quis potiùs ex aliquâ inevitabili neceſſitate, quàm ex affectu ad peccatum, remanet in illâ proximâ occaſione.

Ad cognoſcendum poſteà, quando *occaſio* dici debeat *proxima*: ſecundùm *Gobat. tr. 7. Theol. Experim. num. 525.* alios ibi citantem, eſt: ſi quis *decies*, v. g. in aliquâ occaſione poſitus, *ſeptics*, vel *ſexties* ſuccubuit; ſecùs ſi ſolùm *bis*, vel *ter*.

Exiſtens in occaſione proximâ voluntariâ peccandi; ſi promittit deſerere talem occaſionem, abſolvi poteſt, dummodo tamen anteà non cognoverit obligationem deſerendi dictam occaſionem proximam voluntariam peccandi, quia ſi antè cognovit, non poteſt abſolvi, niſi priùs deſerat talem occaſionem.

Exiſtens in occaſione proximâ involuntariâ peccandi: Si adhibitis proportionatis remediis ex fragilitate iterum, & iterum peccat, abſolvendus eſt, licèt non habeat propoſitum deſerendi occaſionem pro eo tempore, quo *occaſio eſt involuntaria*, dummodo tamen aliqua ſaltem parva emendatio appareat, & cætera alia concurrant; nempè: vera pænitudo præteritorum; firmum propoſitum non peccandi de cætero; firmum propoſitum non redeundi ad illam; & firmum propoſitum, quod quando ex neceſſitate, ſe invenerit in illâ, non peccabit.

Innoc. XI. Propoſ. dam. 61. in ordine: Poteſt aliquando abſolvi, qui verſatur in occaſione proximâ peccandi, quam poteſt, & non vult dimittere; quin immò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit; & Propoſ. 62.

62. Proxima occaſio peccandi, non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, vel honeſta non fugiendi, occurrit; & Prop. 63.

63. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi

pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

Odium, quod eſt vitium charitati oppoſitum, duplex eſt; nempè: *inimicitiæ, & abominationis*: Primum, ideſt, *inimicitiæ* eſt, quo alicui volumus malum, quatenùs illi malum: ſecundum, ideſt, *abominationis* eſt, quo non Perſonam, ſed ejus malitiam adverſamur; vel etiam Perſonam, ſed quatenùs eſt mala, & vitioſa; aut quatenùs eſt nobis noxia.

Si odium eſt contrà Deum (non ratione ſui ipſius, quia hoc eſt impoſſibile, cum nullus poſſit eſſe actus odii, ubi nulla prorſus inveniri poteſt ratio mali), ſed ratione effectuum (puta, quia punit propter peccata); eſt maximum omnium peccatorum, & circà hoc dari non poteſt parvitas materiæ, niſi ob indeliberationem actus, ut cum aliis tenet *Bonac. diſp.3. de præcep. Decal.q.4.pu. ultimo.*

Si odium eſt contrà Proximum, & eſt odium *inimicitiæ*: ex genere ſuo eſt mortaliter peccaminoſum, niſi excuſet parvitas materiæ, vel indeliberatio actus: ſi eſt odium *abominationis*, ut plurimum nullum eſt peccatum, & præſertim in quatuor caſibus: 1. quia peccator eſt juxtà illud *Pſal.*: *Iniquos odio habui &c.* 2. quando deſideratur malum temporale proximo propter ipſius bonum ſpirituale; 3. ob bonum ſpirituale aliorum juxtà illud *Apoſt. ad Gal. cap.4. Utinam abſcindantur, qui vos conturbant*; 4. ob zelum juſtitiæ, nam licitum eſt ob zelum juſtitiæ deſiderare, quod malefactores publicâ authoritate puniantur ſecundum quantitatem, & qualitatem delictorum ab eis commiſſorum, dummodo tamen tale deſiderium non proveniat ex malevolentiâ Perſonarum, quia tunc eſſet peccatum mortale.

Non peccat, qui ſibi, vel alteri mortem naturalem deſiderat ob gravem, & longam infirmitatem, miſerias, & vitam acerbam vitandam, cum tolerabilior ſit mors, quàm in tantis miſeriis vivere: ſecùs dic. ſi ob leves moleſtias, niſi excuſet actus primò primus, vel etiam ſecundò primus.

Ad evitandum ingens malum, univerſale; licitum eſt deſiderare mortem naturalem inferenti.

Officium Divinum &c. vide ſub verbo: *Horarum Canonicarum &c.*

Oratio, ut eſt actus Religionis, *eſt rationabilis alicujus rei poſtulatio à Deo*: Dividitur in *mentalem*, & *vocalem*, & in *publicam*, & *privatam*: *Publica* eſt illa, quæ nomine totius fidelis populi per Eccleſiæ Miniſtros, Deo offertur; puta, in Miſſis, Horis

Ca-

Digitized by Google

O

Canonicis, publicis proceſſionibus, & hujuſmodi, & hæc neceſſario vocalis eſſe debet: *Privata* eſt illa, quam ſinguli fideles privatim in quôcumque decenti loco peragunt, & hæc eſſe poteſt tàm *vocalis*, quàm *mentalis*; & de hac loquitur *Apoſt. in 2. ad Timot. cap.2. Volo ergo Viros orare in omni loco*.

Adultis, uſum rationis habentibus in actu exercito; aliqua oratio eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, ut eſt communis DD. opinio, juxtà illud Salvatoris in Matt. c.7. *Petite... Quærite... Pulſate*, & illud Apoſt. ad Coloſs. cap.4. *Orationi inſtate, vigilantes in eâ*: & ad Theſs. 1. cap.5. *Sinè intermiſſione orate*.

Tempus poſteà, quo oratio eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, quintuplex eſt: 1. tempus obligationis, quo peccator tenetur ſe reponere in ſtatu gratiæ; 2. tempus gravis tentationis, quæ alio congruenti modo, ſuperari non poteſt; 3. tempus manifeſti periculi mortis; 4. tempus gravis preſſuræ publicæ, quæ ſolâ oratione aboleri poteſt; 5. quotieſcumque aliquod Divinum auxilium ſpeciale, eſt neceſſarium ad ſalutem animæ, vel corporis: ità communiter cum *Sannig. tract. de Relig. diſ.1.q.3.*

Conditiones, quibus concurrentibus, ſemper impetratur, quod in oratione petitur ſunt quatuor: 1. quod oratio fiat pro ſe ipſo, & non pro aliis juxtà doctrinam *D. Auguſt. tract. 102. in Joann.*, licèt aliàs etiam pro aliis, & cum fructu fieri poſſit; 2. quod petatur ad ſalutem juxtà *cit. Doc. loco cit.*, 3. quod oratio ſit Pia, ideſt, quod ſit actus virtutis religionis, per quem Homo, ſe totum Deo ſubiicit, ut ſupremo Domino; 4. quod in oratione perſeveretur juxtà illud Salvatoris: *Quoniam oportet ſemper orare, & numquam deficere. Luc. cap.18.*

Oratoriorum genera ſunt duo; nempè: *publica*, & *privata*; prima, ideſt, *publica* ſunt illa, quæ extrà domus privatas ad cultum Divinum, Epiſcopi authoritate ſunt erecta: *privata* ſunt illa, quæ in privatis domibus, & intrà domeſticos parietes abſque licentiâ, & approbatione Epiſcopi, ſunt conſtructa.

Inter Oratoria publica, & privata quintuplex aſſignatur diſcrimen: 1. quod Oratoria privata ſicuti non habent *Jus aſyli*; ità in eis nemo ſecurus eſt à Laicâ poteſtate; 2. quod *publica* viſitari poſſunt ab Epiſcopo, non verò *privata*, niſi in caſu, quo præcederet accuſatio, denunciatio, aut publica fama, quod Oratorium indecenter teneretur: ita *Petra tom.2. comen. ad conſtit.8. Honorii 3. ſect.1. nu.60.*; 3. quod in *privatis*, nequeunt publicè teneri, & plu-

O

pulſari campanæ, benè verò in *publicis*; 4. quod *publica* habere debent januam in viâ publicâ, non verò *privata*; 5. quod in *publicis*; Miſſæ celebrari poſſunt ſtatim hac ab Epiſcopo, publico cultui, canonico ritu ſunt erecta: ſecùs dic. de *privatis*, niſi adſit indultum Apoſtolicum, taliter, quod neque Epiſcopus id permittere poſſit ſinè tali indulto, licèt daretur neceſſitas pro deferendo Viatico alicui infirmo in extremis exiſtenti, ut conſtat ex *reſponſ. Sac. Cong. Conc. ad Card. Paleottum*, ut refert *Fagnan. in 3. ad cap. Authorit. de Cenſib. n.*18.

Quæritur, an qui audiunt Miſſam in *Oratoriis privatis*, ſatisfaciant præcepto Eccleſiaſtico de audiendo Sacro in die Feſto præcepti? Reſp., quod illa clauſula, quæ eſt in Indultis; nempè: *In tuâ, ac Familiæ præſentiâ*, intelligi debet de *Familiâ agnatitiâ, & Conſanguineâ* illius, cui indultum eſt conceſſum, quæque in eâdem Domo habitat, atque ejuſdem eſt comenſalis, non verò de *familiâ ſervili*, illis tamen exceptis, qui in actu celebrationis Miſſæ, ſervitio Domini ſui ſunt neceſſarii, quia etiam iſti ſatisfaciunt præcepto: ità cum aliis *Monacell. form. part. 2. tit. 13. num. 32. & ſeqq.* Hoc tamen limitatur in Oratoriis privatis Epiſcoporum intrà Domum propriæ habitationis, & hoc licèt ſint ſolummodo Titulares, ut declaravit *Sac. Cong. Conc. die 15. Decemb.* 1703.

Ordo *eſt Sacramentum novæ legis, in quo traditur ſpiritualis poteſtas conficiendi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, ſivè immediatè, ſivè mediatè tantùm, plùs minùſve juxtâ uniuſcujuſque Ordinis officium, & gradum*.

Ordines ſunt ſeptem; nempè: *Oſtiariatus*; *Lectoratus*; *Exorciſatus*; *Accolitatus*; *Subdiaconatus*; *Diaconatus*; *Presbyteratus*: quatuor priores dicuntur Ordines *Minores*; & tres poſteriores dicuntur Ordines *Majores*: Prima Tonſura non eſt Ordo, ſed diſpoſitio ad Ordines ſuſcipiendos, licèt aliàs tonſuratus gaudeat privilegio *Fori*, & *Canonis*: Ordo imprimit characterem, & ideò iterari non poteſt: *Trid. ſeſſ. 7. Can. 9.*

Licèt Ordo ſit ſimpliciter neceſſarius *toti Eccleſiæ*, non eſt tamen neceſſarius *ſingulis*; nam ſi ſingulis eſſet neceſſarius, legitima Populi Chriſtiani propagatio deperderetur; & ſi toti Eccleſiæ non eſſet neceſſarius, Hierarchia Eccleſiaſtica interiret.

Epiſcopatus eſt propriè Ordo, licèt aliàs commodè referatur ad Ordinem Sacerdotii: quod ſit propriè Ordo conſtat ex *Trid. ſeſſ. 23. cap.*

cap. 4.: quod commodè referatur ad Ordinem Sacerdotii, eſt communis opinio inter Theologos.

Omnes, & ſinguli Ordines tàm Minores, quàm Majores ſunt verum, ac propriè dictum Sacramentum: circà Sacerdotium eſt de Fide Divinâ, circà alios, colligitur ex *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 2., *& Can.* 3., ubi dicitur, quod in Eccleſiâ ſunt ſeptem Ordines, quorum quilibet imprimit ſpecialem characterem, ab aliis diverſum, ut communiter tenent Theologi cum *D. Bonav. in* 4. *diſt.* 24. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 2., licèt aliàs prædicti ſeptem Ordines inſimul, conſtituant unum tantummodo Sacramentum Ordinis, & *unitate finis*, in quantum, ſcilicet, omnes ordinantur ad unum Sacerdotium; & *unitate generis proximi*, quatenùs, ſcilicet, omnes, & ſinguli Ordines in particulari, conveniunt in *ratione Sacramenti Ordinis*, *ut ſic* tamquam *in genere proximo*; quapropter à *Trid. loco cit.* comprehenduntur omnes ſub uno nomine *Sacramenti Ordinis*; & hac ratione characteres particulares ſingulorum Ordinum, inſimul conſtituunt *unum characterem totalem*, & *completum* Ordinis.

Materia *remota* Sacramenti Ordinis, eſt illud inſtrumentum, quod Ordinandis traditur tangendum: *proxima* eſt traditio talis inſtrumenti, quod neceſſariò tangi debet *phyſicè* ad evitandam damnationem, factam ab *Innoc. XI. in ſuâ primâ Propoſ. damn.*; *Forma* ſunt verba, à Prælato Ordinante prolata in actu, quo tradit inſtrumentum tangendum: *Miniſter ordinarius* eſt Epiſcopus, ut habetur ex *Trid. ſeſſ.* 25. *Can.* 7. Abbates Mitrati; & Presbyteri privilegiati, habentes Jus Mitræ, & Baculi benedicti, miniſtrare poſſunt Ordines Minores ſuis ſubditis, & hoc ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, ut apparet ex *cap. Quoniam videmus diſt.* 69. &c. *Cum contingat*; *De ætat., & qualit. præfic.* Subjectum eſt quilibet Homo baptizatus, qui habeat ſufficientem litteraturam, & aliàs non ſit irregularis, neque ex defectu, neque ex delicto: Effectus hujus Sacramenti duplex eſt; nempè: gratia, & character.

Ordines *Sacri* in Sabbatis Quatuor Temporum; & Sabbatis præcedentibus Dominicam Paſſionis, & Dominicam Paſchæ conferri poſſunt: ità *Trid. ſeſſ.* 23. *de ref. cap.* 9. De ſpeciali licentiâ Papæ, etiam extrà prædicta tempora.

Ordines *Minores* conferri poſſunt in quâcumque die feſtivâ, ut habetur ex *cap. De eo autem*; *de tempor. ordin.*, & etiam in *Pon-*

tificali Romano: Conferri poſſunt in unâ, eâdemque die, & eâdem Ordinatione, ut jam uſu receptum eſt: ſimul cum quatuor Ordinibus Minoribus in eâdem Ordinatione, conferri poſſe etiam Subdiaconatum, eſt opinio *Nav. cap. 25. Manual. n. 71.*, & etiam *Engel. de temp. Ordinat. n. 19.*, atque aliorum, ſed hoc eſt contrà praxim.

Non deſunt ex modernis Hæreticis aliqui, qui *omnimodè Sacramentum Ordinis* negant; & alii, aliquos tantummodo, non verò *ſeptem*, ut ſemper tenuit, & docuit; tenet, & docet Sancta Apoſtolica Catholico-Romana Eccleſia omnium aliarum Eccleſiarum Mater, & Magiſtra: Verùm circà hunc Fidei articulum, nullis armis aptiùs interimi poſſunt, quàm proprio illorum gladio; nam ipſi (ut alibi, & pluribi dixi) fatentur veram Chriſti Eccleſiam ad minùs per quinque ſæcula floruiſſe; Patreſque illorum temporum verè Orthodoxos fuiſſe: quapropter per neceſſariam conſequentiam confiteri debent, quod in eorum ſcriptis circà veram Fidem Catholicam, & Apoſtolicam, totum fuiſſe Orthodoxum, nihil Etherodoxum: ſed *S. Cyprianus*, qui in tertio ſæculo vixit in *lib. de Card. Chriſti operibus in cap. de lotione pedum* ſic ſcripſit: *Quæ ſit Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum ſtabilitas; nam Baptiſmum repeti, Eccleſiaſticæ Regulæ prohibent..., & nemo* SACROS ORDINES *ſemel datos renovat.*

S. Ignatius Apoſtolorum Diſcipulus in Epiſt. ad Antiochenos ſic concludit: *Saluto veſtrum Sanctum Sacerdotem; ſaluto Sanctos Diaconos; Lectores; Cantores; Oſtiarios; Exorciſtas &c.* Concilium Cartaginenſe, in quo interfuit D. Auguſtinus; cuique manu propriâ ſe ſubſcripſit, *in Can. 3. & ſeqq.* SEPTEM ORDINES enumerat; & etiam particulares ritus cujuslibet, in eorum collatione deſcribit: & denique S. Cajus Papa, qui vixit in tertio ſæculo, & ſub Diocletiano, martyrii palmâ, decoratus eſt, ordinavit, ut in Eccleſiâ ad Epiſcopatum aſcenderetur per ſeptem Ordinum gradus; nempè: Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri. Ergo vel Lutherus, Calvinus, & tot alii eorum ſequaces cum eorum infamiâ, retractare debent, quod typis mandarunt, quod, ſcilicet, vera Dei Eccleſia per quinque ad minùs ſæcula illibata fuerit ab omni errore hæreticali; immò, quod tali tempore viguerit vera Religio, & ſyncerior floruerit doctrina; Patreſque illorum temporum Orthodoxos fuiſſe, vel ſyncero corde, & pleno ore confiteri, quod OR-

DO

O

DO ſit verum Sacramentum, à Jeſu Chriſto inſtitutum; & quod Ordines ſunt SEPTEM.

P

PApa, ideſt, Romanus Pontifex, canonicè electus: ſicuti eſt D. Petri Apoſtolorum Principis in Pontificatu legitimus ſucceſſor, & conſequenter Chriſti Vicarius in terris; ita eſt ſupremus Monarca totius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ in *ſuperioritate Officii*, & in *independentiâ imperii*, ſicuti clarè patet ex differentiâ privilegiorum, Petro à Jeſu Chriſto conceſſorum,& non cæteris Apoſtolis; nam licèt Petro, & aliis ſimul Apoſtolis conceſſerit authoritatem celebrandi Miſſam: *Hoc facite in meam commemorationem*. Luc. cap.22.: Prædicandi: *euntes docete omnes Gentes*. Matt. cap. 28., remittendi peccata: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cælo*. Matt. cap.15., Spiritus Sancti receptionem: *Accipite Spiritum Sanctum*. Jo: cap 20. Soli Petro tamen, utpotè ejus Vicario in Terris, conceſſit ſupremam authoritatem ſuper omnes alios: *Ego dico* TIBI TU ES PETRUS, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Matt. cap.16., ſoli Petro authoritatem circà Sacrorum Theſaurorum diſpoſitionem conceſſit: *Tibi dabo Claves Regni Cælorum*. Matt. ibidem. Soli Petro infallibilitatem in diſcernendis Fidei quæſtionibus: *Rogavi pro* TE PETRE, *ut non deficiat Fides tua*. Luc. cap. 22. Idem dic. circà promulgationem: *Confirma Fratres tuos*. Luc. ibidem: Soli Petro commiſit curam paſcendi Sacris Doctrinis Oves, & Agnos, ideſt, Epiſcopos cum toto Fidelium Cœtu: *Paſce Oves meas, paſce Agnos meos*.

Hinc S. Bernardus in probationem Primatus Petri inter Apoſtolos; in *lib. 1. de conſid.* ſic quaſi Divinitùs ſcripſit: *Non modo* Ovium, *inquit Chriſtus*, *ſed &* Paſtorum, *tu unus es* Paſtor. *Undè id probem, quæris? Ex verbis Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed* Apoſtolorum, *ſic abſolutè, & indiſcretè, totæ commiſſæ ſunt Oves? Si me amas*, paſce Oves meas: *Quas? Illius, vel illius, Populos, Civitatis, aut Regionis, aut certi Regni?* Oves meas, *inquit*. *Cui non planùm, non deſignaſſe, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi nihil diſtinguitur*.

Sanctus quoque Jo: Chryſoſtomus in *hom. 4. in Act. Apoſt.* ſic ſcripſit: *Erat Petrus os omnium; cauſam Dei agit pro omnibus; doctrinâ ſuâ inſtruit omnes; ipſe præcipuus Fidei aſſertor;*

 præci-

præcipuus Catechiſta habetur; & primus extitit verbi concionator; & primus coegit Eccleſiam: & qui omnium Paſtor fuit à Domino inſtitutus; *ex omnibus nationibus cogere cæpit Oves, docens eos Fidem ſimul, & Sanctitatem.*

Ipſemet Lutherus modernorum Hæreticorum Anteſignanus, & Dux, aſſerere, & confiteri non dubitavit primatum Petri in Apoſtolicâ Eccleſiâ, ſcribendo in tom. 1. reſolut. *Petrum eſſe Apoſtolorum Principem; primum Eccleſiæ membrum; caput Collegii Apoſtolici.*

Illi Hæretici, qui vetuſtorum Donatiſtarum errores hæreticales ſequuntur, fatentur etiam ipſi Primatum Petri inter Apoſtolos; ſed talem Primatum reſtringunt ad *ſolum Primatum honoris*, negantes *Primatum Poteſtatis, Dignitatis, & Imperii*; & in confirmationem talis erroris dicunt, quod ſi Petrus habuiſſet Primatum Imperii, Dignitatis, & Poteſtatis inter Apoſtolos; Paulus auſus non fuiſſet *ei reſiſtere in faciem*, ut legitur in *Epiſt. ad Galatas cap. 2.*, ſed ad hanc objectionem reſp. cum *D. Auguſtino in Epiſt. ad S. Hieronym.*, quæ incipit: *Jam pridem*: quod ſicuti talis reprehenſionis cauſa fuit, (ut ibidem in eâdem Epiſt. legitur) quia dùm Petrus Chriſtianâ libertate cibum ſumebat cum Gentilibus, ad Fidem Chriſtianam converſis; iſtis relictis, obvius fuit Hæbreis baptizatis; & ideò, quod *fuit laus juſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro*; nam, ut dicit *Tertull. in lib. de præſcript. cap. 3.* error Petri, non fuit error *Prædicationis*, ſed *converſationis*. Si enim Primatus Petri, ſe ſolùm extendiſſet ad Primatum Honoris, & non ad Primatum Poteſtatis, Dignitatis, & Imperii, auſus non fuiſſet Petrus in Concilio, ab Apoſtolis Hieroſolymis convocato, ubi Jacobus erat Epiſcopus, non ſolùm eſſe primus ad loquendum circà *hæreſim Cherinti*, qui docebat neceſſariam eſſe *Circumciſionem cum Baptiſmo* pro æternâ ſalute conſequendâ, ut legitur in *Act. Apoſt. cap. 15.*, ſed etiam proferre ſententiam definitivam damnationis Cherinti, ejuſque doctrinæ cum abolitione Circumciſionis: quæ ſententia, ut ab Apoſtolorum Principe prolata, fuit approbata ab omnibus, in eòdem Concilio congregatis, ut evidenter educitur ex *cit. Act. Apoſt.*, ubi ſic legitur: *Tacuit omnis multitudo*.

Si aliqui ſolùm ex modernis Hæreticis, negant Primatum Dignitatis, Poteſtatis, & Imperii in Petro; nullus eſt, qui non neget hujuſmodi Primatum in ejus ſucceſſoribus, innixi in verbis Salvatoris:

vatoris: TU *es Petrus*, *& ſuper* HANC *Petram ædificabo Eccleſiam meam*: TIBI *dabo Claves Regni Cœlorum*: *Rogavi pro* TE PETRE, *ut non deficiat Fides* TUA, *&* TU *aliquando confirma fratres tuos*: PASCE *Oves meas &c.*, ex quibus verbis Salvatoris deducunt, quod ſoli Petro, Jeſus Chriſtus dedit poteſtatem imperii ſuper omnes alios; & non Succeſſoribus ejus.

Verùm ſi Hæreticorum aſſertio eſſet vera, ſequeretur, quod contrà Fidem erraſſent non ſolùm illi vetuſtæ Eccleſiæ Patres, qui ab ipſis Hæreticis ſunt venerati, ut Orthodoxi, ſed etiam omnia Concilia Generalia Æcumenica in Eccleſiâ Dei celebrata, & illa quatuor prima præſertim, de quibus *OEcolampadius ſcult. annal. decad.* 2. *ad annum* 1529. ſic ſcripſit: *Sunt enim illa quatuor prima Æcumenica Concilia, quantum ad Fidei dogmata attinet, verè Sacroſancta, & in verbo Dei fundata, à nullo fideli unquam rejecta*: Idem etiam docent Calvinus *Inſtitut. lib.* 4. *cap.* 9. *ſect.* 8., Breintigerus *Opuſc. de Sect. pag.* 16. *& ſeq.*, Anonymus quidam in *Opuſc. de Concordiâ Bernenſis Eccleſiæ cum doctrinâ Apoſtolorum, & quatuor Æcumenicorum Conciliorum* Bernæ impreſſo anno 1650., ſic in propoſit. 6. ſcripſit: *Eccleſiam dici Catholicam, quia à quatuor Æcumenicis Conciliis, ſit verbo Dei conformis judicata, & quod Eccleſia, quæ credit ea, quæ ab his Conciliis credita fuerunt, non habeat Fidem novam, ſed veterem, ſitque vera, & Catholica Eccleſia.*

Erraſſent contrà fidem, dico, quia authoritate Romanorum Pontificum fuerunt congregata, & eorum acta confirmata, & conſequenter erraſſent contrà Fidem ſe ſubjiciendo poteſtati, & imperio Romanorum Pontificum, nullam poteſtatem, & imperium ſuper Concilia Generalia habentium: Concilium enim primum Nicænum, inter alia acta, hoc de Romanis Pontificibus ſcripſit: *Qui tenet Sedem Romanam Caput eſt, & Princeps omnium Patriarcarum* -- Primum Conſtantinapolitanum ſic: *Summo Pontifici Damaſo primo in Ordine Eccleſiaſtico*. Epheſinum ſic: *Sanctus Petrus in ſuis Succeſſoribus vivit, & judicium exercet*. Chalcedonenſe ſic.. *Sanctiſſimus, & Beatiſſimus* Papa *Caput univerſalis Eccleſiæ*: & in Act. 6. poſtquam Patres legerunt Epiſtolam S. Leonis Papæ ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinapolitanum ſic ſcripſerunt: *Nobis inexpugnabilem in omni errore propugnatorem providit Deus*, & Romanæ Eccleſiæ Papam,

ad

ad victoriam præparavit, & doctrinis eum per omnia veritatis adſtringens, ut quemadmodum Petrus, & hic (ideſt Leo) *affectu ferventiore decertans, omnem ad Deum, ſenſum, & intelligentiam perducat*. In *Seſſ.* 3. hujus Concilii præſentatæ fuerunt Legatis Pontificiis accuſationes contrà Dioſcorum, cum hac inſcriptione: *Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Univerſali Patriarchæ magnæ Romæ* Leoni, *ac Sanctæ, & Univerſali Synodo Chalcedonenſi*. In hoc Concilio anathematizati fuerunt Eutiches, & Dioſcorus cum omnibus eorum ſeguacibus, eòrumque doctrina damnata, quod totum poſteà fuit confirmatum à Leone. Erraſſent ergo contrà Fidem iterum dico, ut ex prædictis patet, illa prima quatuor Concilia Æcumenica, ſi Romani Pontifices Petri Succeſſores, non haberent illam imperii poteſtatem, quam Chriſtus dedit Petro, ut ſuperiùs probavi.

Erraſſent eòdem modo cætera alia Concilia Generalia Æcumenica uſque ad Tridentinum incluſivè, inter quæ Florentinum, cui interſuerunt Latini cum Græcis; nam in eo part. x1. collat. 22. ſic decretum fuit: *Definimus Sanctam, & Apoſtolicam Sedem*, & Romanum Pontificem *ſucceſſorem eſſe Beati Petri Apoſtolorum Verticis*, & verum Chriſti Vicarium, & totius Eccleſiæ Caput, *& omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere*, & in univerſum Orbem, tenere Primatum; & in B. Petro, paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam, à D. N. J. C. plenam poteſtatem *traditam fuiſſe*; & in Lateranenſi pariter Æcumenico Generali *ſeſſ.* 2. ſtatutum fuit: *Solum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tamquam authoritatem ſuprà omnia Concilia habentem; Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum*, plenum Jus, ac poteſtatem habere *nedùm ex Sacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ſed propriâ etiam eorundem Conciliorum Confeſſione manifeſtè conſtat*.

Erraſſent pariter eodem modo plurimi ex illis Sanctis, & Orthodoxis Romanis Pontificibus, qui juxtà etiam Hæreticos fuerunt legitimi. S. Petri Succeſſores, eo quod ſibi ipſis uſurpaſſent illam plenitudinem poteſtatis, & imperii, quam Jeſus Chriſtus dedit Petro: Hoc patet primò de S. Hyginio electo Papâ anno 154., qui anno ſecundo ſui Pontificatus anathematizavit Valentinum, & Cerdonem Hæreſiarcas, eorumque doctrinam damnavit, ut refert *S. Irenæus lib. 2. cap. 4.* Secundò de S. Aniceto electo

electò Papâ anno 167., qui excommunicavit Montanum Hæreſiarcam, ejuſque doctrinam damnavit, ut narrat *S. Apollinaris*, qui eo tempore erat Epiſcopus Hieropolis in Aſiâ. Tertiò de S. Victore electo Papâ anno 194., qui anathematis mucrone percuſſit, & à Fidelium communione abſcidit Policratem Epiſcopum Epheſinum cum omnibus Aſiæ Epiſcopis, eo quia contumaces fuerunt in tranſgreſſione celebrationis Paſchatis in die Dominico poſt plenilunium Martii, ſicuti præceperat; hæc S. Victoris reſſolutio poſt centum viginti annos, approbata fuit à primo Generali Conc. Æcum. Nicæno. Quarto de S. Zephyrino electo Papâ anno 203., qui excommunicavit Tertullianum, quia in *lib. de pudicitiâ cap.* 1. reprobavit veniam peccatorum, cum priùs in *lib. de pænit. circà finem* ſcripſiſſet, Eccleſiam jure, & rectè recipere pænitentes, & peccata dimittere. Quintò de S. Stephano electo Papâ anno 257., qui excommunicavit Firmilianum Cæſareæ Epiſcopum, & Capadociæ Primatem, cæteroſque Epiſcopos, qui ei adhærebant. Sextò de S. Dionyſio electo Papâ anno 261., qui excommunicavit Sabellium, & Paulum Samoſatenum Hæreſiarcas, eorumque doctrinas damnavit: Plures alios prætereo brevitatis gratiâ.

Illi tandem primævæ Eccleſiæ Patres, ab ipſis Hæreticis venerati, ut verè Orthodoxi; & præſertim à Kechermano deſcripti, ut Apoſtolorum Diſcipuli, aut iſtorum auditores, Etherodoxi fuiſſent, ſi poteſtas imperii à Jeſu Chriſto data Petro, concesſa non fuiſſet etiam ejus legitimis Succeſſoribus, cum in eorum ſcriptis de tali veritate, evidentiſſima præbuerint teſtimonia.

S. Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. ità teſtatus eſt: *Non aliundè hæreſes ortæ, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm indè, quod* Sacerdos Dei *non obtemperatur, nec unus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus* Judex vice Chriſti *cogitatur*; & in Epiſt. ad Florentium Pupianum Schiſmaticum ſic: *Indè ſchiſmata, & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur*, dùm Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, *ſuperbâ quorumdam præſumptione contemnitur. Itaque, qui Chriſto non credit* Sacerdotem *facienti, poſteà incipit credere* Sacerdotem *vindicanti*; & in lib. de unitate Eccleſ. ſic: *Eccleſiæ unitatem, qui non tenet, tenere Fidem ſe credit? Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit*, & qui Cathedram Petri, *ſuprà quam fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſiâ ſe eſſe confidit?* S. Hieronymus in Epiſt. 2. ad Damaſum

ſic:

ſic: *Hìc inter partes ſchiſſa Eccleſia, ad ſe rapere me feſtinat; ego interim clamo*; Qui Cathedræ Petri conjungitur, *meus eſt*. S. Athanaſius in Epiſt. ad Fælicem Papam ſic: *Ob id vos, & Prædeceſſores veſtros, Apoſtolicos, videlicet, Præſules, in ſummitatis arce conſtituit* omnium Eccleſiarum curam habere, *ut nobis ſuccurratis*. S. Baſilius in Epiſt. ad S. Athanaſium ſic: *Viſum eſt conſentaneum ſcribere* ad Epiſcopum Romanum, *ut videat res noſtras*, & judicii decretum *interponat*. S. Auguſt. in lib. de utilit. credendi cap. 17. ſic: *Eccleſiæ Romanæ* nolle primatum dare; *vel ſummæ impietatis eſt, vel ſummæ dementiæ*; & contrà Epiſt. fund. cap. 4. ſic: *Multa ſunt, quæ me in Catholicæ Eccleſiæ tenent... Tenet ab ipſa Sede* Petri Apoſtoli, cui paſcendi Oves ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendavit *uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum*. S. Leo Papa ſerm. 2. in anniverſ. ſuæ aſſumpt. antè medium ſic: *In universâ namque Eccleſiâ* Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, quotidie Petrus dicit, *& omnis lingua, quæ confitetur Dominum, magiſterio hujus vocis imbuitur. Hæc Fides Diabulum vincit, & captivorum ejus vincula diſſolvit. Hæc erutos Mundo, inſerit Cælo, & portæ inferi adversùs eam prævalere non poſſunt. Tantâ enim Divinitùs ſoliditate munita eſt, ut eam neque Hæretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana ſuperare potuerit perfidia. His itaque modis, dilectiſſimi rationabili obſequio celebratur feſtivitas*, ut in perſonâ humilitatis meæ, ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Paſtorum ſolicitudo cum commendatarum ſibi Ovium cuſtodia perſeverat, & cujus etiam dignitas in indigno hærede *non deficit*. S. Gregor. in Pſal. 5. Pænit. ſic: *Hæc Sedes Romana ſpeculatorem ſuum totò Orbi indicit, & novas conſtitutiones omnibus mittit*. Sanctus Petrus Chryſologus Ravenæ Epiſcopus in epiſt. reſponſ. ad Eutychen. ſic: *In omnibus autem hortamur te, ut his, quæ à Beatiſſ. Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas*; quoniam B. Petrus, qui in propriâ Sede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. *Nos enim pro ſtudio pacis, & fidei* extrà conſenſum Romanæ Civitatis Epiſcopi, *cauſas audire non poſſumus*. S. Bernardus denique (alios prætereo brevitatis gratiâ) in lib. de conſiderat. c. 8. ſic Eugenio III. alloquitur: *Tu Sacerdos magnus. Tu Summus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum. Tu hæres Apoſtolorum*... POTESTATE PETRUS; UNCTIONE CHRISTUS.

Ex prædictis evidenter conſtat, quod ſi Papa non haberet eandem poteſtatem imperii, quam Jeſus Chriſtus dedit Petro; citati Patres etiam ab Hæreticis venerati, ut verè Orthodoxi, non fuiſſent Orthodoxi, ſed Etherodoxi.

Sed non ſolùm illi Romani Pontifices, qui vixerunt in primis tribus ſæculis; quatuor prima Concilia Generalia Æcumenica, ab ipſis Hæræticis venerata, ut quatuor Evangelia, tot Sancti, & Orthodoxi primævæ Eccleſiæ Patres, ſed etiam Laici Catholici; immò ipſimet Hæretici clarum dederunt teſtimonium de poteſtate imperii Summorum Pontificum.

Michael Paleologus Græcorum Imperator in Epiſt. quam ſcripſit, & miſit ad Greg. X., qui perſonaliter præſidebat in Concil. General. Æcumen. 14. in ordine, & ſecundo Lugdunenſi, ſic incipit (ut refert Rayn. anno 1274. num. 14.) Sanctiſs., & Beatiſs. primo, & Supremo Pontifici Apoſtolicæ Sedis Venerabili Papæ, & communi omnium Chriſtianorum Patri... ipſa quoque Sancta Romana Eccleſia, *ſummum, & plenum Primatum, & Principatum ſuper univerſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quem ſe ab ipſo Domino, in Beato Petro Apoſtolorum Principe, ſivè Vertice, cujus* Romanus Pontifex *eſt ſucceſſor cum poteſtatis plenitudine*... & ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem deffendere; ſic etiam, quæ de fidei ſubortæ fuerint quæſtiones, *ſuo debent judicio definiri*.

Andreas Duallius Sorbonicæ Scholæ celebris Doctor in tract. de Romanorum Pontificum poteſtate p.4. q.7. ſic de Romanorum Pontificum authoritate, & infallibilitate, ſcripſit: *Totus Orbis exceptis pauculis Doctoribus eam* (ideſt Sententiam) *amplectitur, & rationibus validiſſimis tùm ex Scripturâ, Conciliis, & Patribus; tùm ex principiis Theologiæ petitis, confirmatur*.

Ex hæreticis Calvinus, ut Hæreſiarca, ſit primus: In lib.4. Inſtit. cap.4. ſic ſcripſit: *Nullum fuit tempus, quo non Romana Sedes imperium in alias Eccleſias, non appetiverit*. Appetivit, reſpondeo ego, quod ſibi debebatur ex juſtitiâ, ut ſuprà viſum eſt, quia ſi nullum fuit ergo à tempore Apoſtolorum.

Polanus Theſ. cap.18. Synph. Pat. ſic: *Quod verò Patres quidam, ut Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Athanaſius, Optatus, Auguſtinus unionem, & conjunctionem cum Romanis Epiſcopis profeſſi ſunt, vel requiſierunt; ideò fecerunt, quia tunc Romani Pontifices Orthodoxi, & ſinceri erant in fide catho-*

 licâ

licâ. Ergo ſi erant Orthodoxi, & ſinceri in fide catholicâ; illa poteſtas imperii, quam exercuerunt, erat legitima, illa, ſcilicet, quam dedit Jeſus Petro.

Scharphius Curſ. Theol. tit. de Cap. Milit. Eccleſ. quæſt.5. ad object. 1. ſic: *Tres ultimi, hoc eſt, Athanaſius, qui ad Julium; Chryſoſtomus, qui ad Innocentium; Thebanus Epiſcopus, qu ad Gregorium appellaverunt; auxilii tantùm gratiâ Romam confugerunt, quia Eccleſia Romana Orthodoxa adhuc remanſerat*. Certiſſimum eſt, quod Eccleſia Romana erat, ſicuti etiam de præſenti eſt Orthodoxa; ſed cauſa motiva cur prædicti Sancti ad prædictos Romanos Pontifices appellaverunt fuit, quia eos agnoſcebant ſupremos in poteſtate judicandi, abſolvendi, ligandi &c. agnoſcebant inquam, in illis illam ſupremam poteſtatem, quam Jeſus Chriſtus dedit Petro; ideòque ad illos confugerunt, ut conſtat etiam per confeſſionem *Sculteti hæretici, qui in Medull. 1. cap. 16. Synt. Dect. Athanaſ.* ſic ſcripſit: *Sed quæri poteſt, cur ad Romanum Pontificem, & non vel ad Hieroſolymitanum, vel Antiochenum confugerent Accuſatores Ægyptii? Cauſas dicam: Erat Romanæ Eccleſiæ fides in Orbe Chriſtiano celebris: erat Eccleſia illa, præ cæteris ſanguine Martyrum nobilitata*.

Scripſit Sultetus veritatem, ſed tacuit cauſam motivam, cur Accuſatores Ægyptii ad Romanum Pontificem confugerent. Nam etiam Eccleſia Hieroſolymitana erat tunc temporis celebris in Orbe Chriſtiano, & Martyrum ſanguine nobilitata, ad quam confugere potuiſſent, & cum minori incommodo; ſed quia cognoſcebant, quod ſolus Romanus Pontifex, eſt verus, & legitimus ſucceſſor Petri; ideò ad Romanum Pontificem confugerunt, ut ad ſupremum Judicem, poteſtatem Petri habentem.

Ex prædictis ergo omnibus: hæretici confiteri coguntur, quod Primatus Petri eſt primatus Poteſtatis, Dignitatis, & Imperii, qui derivatur in omnes ejus ſucceſſores, qui ſunt Summi Pontifices Rom.

Papa in *fidei, & morum controverſiis decernendis*, eſt infallibilis etiam extrà Concilia Generalia, ut viſum eſt in illis ſex Summis Pontificibus ſuprà citatis, qui Apoſtolicâ poteſtate extrà Concilia Generalia, anathematum mucrone, & Hæreſiarcas percuſſerunt, & eorum doctrinas damnaverunt; & educitur ex verbis Jeſu Chriſti in Lucâ cap. 22., & ex epiſt. 1. ad Tim. cap. 3.

Jeſus enim Chriſtus in cit. Luc., Petro dixit: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua*: ergo Petrus circà res fidei errare non

non potuit; ergo idem dic. eſt de ejus legitimis ſucceſſoribus, ut ſuprà probatum eſt: Sciebat enim, Jeſus Chriſtus, quod Petrus erat moriturus, & Eccleſia ſua Sponſa perpetuò duratura; ideò ne ejus verba fruſtarentur: *Si teſtes non audiverit dic* ECCLESIÆ; ideò neceſſariò concludendum eſt, quod oratio à Jeſu Chriſto facta pro Petro, ne ejus fides deficeret, fuit etiam facta pro ejus Succeſſoribus canonicè electis. Educitur etiam perlucidè ex verbis Apoſtoli in cit. epiſt., ubi dicit, quod *Eccleſia eſt Columna, & firmamentum veritatis*: ergo Papa, qui eſt Caput Eccleſiæ; ſi eſt Columna, & firmamentum veritatis, errare non poteſt; ergo ſi errare non poteſt, eſt infallibilis in decernendis controverſiis Fidei, & morum integritatis. Quod poſteà Papa ſit Caput Eccleſiæ, evidenter patet, niſi velimus dicere, quod Eccleſia ſit corpus pluſquam monſtruoſum, immò inanimatum, ideſt, acephalum.

Papa *Jure Divino*, poteſt ſibi eligere in Confeſſarium quemcumque Sacerdotem: *Jure conceſſo* etiam omnes Prælati, qui ſunt de Familiâ Papæ: idem dic. de Cardinalibus, & de illis, qui ſunt de eorum Familiâ, de licentiâ tamen ipſorum Cardinalium: Legati, Epiſcopi, & denique omnes Prælati, & Regularium Superiores, etiam ſolùm Præſidentes in Monaſteriis, poſſunt ut ſuprà: Secùs dic. de Abbatiſſis, eo quod nullam habent juriſdictionem reſpectu fori interni.

Ex vi conſuetudinis, idem facere poſſunt Imperatores, Reges, eorumque Uxores: ità *Thom. Hurtad.*, *Vaſquez*, *Suarez*, & alii: idem dic. de Magnis Principibus in ordine ad quemcumque Confeſſarium, aliàs approbatum: ità *Tannerus tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 9. *n.* 54.

Sacerdos Regularis: ſi ſinè licentia proprii Superioris approbaretur ab Epiſcopo ad audiendas Confeſſiones, *validè* abſolveret, ſed *illicitè*.

Epiſcopi *Jure Divino* habent juriſdictionem ſpiritualem in utròque foro, ipſis à Papâ immediatè communicatam reſpectu ſuorum Diœceſanorum.

Parochi habent juriſdictionem in ſuos Parochianos, quam habent Epiſcopi in omnes ſuos Diœceſanos, ſed ſolùm *Jure humano*: idem dic. de quòcumque alio, cui ex Jure, vel privilegio ſpeciali, ſit commiſſa cura animarum reſpectu ſuorum ſubditorum: ſecùs dic. eſt de habentibus Juriſdictionem delegatam in ſubditos Delegantis extrà ipſius Territorium, ut eſt communior, & probabilior DD. opinio.

 Pa-

Parentes tenentur ſub mortali oſtendere amorem filiis circà quatuor: 1. circà congruam ſuſtentationem, non ſolùm de præſenti, ſed etiam pro futuro pro uniuſcujuſque ſtatu, & conditione, juxtà illud *Apoſtoli in 2. ad Cor. cap. 12. Non enim debent Filii Parentibus theſaurizare, ſed Parentes Filiis*; 2. circà conſervationem Legitimæ; 3. circà ſpiritualia; 4. circà pænas correctionis. Quod dicitur de Parentibus ergà Filios; idem intelligendum eſt de quôcumque alio, habente quamcumque poteſtatem, ſivè ſpiritualem, ſivè ſæcularem ſuper illos, ut docet *Apoſt. ad Epheſ. in cap. 2.*, & ad *Hæbr. in cap. 13.*, & alibi.

Parochus *eſt Clericus, qui Parochiæ præeſt*. Differt in hoc à *Plebano*, quod Plebanus habet Eccleſiam, quæ ſub ſe plures habet Eccleſias, vel Capellas, ut conſtat ex *Tex. in cap. Statutum*; junctâ *Gloſſ. ne Cleric., vel Monach. in 6.* eſt ſtabilis ad vitam, & non amovibilis, vel locatarius; & ratio eſt, quia inter eum, & Eccleſiam celebratur matrimonium ſpirituale, ut habetur ex *Trid. ſeſſ. 21. de ref. cap. 6.*, aliter dic. eſt de Regularium Parochis, qui in propriâ Eccleſiâ habent Parochiam ſæcularium.

Si Parochus eſt imperitus, & aliàs honeſtè vivit: illi deputari debet Coadiutor, vel Vicarius, donec peritus fiat: ſi eſt peritus, & ſcandaloſè vivit; moneri debet, & ſi non ſe corrigit, coerceri debet, & etiam puniri; & ſi conſtat de incorrigibilitate, ab Epiſcopo, privari debet Beneficio juxtà *Sacrorum Canonum Conſtitutiones*.

Parochus tenetur habere ſufficientem ſcientiam, quia ejus officium plura, ſed præſertim tria requirit: 1. tenetur ſingulis diebus Dominicis, & in aliis Feſtivitatibus ſolemnioribus inter Miſſarum ſolemnia, Populo ſuo Divina eloquia habere; neceſſaria docendo ad ſalutem animarum, ut præcipit *Trid. ſeſſ. 5. de ref. cap. 2.* Secundum: iiſdem diebus tenetur docere Pueros Fidei rudimenta, & obligationem, quam habent obediendi non ſolùm Deo, ſed etiam Parentibus, eos honorando quo ad *amorem*, *reverentiam*, & *auxilium*, quæ omnia præſtare tenentur Parentibus de præcepto, ut in Decalogo, juxtà id, quod dixi ſub verbo ly *Filii*: ibi vide &c., & ſic præcipit *Trid. ſeſſ. 24. de ref. cap. 4.* Tenetur tertiò explicare Populo ſuo vim, & virtutem Sacramentorum, quæ quiſque recipere debet, & illum erudire in lege Domini, ut habetur ex *cit. Trid.*

Parochus tenetur reſidere *perſonaliter* in ſuâ Parochia, eo quia tene-

tenetur agnoſcere oves ſuas, pro illis Sacrificium offerre, Sacramenta illis miniſtrare, eiſque conciones habere, ac bonorum operum exemplo paſcere: ità *Trid. ſeſſ. 23. de ref. cap.* 1.

Parochus non reſidens *perſonaliter*, non facit fructus ſuos ad ratam temporis abſentiæ; quapropter tenetur antè quamcumque declarationem, illos erogare pauperibus Parochiæ, vel applicare fabricæ Eccleſiæ Parochialis, licèt aliàs *Ventrigal. in prax. for. Eccleſ. annot.* 20. *num.* 9. teneat, quod in reſtitutione fructuum, poteſt illam partem ſibi retinere, quæ correſpondet recitationi Divini Officii.

Obligatio *reſidentiæ perſonalis in Parochis*, eſt adeò arcta, ut ſuppleri nequeat, niſi ab Epiſcopo per ſubſtitutum; & non niſi exiſtente juſtâ causâ: immò neque interrumpi poteſt per frequentem abſentiam, licèt modici temporis, vel modicæ diſtantiæ, ut declaravit *Sac. Cong. Conc.* 10. *Maji* 1681.

Cauſæ excuſantes à *continuitate reſidentiæ* ſunt quatuor ex *Trid. ſeſſ. 23. de ref. cap.* 1.: 1. Chriſtiana Charitas; 2. urgens neceſſitas; 3. debita obedientia; 4. evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ neceſſitas. His alia duo adduntur; nempè: infirmitas, & præſertim pro recuperandâ ſanitate; & gravis inimicitia, ex quâ immineat periculum vitæ, dummodo ex culpâ Parochi non impediatur reconciliatio.

In prædictis adhuc caſibus, intervenire debet licentia Prælati in ſcriptis, ad quem ſpectat cognoſcere, & approbare cauſam, & pro tempore abſentiæ ſubſtituere Vicarium, vel Capellanum idoneum, qui in abſentiâ Parochi, ejus munus ſuppleat.

A pœnis *Trid.* excuſantur Parochi circà abſentiam à perſonali reſidentiâ ſinè licentiâ, quando tempus eſt breve, ut per duos, vel tres dies ad ſummum: & ſi abſentiæ ſunt plures, & interruptæ infrà annum, duos menſes integrare non debent: *Trid. cit.* §. *Quoniam autem*; & ſi abſentiæ ſinè licentiâ integrant duos menſes, tenentur ad ratam temporis abſentiæ, fructus reſtituere eo modo, quo ſuprà dictum eſt.

Jura merè Parochialia ſunt novem: 1. delatio ſtolæ in Proceſſionibus, & Funeralibus; 2. Benedictio Domorum in Sabbato Sancto; 3. receptio Decimarum; 4. Adminiſtratio Sanctiſſimæ Euchariſtiæ tempore Paſchali; 5. Adminiſtratio SS. Viatici, & Extremæ Unctionis infirmis; 6. Detentio clavis Tabernaculi, atque eorum, quæ ſpectant ad Sacramenta; 7. Benedictio Sponſorum,

ſorum, & Cadaverum Defunctorum, antequam de Domo leventur; 8. Publicatio Indulgentiarum, excommunicationum, & matrimoniorum, hiſque aſſiſtentia perſonalis, quando contrahuntur; 9. Benedictio Fontis Baptiſmalis. Prædicta taliter reſervantur Parochis, ut à nullo alio, licitè exerceri valeant ſinè illorum, vel Ordinarii licentiâ.

. Parochus, qui ſolummodo *habet titulum coloratum cum communi errore* habet veram juriſdictionem Parochialem: hæc opinio, ut moraliter certa habetur à Theologis, & Juriſprudentibus, inter quos (loquendo de Theologis) *Jo: de Cardenas diſert. 2. cap. 6. art. 5.*, Diana *part. 8. tract. 1. reſp. 94.*; & ex *Jure Can. cap. Infamis 3. quæſt. 7.*, & ex *Jure Civ. l. Barbarius, ff. de Offic. Prætoris*: idem dic. eſt de *Parocho intruſo ſinè titulo colorato*, ſed *communi errore* putato *vero Parocho*; & ratio eſt, quia in tantùm Eccleſia dat juriſdictionem, quando Parochus habet tantummodo titulum coloratum cum communi errore, inquantùm ex non conceſſione juriſdictionis, ſequerentur gravia ſcandala; puta, confeſſiones iterandæ, matrimonia reſtauranda, & hujuſmodi; ſed ſimilia ſequerentur etiam in hoc caſu: ergo &c. Idem etiam dic. eſt de quôcumque Sacerdote, non approbato pro Confeſſionibus excipiendis, ſi ſivè ex malitiâ, ſivè ex ignorantiâ audit Confeſſiones, & abſolvit, dummodo per *communem errorem* credatur approbatus: ità *Diana*, *Cardenas*, *Leander* cum communi DD.

Per *titulum coloratum* intelligitur collatio alicujus Beneficii Eccleſiaſtici, habentis annexam curam animarum, facta à vero, & legitimo Superiore, qui illud conferre poterat, & de facto contulit, ſed *invalida propter aliquod delictum occultum*. Hoc autem verum eſt, licèt Prælatus, qui illud contulit, ſciret tale impedimentum, dummodo tamen adſit, ut dixi, error communis: ità *Diana* cum communi DD.

Per *Parochum intruſum abſque titulo colorato* intelligitur ille, cui eſt collatum aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, habens annexam curam animarum à non vero, & legitimo Superiore, licèt aliàs per *communem errorem ſit reputatus verus Parochus*.

Alex. VII. Propoſ. damn. 16. in ordine: Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Epiſcopo.

Par-

P

Parvitas materiæ reſpectu fori interni conſcientiæ, dari poteſt in tranſgreſſione cujuſcumque Præcepti ſivè Divini, ſivè naturalis, ſivè Eccleſiaſtici, ità quod tranſgreſſio non cadat ſub mortali duodecim caſibus exceptis, & ſunt ſequentes: 1. in odio contrà Deum; 2. in rebus Fidei; 3. in rebus venereis; 4. in ſollicitatione factâ in Confeſſione Sacramentali; 5. in violatione ſigilli Confeſſionis Sacramentalis; 6. in jejunio naturali in ordine ad ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam; 7. in ſimonia reali; 8. in juramento falſo aſſertorio; 9. in juramento ſinè intentione jurandi; 10. in juramento ſinè intentione exequendi id, ad quod jurans ſe obligat per juramentum; 11. in ſuſſuratione: quando ſuſſuro prævidet, quod per ſuam ſuſſurationem, licèt minimam, diſſolvetur illa honeſta amicitia, quæ eſt inter aliquas Perſonas; 12. in acceſſu Regularium ad colloquendum cum Monialibus ſinè juſtâ causâ, & debitâ licentiâ juxtà *Bullam Clem. IX*.

Peccatum ſtrictè ſumptum, ideſt, in actibus moralibus commiſſum, duplex eſt; nempè: *originale*, & *perſonale*: primum, ideſt, *originale*, eſt illud, quod trahitur ab Adamo, protoparente noſtro per carnalem propagationem: ſecundum, ideſt, *perſonale* eſt illud, quod à propriâ uniuſcujuſque voluntate committitur.

Porrò peccatum perſonale dividitur in *actuale*, & *habituale*, & utrumque ſubdividitur in *mortale*, & *veniale*: Peccatum perſonale mortale *eſt avverſio à Deo, & converſio ad Creaturam*: Perſonale veniale *eſt leve erratum, reddens Hominem tantummodo dignum pænâ temporali*: Perſonale habituale *eſt quædam macula, quam poſt ſe relinquit peccatum perſonale actuale*, quod ſi eſt *mortale*; talis macula conſiſtit in privatione gratiæ Dei; & ſi eſt *veniale*, conſiſtit in diminutione charitatis ergà Deum.

Peccatum poſteà perſonale actuale, aliud eſt *carnale*, & aliud *ſpirituale*: primum, ideſt, *carnale* conſiſtit in inordinatâ carnis delectatione, ut eſt: *Gula*; *Luxuria*, & diverſæ aliæ peccatorum ſpecies, ad has duas reducibiles: *ſpirituale* conſiſtit in *ſuperbiâ*; *vanagloriâ*, *invidiâ*, *irâ*, *accidiâ*, & hujuſmodi.

Item *perſonale actuale* aliud eſt *commiſſionis*, & aliud eſt *ommiſſionis*: primum, ideſt, *commiſſionis*, eſt illud, quod committitur contrà præcepta *negativa*; ſecundum, ideſt, *omiſſionis* eſt illud, quod committitur contrà præcepta *affirmativa*.

Præ-

Præterea peccatum perſonale actuale ratione diverſæ radicis, ex quâ oritur, dividitur in peccatum *ex ignorantiâ*; *ignorantiæ*; & *ex ignorantiâ affectatâ*: Primum, ideſt, *ex ignorantiâ* eſt illud, quod procedit ex ignorantiâ vincibili: Secundum, ideſt, *ignorantiæ* eſt illud, quod ex gravi motione appetitus ſenſitivi, originem habet: Tertium, ideſt, *ex ignorantiâ affectatâ* eſt illud, quod ex pravâ operantis voluntate, procedit juxtà illud *Job*: *Qui quaſi ex induſtriâ receſſerunt à Deo*.

Ulteriùs peccatum perſonale actuale dividitur in peccatum: *Cordis*; *Oris*; *Operis*; *Omiſſionis*: peccatum *Cordis* conſiſtit in cogitationibus; peccatum *Oris* in locutionibus; peccatum *Operis* in actibus humanis exterioribus; peccatum *Omiſſionis* eſt illud, cujus diſtinctio ſpecifica deſumitur ex *actibus debitis ex juſtitiâ*, vel *charitate*, quorum ſunt omiſſiones, ut voluntaria omiſſio Miſſæ in die Dominicâ; omiſſio erogationis eleemoſinæ in extremâ, vel quaſi extremâ neceſſitate proximi, & hujuſmodi.

Peccatum commiſſionis deſumitur rectè per ordinem ad diverſas ſpecie virtutes, vel rectitudines, quarum formaliter ſunt privationes, ut ait *Scotus in 2. diſt. 37. q. 1.* notanter dicitur ly *per ordinem ad diverſas ſpecie virtutes*, vel *rectitudines*, quia ad diſtictionem ſpecificam moralem peccatorum ſufficit, ut: vel diverſis ſpecie virtutibus opponantur, ut: furtum, quod opponitur Juſtitiæ; fornicatio, quæ opponitur caſtitati, & hujuſmodi: vel etiam eidem numericè virtuti ſecundùm aliam, & aliam ſpecie rectitudinem, ut: avaritia, & prodigalitas, quæ ſpecie morali differunt, licèt opponantur eidem numericè virtuti, ideſt, liberalitati; nam licèt liberalitas ſit formaliter unica virtus adæquata, includit tamen duplicem rectitudinem per reſpectum ad duo extrema, ideſt, duplex rationis dictamen, quorum uno prohibetur exceſſus, cui opponitur avaritiâ; & altero, defectus, cui opponitur prodigalitas.

Quæritur primò, an ex ſolâ diverſitate præceptorum rectè, & ſufficienter colligatur ab *extrinſeco* diverſitas ſpecifica peccatorum? Reſp. *negativè*; & ratio liquet ex hoc, quod fieri poteſt, ut eadem res ex eódem motivo formali præcipiatur, vel prohibeatur, tàm à præcepto Divino, quàm ab Humano Canonico, & Civili, ut patet de furto, quod prohibetur tàm Jure Divino, & naturali; quàm humano Civili, & Canonico: & tamen ad hanc

ſolam

ſolam præceptorum diverſitatem, furtum, ut furtum eſt, non contrahit diverſas ſpecie malitias, ex quo rectè infertur, quod tunc ſolùm ex diverſitate præceptorum ab *extrinſeco*, colligi poteſt diverſitas ſpecifica peccatorum, quando illa præcepta ſunt formaliter diverſa, ideſt, quando ſub diverſis motivis, & rationibus formalibus ad diverſas virtutes, vel rectitudines ſpectantibus, aliquid præcipiunt, vel prohibent; puta, de præcepto Divino prohibente furtum ſimpliciter ex motivo juſtitiæ, & ſimul de alio præcepto Eccleſiaſtico prohibente furtum in loco Sacro ex motivo Religionis, dum malitia furti, in loco Sacrò commiſſi, diſtinguitur ſpecie à malitiâ furti ſimplicis, & conſequenter furtum in loco Sacro commiſſum, eſt duplex peccatum: unum contrà Juſtitiam, & alterum contrà Religionem.

Quæritur ſecundò, an *diſtinctio moralis numerica* peccatorum *Cordis*, *Oris*, & *Operis* deſumi debeat ex ſolâ multiplicatione numerica *actuum*; vel etiam ex multiplicatione numericâ *objectorum*? Reſp. hoc eſſe valdè controverſum inter DD.; nam *Azorius p. 1. lib. 2. Inſtit. Moral. cap. 4. quæſt. 6.*, ubi etiam pro ſe, citat alios; tenet *affirmativam* opinionem: e contrà *Suarez in part. 3. tom. 4. diſp. 42. ſect. 5. num. 33.*, ubi pro ſe, alios citat; tenet *negativam* opinionem, & utraque ſequi poteſt, licèt aliàs *affirmativa* ſit probabilior, ut deſumitur ex aliquibus illorum DD., qui tenent *negativam* opinionem, nam addunt, quod illa *multiplicatio numerica objectorum*, ſit circumſtantia neceſſariò exprimenda in Confeſſione.

Quæritur tertiò, in quo conſiſtat diviſio peccati actualis in *Phyloſophicum*, & *Theologicum*? Reſp. breviter, conſiſtere penès diverſas conſiderationes in unico tantùm peccato; puta, in occiſione Innocentis, quod ideò dicitur *Phyloſophicum*, quia conſideratur, ut contrarium naturæ, & rationi; & ideò dicitur *Theologicum*, quia conſideratur, ut offenſa Dei, & contrarium legi æternæ; & ratio eſt, quia conſideratiò rationis, & virtutis moralis naturalis; ſpectat ad *Phyloſophum*: conſideratio autem Dei, ejuſque legis æternæ; ſpectat ad *Theologum*: ex hoc autem ſequitur, quod occiſio Innocentis conſiderata, ut contraria principio naturali rationis; nempè: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*: dicitur peccatum *Phyloſophicum*; conſiderata verò, ut offenſa Dei, & contraria legi æternæ, dicitur peccatum *Theologicum*.

Licèt penè infinita peccata venialia non æquivaleant uni peccato mortali: attamen ſi quis haberet determinatam voluntatem committendi omnia peccata venialia, quæ committere poſſet, non excuſaretur à mortali; non *per ſe*, ſed *per accidens* ratione periculi, cui probabiliter ſe exponeret peccandi mortaliter juxta illud *Eccleſ.cap.19. Qui ſpernit pauca,paulatim decidet*, in cujus confirmationem *S. Greg. Papa* ſic: *Qui minima peccata devitare negligit, à ſtatu juſtitiæ non quidem repentè, ſed partibus, totus cadit*.

Sacramentalia, quibus peccata venialia delentur, ſunt ſex; & continentur in ſequenti verſiculo, & poſteà explicantur.

Orans; tinctus; edens; confeſſus; dans; benedicens.

Per ly *orans*, intelligitur quotidiana fidelium oratio, & præſertim: Pater noſter &c. Per ly *tinctus*, intelligitur aſperſio aquæ benedictæ; & impoſitio ſuper caput cineris benedicti: Per ly *edens*, intelligitur devota manducatio panis benedicti, & ſimilium: Per ly *confeſſus*, intelligitur confeſſio generalis, quæ in hunc finem ab Eccleſiâ eſt inſtituta, ut dicatur in principio Miſſæ, & ad Primam, & Completorium: Per ly *dans*, intelligitur eleemoſina cum aliis operibus Miſericordiæ, tàm ſpirtualibus, quàm corporalibus: Per ly *benedicens* intelligitur benedictio Epiſcopi, quando dat benedictionem.

Alex. VII. Propoſ. damn. xi. in ordine: Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeù oblita ob inſtans periculum mortis, vel ob aliam cauſam, non tenemur exprimere in ſequenti Confeſſione.

Alex.8. Prop.dam.die 24. Aug. 1690. ſecunda in ordine: Peccatum Phyloſophicum, ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera Divinæ legis. Phyloſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat eſt grave peccatum, ſed non offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pænâ dignum.

Pæna generatim ſumpta *eſt, qua punit, vindicans, quod quiſque mali commiſit*: ità in re communiter: dividitur in *Civilem*, & *Canonicam*: prima, ideſt, *Civilis* ab Jure Civili; ſecunda, ideſt, *Canonica* ab Jure Eccleſiaſtico, quæ ad præſcriptum Sacrorum Canonum, à Prælato Eccleſiaſtico ſtatuitur, & hæc reſtringitur ad ſequentes.

Ex-

Excommunicatio; Suſpenſio; Interdictum; Degradatio; Depoſitio; Privatio vocis activæ, vel paſſivæ; vel utriuſque ſimul; actuum legitimorum; officiorum Ordinis; inhabilitatis ad alia, impoſterum obtinenda: & de hac pænâ Canonicâ, hìc eſt ſermo, quæ à *Scoto in 4. diſt. 25. q. 1.* definitur, quod ſit *pæna inflicta per Canones, vel ſecundùm Canones, prohibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu, vel Officio Eccleſiaſtico, quod aliàs ſibi liceret.*

Quando pæna Canonica ſubeunda exprimitur per verba *temporis futuri*; talis pæna non incurritur, niſi poſt declaratoriam Judicis ſententiam, & in hoc omnes conveniunt: quando verò exprimitur per verba *temporis præſentis*, ſtatim incurritur, ideſt, antè declaratoriam Judicis ſententiam, ut cum pluribus aliis tenet *Tambur. de Cenſ. tract. 1. cap. 1. num. 1.*, licèt aliàs hæc opinio ab *Ameno Prac. Crim. tit. ult. §. 7. num. 61.* ſit limitata ad *ſolum forum internum*, niſi in caſu, quo Judex per ſententiam exprimat delictum fuiſſe patratum, quia tunc etiam quo ad *forum externum*: quàpropter in *tit. 5. §. 1. n. 2.* dicit, quod illæ clauſulæ; nempè: *ipſo facto* ſit excommunicatus; *ipſo jure* privatus remaneat &c. pro *foro externo* intelligi debeant, ut *comminatoriæ*, & solùm appoſitæ ad incutiendum terrorem, niſi tamen *expreſsè* aliquid aliud ſit ſuperadditum; puta, *ſinè ullâ præviâ declaratione delicti*, vel quid ſimile, quia tunc incurritur etiam quo ad forum externum, ideſt, in utrôque foro.

Crimina, ob quæ incurritur *infamia Jure Canonico*, qualia ſint? Nota hanc regulam generalem: Illi omnes cenſentur *infames Jure Canonico*, qui ſunt *infames Jure Civili*, niſi ſint excluſi ab Jure Canonico: prima pars conſtat ex *cap. Omnes 6. q. 1.*, ſecunda liquet ex *cap. ult. de ſecundis nuptiis*. Jure poſteà Canonico ſunt nominatim ſequentes; nempè: fures, ſacrilegi, inceſtuoſi, adulteri, mulierum raptores, homicidæ, perjuri, malefici, venefici, fugientes de bellis publicis, criminibus capitalibus irretiti, ſepulchrorum violatores.

Quando infamia *Jure Canonico*, eſt orta ex *occulto crimine*, tollitur per pænitentiam etiam occultam, quando eſt orta ex *crimine publico*; à ſolo Papâ tolli poteſt, vel ejus Delegato, ut conſtat ex *Gloſſ. cap. Illi, qui 6. q. 1.*

Quæritur, an *Prælatus Eccleſiaſticus*, Officio in *conſcientiâ* privatus propter aliquod *crimen occultum* commiſſum, *validè*

 exer-

exerceri poſſit, quæ ſpectant ad ſuum officium? Ad hoc quæſitum diverſi Authores diverſimodè reſpondent, ut videri poteſt in *Officiali Curiæ Regul. pag.* 212. *num.* 19. *& ſeqq.*, ubi idem Author, qui proponit dubium, ſic reſpondet: *aliis reſolvendum relinquo*: Ego tamen, licèt aliis multò inferior, ſinè formidine oppoſiti reſpondeo *affirmativè*; & ratio eſt, quia ſicuti Parochus habens ſolum titulum coloratum, vel etiam intruſus ſinè titulo colorato, dummodo adſit error communis, poteſt validè exercere poteſtatem Parochialem in utrôque foro, ut dixi ſub verbo ly *Parochus*, §. *Quæritur, an Parochus &c.* à fortiori idem dic. eſt de Prælato Eccleſiaſtico, qui habet *titulum* VERUM *cum communi errore*, eo quia delictum eſt occultum.

Pænitentia quatuor modis accipi poteſt: 1. pro remedio contrà peccatum perſonale, ſivè actuale, ſivè habituale, commiſſum poſt, vel in actu Baptiſmi per Confeſſarium miniſtrato; & hoc modo eſt Sacramentum; 2. pro habitu habilitante Hominem ad pænitendum; & hoc modo eſt ſimpliciter vera virtus; 3. pro actu pænitendi; & hoc modo eſt actus virtutis; 4. pro dolore ſenſibili, quem Homo ſentit propter peccatum commiſſum; & hoc modo dicitur paſſio.

Hìc eſt ſermo de Pænitentiâ, primo modo accepta, & definitur, quod *ſit Sacramentum reconciliationis Hominis cum Deo virtute clavium*: ità in re communiter.

Hòc Sacramentum inſtitutum fuit à Chriſto, quando poſt reſurrectionem ſuam, apparens Diſcipulis ſuis, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*: ità *Trid. ſeſſ.* 14. *Can.* 3.

Circà hujus Sacramenti inſtitutionem tria credenda ſunt de fide, ut conſtat ex *cit. Trid. Can.* 1., *& Can.* 2.: Primum eſt, quod à Jeſu Chriſto relictum fuit in Eccleſiâ unum Sacramentum, ad delenda peccata poſt baptiſmum commiſſa; 2. quod tale Sacramentum eſt aliud, ideſt, diverſum à Sacramento Baptiſmi; 3. quod ritus eſſentialis hujus Sacramenti inſtitutus fuit à Chriſto per modum judicii.

Materia *remota* hujus Sacramenti, eſt peccatum perſonale tàm actuale, quàm habituale, commiſſum poſt baptiſmum, & etiam in actu baptiſmi ſaltem, ut materia *remota* dubia: materia *proxima* ſunt actus pænitentis; nempè: contritio, confeſſio, & ſatis-

Digitized by Google

factio (de quibus loco proprio) contritio, & confeſſio ſunt partes eſſentiales hujus Sacramenti, quia conſtituunt intrinſecè, & eſſentialiter ipſum Sacramentum tamquam ex parte materiæ, ut dicit *cit. Trid. can.* 4. Satisfactio eſt ſolùm pars integralis *ſimpliciter*, quatenùs eſt actualiter jam facta; & *ſecundùm quid*, ut eſt facienda, ut patet ex eo, quod multoties perficitur hoc Sacramentum ſinè ullâ ſatisfactione.

Forma hujus Sacramenti juxta cit. Trid. eſſentialiter conſiſtit in his duobus verbis: Abſolvo te &c., & licèt *Trid.* ponat etiam ly *Ego* abſolvo te; attamen ly *Ego* non eſt de eſſentiâ, ut communiter dicunt Theologi, ſicuti nec etiam ly *à peccatis tuis*.

Miniſter hujus Sacramenti eſt ſolus Sacerdos, qui ut *validè* abſolvat, tria habere debet; nempè: 1. intentionem ſaltem virtualem abſolvendi; 2. poteſtatem Ordinis; 3. juriſdictionem ſivè *ordinariam*; ſivè *delegatam*; ſivè *jure* conceſſam.

In articulo mortis quilibet Sacerdos abſolvere poteſt *directè* ab omnibus peccatis, & cenſuris Papæ reſervatis etiam in Bullâ Cænæ Domini: *In probabili periculo mortis*, à caſibus reſervatis *directè*, ideſt, ſinè onere ſe præſentandi; à cenſuris reſervatis, cum onere ſe præſentandi ſub pænâ reincidentiæ &c. ita inter alios *Maſtrius diſt.* 21. *q.* 8. *Theol. Moral. nu.* 203., ubi per *articulum mortis* intelligit illud tempus, quo mors certè inſtat de proximo; & naturaliter loquendo, eſt inevitabilis; & per *periculum probabile mortis* intelligit illud tempus, in quo non inſtat decerto mors, ſed ex ſæpe contingentibus, probabiliter timetur mors, ut ille ſtatus infirmitatis, in quo major pars decedit v. g. in febribus acutis malignis; & hoc etiam à prima die infirmitatis: idem dic. de illis, qui prælium; aut periculoſam, vel longam navigationem ſunt aggreſſuri; & de mulieribus in proximo ad partum, & præſertim primævum.

Subjectum hujus Sacramenti, eſt quilibet Homo baptizatus, capax peccati, & doloris, qui debet habere intentionem ſaltem habitualem confitendi peccata ſua.

Sacramentum pænitentiæ, eſt neceſſarium neceſſitate medii omnibus adultis, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccaverint: eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti, tàm Divini, quàm Eccleſiaſtici: De *Jure Divino*; in articulo mortis; & toties, quoties quis vult ſumere Sanctiſſimam Euchariſtiam; & aliquoties in vitâ, ſi adeſt materia neceſſaria: De *Jure Eccleſiaſtico*, ſemel in anno, ſi adeſt

ſi adeſt materia neceſſaria: excipitur Papa, qui ſolùm tenetur ſub veniali tantùm ex vi directivâ, ſecluſo tamen ſcandalo.

Præcepto Eccleſiaſtico, confitendi ſemel in anno, ſatisfit per confeſſionem factam in quâcumque die anni, modo non fuerit de materiâ ſolùm ſufficienti, & poſteà ſubſequatur materia neceſſaria: ſatisfit etiam per confeſſionem integram ſolùm formaliter, modò in ipsâ expoſita fuerit aliqua materia neceſſaria.

Si quis recordaretur, ſe peccaſſe mortaliter ſic *in genere*, ſed non recordaretur de *quali peccato in ſpecie*, teneretur confiteri peccatum mortale *ſic in genere*, cum ſit materia neceſſaria Sacramenti: quod ſi poſt acceptam abſolutionem recordaretur talis peccati in *ſpecie*, teneretur illud confiteri in *ſpecie* in prima confeſſione, quam faceret ſivè ex obligatione, ſivè in devotione, ut communiter dicunt DD.; & ratio eſt, quia quiſque tenetur confiteri ſpeciem, & numerum peccatorum, inculpabiliter omiſſorum in præcedentibus confeſſionibus.

Quæritur, an dari poſſit Sacramentum Pænitentiæ, in quo, Pænitens poſt factam confeſſionem integram etiam materialiter ſuorum peccatorum; & poſt acceptam abſolutionem à Confeſſario, concurrente etiam debitâ intentione ex parte utriuſque, nec recipiat gratiam ſanctificantem, nec committat ſacrilegium, ideſt, quod talis confeſſio nec ſit valida, nec ſit ſacrilega? Reſp. cum diſtinctione, & primò *negativè*, ſi tamen defuit *culpabiliter* ille dolor, qui cum ſit pars eſſentialis Sacramenti Pænitentiæ, eſt etiam neceſſarius ſimpliciter pro validitate ejuſdem Sacramenti; & ſecundò *affirmativè*, ſi talis dolor defuit *inculpabiliter*, ideſt, quando pænitens habet aliqualem dolorem de peccatis commiſſis, non tamen ſufficientem pro validitate Sacramenti, ſed à Pænitente, bonâ fide, putatum ſufficientem: Pro probatione hujus aſſertionis ſit *Propoſitio ab Alex. VIII. damn. 20. in ordine*; nempè: *Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ*: in quâ Propoſ. damn. conſiderandum eſt, quod illa particula ly *Vel*, eſt particula *disjunctiva*, & conſequenter dic. eſt, quod aliæ ſint confeſſiones *ſacrilegæ*, & aliæ ſint confeſſiones *invalidæ*: ſed per confeſſiones *ſacrilegas*, nihil aliud intelligi poteſt, quàm confeſſiones *culpabiliter* carentes *debito dolore*; & per confeſſiones *invalidas*, ſed non ſacrilegas, nihil aliud intelligi poteſt, quàm confeſſiones carentes debito dolore, ſed *inculpabiliter*, quia bonâ fide exiſtimatæ cum ſufficienti dolore pro validitate

liditate Sacramenti: ergo concludendum eſt, quod præter confeſſiones *validas*, in quibus Pænitens recipit gratiam; & præter confeſſiones *ſacrilegas*, in quibus Pænitens peccatis jam confeſſis addit unum ſacrilegium, dari poſſint confeſſiones, in quibus Pænitens nec recipiat gratiam, nec committat ſacrilegium.

Ad illam propoſitionem damn. ab Innoc. XI. 57. in ordine: *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam*, quæ videtur eſſe contrà ſecundam partem reſponſionis ad quæſitum &c. Reſp., quod talis propoſitio ſecundum ſenſum litteralem, non aliter intelligi poteſt, quàm de confeſſionibus *invalidis* ex defectu doloris *inculpabiliter*, aliter ex oppoſito ſequeretur, quod poſſet dari peccatum *involuntarium*, tàm ex parte *Pænitentis*, quàm ex parte *Confeſſarii*, ut pluries eveniret in confeſſionibus, quæ fiunt ab illis impuberibus; & etiam adultis, ſed rudibus, qui vix habent materiam ſufficientem, ſuper quam cadere poſſit abſolutio, & pro quâ, licèt vix ſufficienti pro abſolutione, requiritur tamen dolor ſummus appretiativè, ut dixi ſub verbo ly *Contritio*; & tamen cum in talibus confeſſionibus, quas faciunt, exprimant materiam ſufficientem, v. g. aliquod mendacium, ad ſe excuſandos &c. Confeſſarius tenetur impartiri abſolutionem, & ſi pro tali materiâ vix ſufficienti non habent prædictum dolorem ſummum appretiativè, ipſis Pænitentes committunt ſacrilegium, ſed *involuntarium*, quia bonâ fide putant, ſe habere dolorem ſufficientem: & idem faciunt Confeſſarii, impertiendo abſolutionem ſubjectis incapacibus abſolutionis, in quibus caſibus committerent & ipſi aliud ſacrilegium involuntarium, eo, quia bonâ fide abſolverent: Ad evitandum ergo tàm magnum abſurdum, concludendum eſt, quod talis Propoſ. damn. ab Innoc. XI. intelligi debet de attritione *naturali*, licèt honeſtâ, quæ non valet pro recipiendâ gratiâ in Sacramento, licèt valeat ad evitandum ſacrilegium, quia bonâ fide putatâ *ſupernaturali*.

Pænitentis nomine in Confeſſione Sacramentali intelligitur ille, qui confitetur peccata ſua, animo ſe accuſandó de illis, & de iiſdem obtinendi abſolutionem.

Novatianus Schiſmaticorum Primicerius, fuit primus, qui negavit circà medium ſæculi tertii S. Pænitentiæ Sacramentum: dicebat, quod ſolus Baptiſmus delet culpas, nullamque aliam tabulam remanere naufragantibus in peccató, niſi ſolam Dei miſericordiam.

Hæc

P

Hæc hæreſis, ſicuti impugnabat directè verba Jeſu Chriſti in Joanne cap. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* ità in Conc. Rom., cui interfuit S. Cornelius Papa, electus anno 254. cum ſexaginta Epiſcopis, & totidem Diaconis, damnata fuit; ejuſque Author execratus, & anathematis mucrone percuſſus; quod idem factum fuit in peculiaribus Synodis omnium Eccleſiarum Aſiæ, Africæ, & Europæ.

Sanctum Pænitentiæ Sacramentum, inſtitutum fuit à Chriſto, quando poſt reſurrectionem ſuam apparuit Diſcipulis ſuis, eiſque dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Moderni Hæretici, Novatiani Hæreſiarchæ, & Schiſmaticorum Anteſignani falſum dogma ſequentes, negant ſecundam partem eſſentialem Sacramenti Pænitentiæ, ideſt, *Confeſſionem auricularem*, illa Jeſu Chriſti verba: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, cum quibus Sanctum Pænitentiæ Sacramentum inſtituit *per modum judicii*, ad illa ejuſdem Jeſu Chriſti in Matt. cap. 28. detorquentes: *Ite in Mundum univerſum, & prædicate Evangelium omni creaturæ*, cum quibus prædicandi Evangelium, dedit poteſtatem.

Verùm, quàm erroneum, & falſum ſit iſtud hæreticorum ſuppoſitum, ex hoc patet, quod ex tàlis ſuppoſiti veritate, admitti neceſſariò deberet hoc magnum abſurdum; nempè: quod infantes, nondùm uſu rationis utentes; doli totaliter incapaces, & conſequenter peccandi, peccare poſſent, cum Evangelii textus dicat ly *omni creaturæ*, ideſt, *omni Homini*; per quod verbum ly *omni*, non remanerent excluſi, nec etiam Infantes, vix nati, qui indigerent, ut eis remitterentur peccata perſonalia actualia juxtà illud: *quorum remiſeritis peccata &c.* & illud aliud: *omni Creaturæ*: ad evitandum ergo hoc intollerabile abſurdum; concedere, & fateri debent Hæretici, quod *Sacramentum Pænitentiæ*, cujus una pars eſſentialis eſt *Confeſſio auricularis*, inſtitutum fuerit à Chriſto *per modum judicii*, quando poſt reſurrectiouem ſuam apparuit Diſcipulis ſuis, & dixit illis: *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Hoc poſito; ſic arguo: Omnis Judex, ut juſtè, & prudenter judicet;

judicet; neceſſariò ſcire debet quidditatem,& eſſentiam cauſæ,ſuper quam proferre debet ſententiam; & ſi agitur de liberatione, vel condemnatione alicujus Hominis; non ſolum tenetur ſcire qualitatem, & quantitatem delictorum, ſed etiam circumſtantias, ſivè alleviantes, ſivè aggravantes talia delicta: ergo ut Sacerdos poſſit juſtè, & prudenter, vel remittere, vel retinere peccata, debet priùs ſcire eorundem peccatorum qualitatem, quantitatem, & circumſtantias; ſed hæc omnia, quod obſerventur in confeſſionibus Sacramentalibus, præcipit Sancta Romano-Catholica Eccleſia: ergo &c. ſubſumtum eſt certiſſimum; prima conſequentia patet: Antecedens probatur, quia ex oppoſito Judex, voluntariè ſe exponeret periculo retinendi, quod remittere debet; & è contrà: remittendi, quod retinere debet, quod eſſet & contrà juſtitiam, & contrà prudentiam &c.

Confirmatur primò ex *Apoſt. Joanne*, qui in *Epiſt. 1. cap. 1.* ſic ait: *Si confiteamur* peccata noſtra; *Deus fidelis eſt, & juſtus, & remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*: ex quibus verbis Joann. Apoſt. evidentiſſimè deducitur, quod Deus ex *juſtitiâ*, & *fidelitate* remittit peccata noſtra, quando *peccata noſtra confitemur*, ſicuti fit in *confeſſione auriculari*; & non confitemur ſic in genere nos eſſe peccatores, ſicuti faciunt ipſi Hæretici, nam *S. Joann.* diſertiſſimis verbis dicit: Si confiteamur ly *peccata noſtra*, cum aliud ſit confiteri peccata, & aliud confiteri ſe eſſe peccatorem. Ceterùm in totâ Sacrâ Scripturâ non invenitur, quod Deus ex juſtitiâ, & fidelitate, nobis remittere debeat peccata noſtra, quando illa confitemur, niſi quando Chriſtus Diſcipulis ſuis, ac per eos Sacerdotibus dedit poteſtatem remittendi, & ſolvendi: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: Quæcumque ſolveritis ſuper Terram, erunt ſoluta & in Cœlo*.

Confirmatur ſecundò. In *Act. Apoſt. cap. 19.* ſic legitur: *Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes* actus ſuos; *multi autem ex eis, qui fuerunt curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coràm omnibus &c.* ſed ſic eſt, quod per ly confitentes, & annunciantes ACTUS SUOS intelligi non poteſt confeſſio ſoli Deo facta, & in generali, ut faciunt moderni Hæretici; ſed neceſſariò intelligi debet *confeſſio auricularis* facta *Apoſtolo*, & in *ſpecie* de libris (qui aliàs pernicioſa continere debebant) ergo &c. Minor ex hoc liquet, quia ſi talis confeſſio facta

non fuiſſet *Apoſtolo*, & in *ſpecie* de libris; idem Apoſtolus præcipere non potuiſſet librorum combuſtionem.

Confirmatur tertiò authoritate Sanctorum *Cypriani*, & *Auguſtini*, qui ab ipſis modernis Hæreticis inter Orthodoxos primævæ Eccleſiæ Patres ſunt venerati. *S. Cyprianus in ſerm. 5. de lapſ.* ſic ſcripſit: *Confiteantur ſinguli quaſò vos Fratres* DELICTUM SUUM, *donec adbuc, qui deliquit in ſaeculo eſt, dum ejus confeſſio admitti poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio per* SACERDOTEM *apud Dominum grata eſt*: ſed ſic eſt, quod per ly *delictum ſuum* intelligi nequit confeſſio de peccatis in genere, dicendo: peccator ſum, ut faciunt Hæretici; ſed neceſſe eſt, ut exprimatur qualitas delicti, ut faciunt Catholico-Romani in confeſſione auriculari: & per ly *Sacerdotem* intelligi non poteſt confeſſio ſoli Deo facta: ergo concludendum eſt, quod *ſola confeſſio auricularis*, qualis ab Eccleſiâ Catholico-Romanâ præcipitur, ſit vera pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ à Chriſto Domino inſtituti, niſi ipſi Hæretici rejicere velint authoritatem Sancti Cypriani, qûem venerantur ut Apoſtolicæ Eccleſiæ, Orthodoxum Patrem.

Sanctus Auguſtinus in *cap. 1. de Pœnit.* ſic inquit: *Quem ergo pœnitet, omninò pœniteat, &* DOLOREM *lacrymis oſtendat; repreſentet* VITAM SUAM *Deo per* SACERDOTEM; *præveniat judicium Dei per* CONFESSIONEM... *Qui per vos peccaſtis, per vos* ERUBESCATIS; *erubeſcentia enim ipſa, partem habet remiſſionis: ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, ut neminem pœniteret in* OCCULTO. *In hoc enim, quod per ſe ipſum dicit* SACERDOTI, *& erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis.* Quid clariùs; Quid evidentiùs dicere potuiſſet *D. Auguſtinus* ad demonſtrandum Sanctum Pænitentiæ Sacramentum in præciſis terminis *Conc. Trid.* ſi poſt celebratum Concilium ſcripſiſſet? Iſtud, ideſt, *Concil. Trident. ſeſſ. 14. Can. 4.* anathemate damnat quoſcumque negantes ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pænitente; nempè: *Contritionem*, *Confeſſionem*, & *Satisfactionem*, & D. Auguſtinus ſic dicit: *Quam ergo pænitet; omninò pæniteat, &* DOLOREM *lacrymis oſtendat*: ecce CONTRITIO: *Trid. cit. Can. 7.* anathematizat quoſcumque dixerint, neceſſarium non eſſe *Jure Divino* confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia etiam occulta cum circumſtantiis ſpeciem peccatorum

catorum mutantibus; & D. Auguſt. ſic dicit: *repreſentet* VITAM SUAM *Deo per* SACERDOTEM; ſed impoſſibile eſt, quod quis *vitam ſuam* Deo per *Sacerdotem* repreſentare poſſit, niſi exprimendo in confeſſione factâ *Sacerdoti* ſpeciem, & numerum peccatorum: ergo &c. ecce *confeſſio auricularis*. Confirmatur; quia ſi confeſſio ſoli Deo facta, & in generali ſufficeret, ut dicunt Hæretici, nemo erubeſcendi occaſionem haberet, cum omnes ſimus peccatores juxtà illud *Proverb. in cap. 4.: Septies in die cadit juſtus*; & D. Auguſtinus ſic inquit: *Qui per vos peccaſtis, per vos* ERUBESCATIS; per quod rectè infertur, quod in confeſſione exprimi debent *ſpecies*, & *numerus* peccatorum, quæ ſunt illa, quæ pænitentem erubeſcere faciunt. *Trident. cit. Can.* 10. anathematizat quoſcumque negantes, quod *ſoli Sacerdotes ſint Miniſtri ſolutionis*; & D. Auguſtinus ſic: *repreſentet vitam ſuam Deo per* SACERDOTEM ... *In hoc enim, quod per ſe ipſum dicit* SACERDOTI &c. Quid clariùs, & evidentiùs inquam ad demonſtrandum *Sanctum Pænitentiæ Sacramentum* in puris terminis *Conc. Trid.* ſcribere potuit S. Auguſtinus? Ille inquam Auguſtinus, de quo *Calvinus* infeſtiſſimus Hoſtis *Concil. Trid.*, & *confeſſionis auricularis* in *lib. 4. ſuarum Inſtit. cap. 14. ſect. 26.* ſic ſcripſit: *Atque idem eſt, quod voluit Auguſtinus, quem, ut* OPTIMUM *ex totâ antiquitate, &* FIDELISSIMUM TESTEM *ſepiùs citamus*: & OEcolampadius Lutheri aſſecla *ſcult. annal. Decad. 2. ad annum* 1520. ſic: *Perſuaſum enim eſt, ſi Auguſtinus clarè nobiſcum faciat, neutiquam à nobis diſſenſuros quotquot illum anteceſſerunt Orthodoxos Doctores*. Quid ad hæc reſpondere poſſunt Lutherani, Zuingliani, & Calviniſtæ, qui non ſolùm negant, ſed etiam deteſtantur confeſſionem auricularem in puris terminis *Conc. Trid.* deſcriptam ab illo Auguſtino uſque ad Aſtra exaltato, ab eorum Ducibus, & Magiſtris? Quod ſi pertinaciter in ſuis voluntariis erroribus permanere volunt, eos commiſerando concludam cùm *S. Petro in ſuâ Epiſt. 2. cap. 2. Meliùs erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti.*

Ulteriùs. Ipſi met Hæretici evidentiſſima dant teſtimonia de *Confeſſione auriculari, ut parte Sacramenti Pænitentiæ à Chriſto inſtituti*: *Calvinus in lib. 3. Inſtit. cap. 4. ſect. 7.* ſic ſcripſit: *Miror autem quâ fronte auſint* (Canoniſtæ nimirùm), *contendere, Confeſſionem, de quâ loquimur, Juris eſſe Divini;*

cujus equidem vetuſtiſſimum eſſe uſum, fatemur ... deinde luculenta extant teſtimonia, tùm in Hiſtoriis, tùm apud antiquos alios Scriptores, quæ doceant, unum de Presbyteris ſpecialiter deputatum fuiſſe, qui huic muneri præeſſet. *Is eſt, quem hodie quoque in ſingulis Cathedralibus*, PÆNITENTIARIUM *vocant*; & Bullingerus in ſerm. de dignè, & indignè manducantibus ſic: *Agnoſco equidem* in veteri Eccleſiâ, *receptum fuiſſe, ut communicaturi, confiterentur priùs* SACERDOTI PÆNITENTIARIO -- Si in *Veteri Eccleſiâ* ergo eo tempore, quo etiam juxtà Hæreticos vera Religio vigebat, & ſyncerior florebat doctrina; ergo Apoſtolorum tempore.

Si poſteà Hæretici dicunt cum Pſalmiſtâ in Pſal. 91. *Bonum eſt confiteri Domino*, ex hoc educentes, quod confeſſio immediatè facta Deo, cùm ſit bona, ſic etiam ſit ſufficiens ad emundationem peccatorum. Reſp. primò, quod confeſſio Deo immediatè facta, licèt ſit bona etiam in lege gratiæ; non eſt tamen ſufficiens ad delenda peccata mortalia in eâdem lege gratiæ, ut ſuperiùs probatum eſt. Reſp. ſecundò cum iiſdem verbis Flaci Alcuini in epiſt. 26. Bonum eſt confiteri Domino; ſed bonum eſt hujus confeſſionis habere teſtem. Erubeſcis homini in ſalutem tuam oſtendere, quod non erubeſcis cum homine, in perditionem tuam perpetrare? Ancillam tuam, iniquitatis tuæ conſciam, vis habere; & Sacerdotem Chriſti, reconciliationis tuæ, non vis habere adjutorem? Per inimicum corruiſti; & non vis per amicum reſurgere? Multùm offendiſti Dominum; & alium non vis habere reconciliatorem, niſi te ipſum? Confidis per orationes tuas ſalvari, & ſpernis Apoſtolicum Jacobi præceptum: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, ut deleantur delicta veſtra*? Quid eſt illud alterutrum, niſi homo homini; Reus Judici; ægrotus Medico? Ipſa ſapientia per Salomonem in *lib. Proverb. cap. 28.* dicit: *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur*: & ſic Alcuinus concludit: Sequimini Fratres veſtigia Sanctorum Patrum; & nolite in Catholicæ Fidei Religionem, novas inducere Sectas -- Alcuinus vixit in ſæculo octavo.

Adv. eſt, quod Lutherani Magdeburgenſes in cent. 3. cap. 6. & ſeq. dicunt Innocentium Tertium inſtituiſſe Confeſſionem auricularem in quarto Concilio Generali Lateranenſi: ſed vel ignorarunt Hiſtoriam S. Cornelii Papæ Primi; vel mendaces, fraudolenti, & maligni fuerunt.

Penſio

Digitized by Google

P

Penſio *eſt jus percipiendi certos fructus ex Beneficio alieno, authoritate legitimâ ad tempus, juſtâ de causâ conceſſum.*

Penſio duplex eſt; nempè: *Clericalis*, & *Laicalis*: iſta, ideſt, *Laicalis* eſt, quæ datur ob temporale obſequium, vel officium præſtitum, aut præſtandum; puta, ob pulſationem Organi; ob Cantum figuratum in Choro, & hujuſmodi; & hæc concedi poteſt tàm Clericis, quàm Laicis: Illa, ideſt, *Clericalis* eſt, quæ datur *Clericis* tantummodo, & *titulo Clericali*; & iſta: alia eſt, quæ datur Clerico ob *aliquod munus exercendum*; puta, pro recitatione Officii; pro munere Viſitatoris; Concionatoris; Coadiutoris Epiſcopi, & hujuſmodi, & hæc eſt *purè ſpiritualis*: alia eſt, quæ datur ob *aliquod temporale motivum*; puta, ob ſenectutem, paupertatem, & hujuſmodi.

Quamvis ſolus Papa poſſit (interveniente juſtâ causâ) concedere penſiones ſuper Beneficiis Eccleſiaſticis, eo quod ad ipſum ſpectat plena Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitio, ut conſtat ex *cap.2. de Præben. to.3. nu.21.*: attamen in *causâ tranſactionis*, poteſt Epiſcopus, vel Judex delegatus, penſionem imponere *Beneficiario*, dando alteri penſionem ad tempus, ideſt, durante vitâ *Beneficiarii*, vel *Penſionarii*: ità *Panorm.* relatus ab *Ant. à Sp. Sanct. tom.1. tract.4. diſp.4. ſect.27.*, & hoc conceditur ex causâ *litis componendæ*: nequeunt tamen collitigantes, id facere ſinè licentiâ Epiſcopi, aliter ſimoniam committerent, eo quia *Penſio* eſt quid *ſpirituali* annexum.

Epiſcopus in aliquibus caſibus ſpecialibus ex *juſtâ*, & *neceſſariâ causâ*; aut ob *evidentem Eccleſiæ utilitatem*, imponere poteſt penſionem ſinè facultate tamen transferendi ad alium; & etiam dummodo non imponat præcisè in favorem alterius; aut in occaſione conferendi aliquod Beneficium, illud conferat cum pacto penſionis ſolvendæ, niſi eſſet ad breve tempus; puta, circiter octo, vel decem annorum, & etiam applicandam ex causâ neceſſitatis alicui Loco Pio, aliter ſaperet ſimoniam, ſi fieret ſinè authoritate Papæ: ità *Pirhing. cum aliis in comp. lib.3. tit.13.*

Penſio Clericalis vendi non poteſt ſine ſimoniâ, ut patet ex *Bullâ S. Pii V.*, quæ incipit: *Ex proximo &c.* Penſionarius tamen ſinè ſimoniâ, poteſt propriâ authoritate redimere penſionem, dummodo antè impoſitionem penſionis, non fuerit factum pactum de redemptione faciendâ: ità *Caſtropal.* cum aliis *diſt. 3. de Simoniâ p. 13. n. 10.*

Per-

Percuſſio triplex eſt; nempè: *Ænormis*; *Levis*; *& Mediocris*: prima, ideſt, *Ænormis* eſt, quando proceſſum eſt ad alicujus membri mutilationem, vel magnam ſanguinis effuſionem, aut reſpectu Perſonæ; puta, ſi eſt Prælatus: *Levis* eſt illa, quæ fit manu, pede, fuſte, non facientibus vulnus: *Mediocris* eſt illa, quæ mediat inter *ænormem*, & *levem*.

Perjurium *eſt mendacium juramento firmatum*: eſt intrinſecè malum, & lethaliter peccaminoſum, ſi fit cum plenâ advertentiâ: non admittit parvitatem materiæ, neque reſtrictionem mentalem, ut patet ex ſequentibus duabus Propoſitionibus damnatis.

Innoc. XI. Propoſ. damn. 24. in ordine. Vocare Deum in teſtem alicujus levis mendacii non eſt tanta irriverentia propter quam Deus velit, aut poſſit damnare Hominem; & Propoſ. 25.

25 *Cum causâ licitum eſt jurare ſinè intentione jurandi, ſivè res ſit levis, ſivè gravis.*

Pietas, ut eſt actus Religionis, *eſt, quâ Deum, & Sanctos veneramur.*

Pignus *eſt contractus, quo aliquid traditur, & obligatur Creditori in ſecuritatem debiti*: ità in re communiter: eſt contractus in gratiam utriuſque, & conſequentèr accipiens tenetur de *culpâ levi*: differt in hoc ab hypotecâ, quod hæc fundatur in obligatione *rei immobilis*; pignus autem in obligatione *rei mobilis*, quæ tranſit in Creditorem.

Pactum factum inter Creditorem, & Debitorem, ut Creditor tamdiù pignore uti poſſit, & fructus ejus accipere, donec ſibi reſtituatur creditum; regulariter loquendo, eſt illicitum, quia uſurarium: excipitur ſi adeſſet lucrum ceſſans, aut damnum emergens, & hujuſmodi, quia ſicuti non eſſet uſurarium; ità eſſet licitum in utrôque foro.

Etiam pactum factum inter Pignoratorem, & Pignoratarium; quod ſi intrà certum determinatum tempus, non fuerit ſolutum debitum, pignus pleno jure acquiratur à Pignoratario, eſt illicitum, quia uſurarium non ſolùm *Jure Civili*, ut apparet ex *l. ult. C. de pactis Pignorum*; ſed etiam *Jure Can.*, ut conſtat ex *cap. Significante de Pignoribus*.

Poſſeſſio triplex eſt: nempè: *Juris*; *Facti*; & *Mixta*: Poſſeſſio *Juris*, quæ etiam dicitur *Poſſeſſio Civilis*, eſt ipſummet Jus poſſidendi rem ſolo animo retentam: Poſſeſſio *facti*, eſt ſolus

actus

actus poſſidendi ſinè Jure: Poſſeſſio *mixta* eſt illa, quæ includit utrumque, ideſt, & jus poſſidendi, & actum poſſidendi.

Poſſeſſor *malæ fidei* quatuor modis quis conſtitui poteſt: 1. per ignorantiam craſſam, & ſupinam *facti*, quâ, ſcilicet, emptor rei furtivæ ignorabat, talem rem eſſe furtivam; 2. per ignorantiam *Juris*, quâ, ſcilicet, emptor rei furtivæ, licèt ſciret talem rem eſſe furtivam, ignorabat tamen ejus emptionem eſſe illicitam; 3. per *dubietatem*, quando, ſcilicet, emptor rei furtivæ, quam bonâ fide emit, incipit dubitare, & rationabiliter, rem emptam eſſe furtivam; 4. per *negligentiam magnam*, vel *ſimplicitatem fatuam* ad cogitandum, an res empta potuerit eſſe furtiva. Ad quid teneatur poſſeſſor *malæ fidei* rei alienæ: Vide ſub verbo ly *Reſtitutio*, §. *Et primò quis &c.*

Poſtliminium eſt Jus, quo alicui reſtituitur res uſucapta, vel præſcripta, quam amiſerat propter captivitatem, vel ſervitutem, à qua reverſus eſt.

Poteſtas *eſt facultas alicujus habentis authoritatem ſuper alios ad eorum gubernationem*: duplex eſt; nempè: Eccleſiaſtica, & Laicalis; & utraque duplex eſt; *dominativa*, ſcilicet, & *politica*: iſta reſpicit bonum privatum; illa, bonum commune.

Precarium *eſt, quod petentis precibus utendum conceditur tamdiù, quamdiù, is, qui conceſſit, patitur*: eſt contractus gratuitus, & in gratiam ſolius accipientis.

Præcepta *Decalogi* ſunt decem leges naturales, à Deo immediatè Moyſi traditæ, ut eas publicaret: tres primæ, quæ reſpiciunt Deum; ſcriptæ fuerunt in primâ tabulâ; ſeptem poſteriores, quæ reſpiciunt proximum; ſcriptæ fuerunt in ſecundâ tabulâ; tres ſunt partim *affirmativæ*, & partim *negativæ*: ut *affirmativæ* obligant ſemper, ſed non ad ſemper; ut *negativæ* obligant ſemper, & ad ſemper, nam certiſſimum eſt, quod *Idolatria* primo præcepto *affirmativo* oppoſita, ſemper, & pro ſemper eſt prohibita: idem dic. de aliis duabus, & de ſeptem negativis.

Quilibet Chriſtianus, poſtquam pervenit ad perfectum rationis uſum, tenetur ſub mortali ſcire præcepta Decalogi ſaltem quo ad ſubſtantiam; & illorum tranſgreſſio, cadit ſub mortali, niſi excuſet parvitas materiæ, aut ignorantia invincibilis, vel indeliberatio actus. Circà ſingula Decalogi præcepta, vide ſingula eorum locis propriis.

Præceptum *Eccleſiaſticum* tunc obligat ſub mortali, quando mate-

materia præcepta eſt gravis, vel pæna appoſita tranſgreſſoribus eſt gravis; puta, *Excommunicatio*, *Suſpenſio*, *Interdictum*; ità plures DD. apud *Allarium* à *Rotario* citatum: *Cajetanus* tamen dicit, quod ſolùm obligat ſub mortali, quando pæna eſt *excommunicationis latæ*, non autem ferendæ; & *Toletus* arbitratur, quod quando præceptum eſt ſub pænâ *excommunicationis ferendæ*, non obligat ſub mortali, niſi quando tranſgreſſio ad hoc pervenit, quod quis cenſeatur dignus excommunicari, & non niſi poſt legitimam monitionem, & hæc opinio videtur eſſe probabilior.

Tres ſunt caſus, in quibus *præceptum Eccleſiaſticum* non obligat: 1. in caſu *metus gravis*, cadentis in conſtantem Virum; 2. in caſu *infamiæ*; 3. in caſu *ſcandali*; quod totum intelligendum eſt, niſi interveniat *Fidei*, aut *Eccleſiæ* contemptus, vel *infamia*, quia tunc ſemper obligat.

Prælatura *eſt gradus honorificus cum juriſdictione*: ità in re communiter: *Prælati* dantur in commodum, & utilitatem non *ſuipſorum*, ſed *ſubditorum*; non ut præſint, ſed ut proſint; quorum præciſum officium non eſt in ordine ad ſe ipſos, ſibipſis placendo, & complacendo, ſed in ordine ad ſubditos, quos bono converſationis exemplo, inſtructione, & conſiliis, debent ad bonum dirigere, eoſque à vitiis, etiam ſi opus ſit, caſtigationibus arcere, memoriæ ſemper præſens habentes illud *Exechielis in cap.* 34. *Væ Paſtoribus Iſrael, qui* paſcebant ſe ipſos; *nonnè Greges paſcuntur à Paſtoribus!* & illud Hieremiæ in cap. 13. *Ubi eſt Grex, qui datus eſt tibi Pecus inclitum tuum? Quid* reſpondebis, *cum viſitaverit te?* & præſertim illud Luc. in principio Actuum Apoſt. *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, quæ cæpit Jeſus* FACERE, *& docere*, nam Prælati, qui locum Jeſu Chriſti tenent, ad inſtar ejuſdem Jeſu Chriſti, debent priùs ipſi facere, quod ſubditos docere tenentur, ne de eis verificetur, quod de Scribis, & Phariſæis hypocritis idem Jeſus dixit: *Imponunt onera gravia, & importabilia ſuper humeros Hominum*, digito *autem* ſuo *nolunt ea movere*: undè S. Leo Papa in epiſt. ad Turribium de Prælatis ſic dicit: *Quâ conſcientiâ honorem ſibi præſtitum vindicant, qui pro animabus ſibi creditis non laborant? Beſtiæ irruunt, & ovium ſepta non claudunt. Fures inſidiantur, & excubias non prætendunt. Morbi crebeſcunt, & nulla remedia proſpiciunt*. Quid de ſe intelligi volunt, niſi

quod

quod non ſunt de numero Fratrum, ſed de parte hoſtium: Et Sac. denique Conc. Trid. in Spiritu Sancto congregatum ad imprimendam in Prælatorum cordibus illam maximam obligationem, quam habent reddendi ſtrictiſſimam rationem Deo, ſi ex ipſorum commiſſionibus, vel omiſſionibus aliquis ex eorum ſubditis damnabitur, appellat Prælaturam: *Formidandum Angelicis humeris onus*.

Hinc omnia Jura clamant, ut ad *Prælaturam* eligantur *digniores*, & *meliores* pro regimine: *Digniores* autem, & *meliores* reputantur illi, qui magis utiles Religioni, & Religioſorum æternæ ſaluti prudenter præſumuntur juxtà *Trid. ſeſſ. 24. de ref. cap. 1.*, ubi ſic legitur: *Monet* (ideſt Sancta Synodus), *ut in primis meminerint*, nihil ſe ad Dei gloriam, Populorumque ſaluti *utiliùs poſſe facere, quàm ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ, idoneos promoveri ſtudeant; eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos* digniores, & Eccleſiæ magis utiles *ipſi judicaverint*. Hìc accuratè attendenda eſt Propoſ. damn. ab Innoc. XI. 47. *in ordine*.

Ineligibiles ad Regularium Prælaturam ſunt ſequentes: Primò. Valetudinarii, qui, ſcilicet, ſæpè malè valent, & frequenter ægrotant: *Peyr. de Prælat. quæſt. 2. cap. 4. num. 3.* Secundò: Senes; ſi tamen inhabiles ſunt ad munus, ad quod aſſumuntur: *Fagnàn. in 3. ad cap. Cum ſis n. 15.* Tertiò: Podagroſi, ſi tamen tales ſunt habitualiter. Quartò: Illi, qui pedibus ſtare non poſſunt, neque ſinè ſubſtentaculo ambulare. Quintò: Illi, qui per ſe ipſos ſcribere non valent: *cap. Presbyterum de Cler. ægrot.* Sextò: Surdi durante ſurditate: ità apertè *Text. in cap. Conſtitut. de verb. ſignific. in 6.*

Cæterùm ſi quis ex prædictis, poſt acquiſitam Prælaturam in aliquam ex præfatis inhabilitatibus incideret; non ideò removendus erit, neque ad renuntiationem cogendus, ſed dandus illi erit Coadiutor, ut habetur ex *cap. ex parte de Cleric. ægrot.*

Ineligibiles etiam ſunt excommunicati excommunicatione majori, ſivè à *Jure*, ſivè ab *Homine*; ſivè per *ſententiam generalem*, ſivè per *ſententiam ſpecialem*; ſivè talis excommunicatio ſit *publica*, ſivè ſit *occulta*; ſivè *ſciatur* ab Electoribus, & ſubjecto excommunicato, ſivè ſit *ignorata* ab illis, vel iſto, vel utriſque; ſivè *ſint denunciati*, ſivè *Non*: Immò *ſi jam ſunt electi*, nequeunt in *foro interno conſcientiæ* retinere dignitatem receptam, nec

Digitized by Google

etiam *poſt abſolutionem*, ſed debent ad eam de novo eligi, vel obtinere diſpenſationem à *Papâ*, vel à *Sacrâ Pœnitentiariâ*: ità communiter DD. cum *Peyrin. de Prælat. quaſt.* 2. *num.* 2. *ex cap. Cum Dilectus*; *De conſuetud.*, *cap. Poſtulaſtis de Cleric. excomm. Miniſtr.*

Prætereà excommunicati excommunicatione *minori*, ſunt & ipſi ineligibiles ad Prælaturam; & in hoc concordant DD. *ex tex. expreſſo in cap. Si celebrat.*, *de Clericis excomm.*; verùm, iſtos excuſat *ignorantia*, tàm in *Electoribus*, quàm in *Electo*, ut conſtat ex *tex. cit.* ubi ſic: *Si tamen electus* ſcienter *electus fuerit*; *ejus electio ſit irritanda*.

Suſpenſi, Interdicti, Irregulares ſunt ineligibiles ad quamcumque Prælaturam.

Quæritur, an in dando, vel accipiendo quodcumque, quod ſit pretio æſtimabile pro electione ad quamcumque Prælaturam tàm Sæcularium, quàm Regularium, committatur ſimonia? Reſp. *affirmativè* cum *Dian. coord. tom.* 5. *reſolut.* 10., Peyrin. *de ſubd. q.* 1. *cap.* 31., Pignatell. *to.* 10. *conſult.* 44., & communiter: Idem dic. eſt pro electione in *Diffinitorem*, & hujuſmodi.

Præſcriptio *eſt acquiſitio dominii rerum immobilium per continuatam poſſeſſionem temporis à lege definiti*.

Ut licitè fieri poſſit præſcriptio, quinque conditiones concurrere debent: 1. quod res poſſit præſcribi; 2. bona fides; 3. titulus ſaltem præſumptus; 4. continuatio poſſeſſionis; 5. tempus à jure definitum. Per *titulum* intelligitur omnis actus, per quem acquiri ſolet dominium alicujus rei.

Variæ poſteà ſunt præſcriptionum ſpecies quo ad *tempus*, nam alia eſt *unius horæ ſolius*, ut ſi Clericus deficiat una horâ, quâ non interſit Divinis: *cap. fin.* 12. *diſtinctione*: alia *bidui* ad docendum de rato principalis ad appellationem pro ſe, à Procuratore interpoſitam: *l. bonorùm ff. rem ratam haberi*: alia *unius diei*; nam eo die ſolummodò, quo Judex tullit ſententiam, ſi in eâ aliquid defuerit circà fructus; acceſſiones, vel expenſas; poteſt ſupplere: *l. Paulus ff. de re judicatá*: alia *trium dierum* ad petendos fructus, qui v. g. e Titii arboris ramo in domum Sempronii vicini, propendente, ceciderunt; tranſacto enim triduo, pro derelictis habentur: *l. una ff. de eglande legendá*: alia *novem dierum*, qui à defuncti morte numerantur, intrà quos Hæres conveniri non poteſt: *l. fin. cum auth. ibi ſignatá C. de ſepulchro violato*:

alia

alia *decem dierum*, intrà quos nunc appellari poteſt à ſententiâ: *c. Anteriorum 2. quæſt. 6. Auth. hodie C. de appellat.*, & intrà quos etiam à ſimili, poteſt Arbitri ſententiæ contradici: *l. penult. C. de arbitris*: alia *quindecim dierum*, ultrà quos non detinetur Teſtis invitus: *l. ſi quando C. de teſtibus*: alia *viginti dierum*, intrà quos quæſtio contrà Judicem poſt depoſitum officium, moveri poteſt, quamvis ipſe teneatur expectare per quinquaginta: *l. un. §. fin. C. Ut omnes Judices tàm Civiles, quàm Criminales*: alia *triginta dierum*, intrà quos tantùm auditur Creditor, qui per errorem ſcripſit ſibi ſolutum eſſe, & velit contrarium probare: *l. in contractib. C. de non numeratâ pecuniâ*: alia *ſexaginta dierum*, intrà quos debet inventarium compleri: *l. ſancimus §. ſi autem dubius C. de jure deliberandi*; ſic in actione redibitoriâ, & quanti minoris: *l. ſciendum §. fin. ff. de edilitio edito*: alia *unius anni*, poſt quem præſcribitur actio injuriarum: *l. Prætor edixit 7. ff. de injuriis*, & intrà annum tantùm; vel ex causâ, intrà biennium durat tempus introducendæ, ac proſequendæ appellationis: *c. Cum ſit Romana 5., c. Ex ratione 8. de appellat.*; *Auth.*, *& qui appellat. C. de temporib. appellat.* alia *triennii* rerum mobilium ſivè privati Hominis, ſivè Eccleſiæ, ſi poſſideantur cum titulo: quo ad privatum: *l. Unica C. de Uſucapione transformandâ*; & de rebus Eccleſiæ: *ex Auth. quas actiones C. de Sacr. Eccleſ.*, quæ Auth. recepta eſt ab Eccleſiâ, ut patet ex *cap. Penultimâ, & finali 21. quæſt. 3.* Dixi cum *titulo*, quia ſinè *titulo*, requiruntur ad præſcriptionem etiam rerum mobilium, ſivè privati, ſivè Eccleſiæ, anni *triginta*: *l. 3. C. de præſcript. triginta, vel quadraginta annorum*: *Covaruvias ad reg. Poſſeſſor de reg. Juris in 6. §. 5. num. 2.* alia eſt *quadriennii*, quâ à privatâ perſonâ præſcribitur contrà Fiſcum, negligentem occupare, poſtquam ei denunciatum fuit; ſicuti vice versâ per rationem correlativi, eodem ſpatio præſcribit Fiſcus contrà privatum: *l. 1. C. de quadrienali præſcript.*, alia eſt *quinquennii*, quâ præſcribitur inofficioſi teſtamenti, & inofficioſæ dotis: *l. fin. C. de inofficioſis donationibus*: & ibi *Gloſa*, & *l. Si quis Filium in fine de inofficioſo Teſtamento*; ſicuti in criminalibus *quinquennio* præſcribitur adulterium, & ſtuprum: *Gloſſ. fin.*, & *DD. in §. Item lex Julia de adulteriis Inſtit. tit. de publicis iudiciis*: alia eſt *decennii* (quæ etiam longi temporis dicitur), & eſt Hominis privati poſſidentis cum titulo, & bonâ fide res immobiles corporales

tales inter præſentes; alia *vicennii* inter abſentes: *dicta l. un. C. de Uſucapione transformandâ*: Præſentes autem dicuntur, qui in eâdem Civitate, vel Provinciâ habitant; & abſentes dicuntur, qui extrà illam: *cap. de quartâ de præſcript.*; Dixi cum *titulo*, quia ſi poſſeſſio bonæ fidei ſit *ſinè titulo*; præſcribuntur res immobiles *triginta* annis, quæ dicitur præſcriptio longiſſimi temporis: *cap. Sanctor. de præſcrip.*, *l. Si quis §. 2. C. de præſcript. triginta, vel quadraginta annorum*: ſicuti quoque præſcriptio *triginta* annorum eſt in rebus incorporalibus ex *C. nunc cit.*; & *l. 1., & 2. C. de ſervitutib.*, & *aquâ*: Præſcriptio *viginti* annorum, regulariter loquendo, datur in quôcumque delicto, exceptis tamen adulterio, & ſtupro, quæ *quinquennio*, ut dixi, præſcribuntur: *l. in cognitione, ff. ad Senatus Conſultum Syllanianum*: *l. querela C. ad leg. Cornel. de falſis cap. Cum Venerabilis*; *De exceptionibus*: alia *quadraginta* annorum, quâ præſcribuntur Bona Eccleſiaſtica etiam contrà aliam Eccleſiam: *dic. cap. de quartâ*; *de præſcript. dic. Auth. quas actiones C. de Sacroſanct. Eccleſ.*: ſicuti *quadraginta* requiruntur ad præſcribendam actionem hypotecariam, ſi hæc intentetur contrà principalem debitorem, vel ejus hæredem: *l. Cum notiſſimi 7. §. quamobrem C. de præſcript. triginta, vel quadragintâ annorum*: quia ſi intentetur contrà tertium poſſeſſorem, *triginta* annorum ſpatio præſcribitur; ut & cæteræ actiones perſonales Civiles ex *Tex. nunc cit.*, & *l. Sicuti C. eodem*; & *ibi Bart.*, & *Bald. l. neque, C. quibus non objicitur longi temp. præſcript. l. 1. §. 1. C. de annal. præſcrip.*: alia eſt præſcriptio *centenaria*, quâ præſcribitur contrà Eccleſiam Romanam: *cap. Cum vobis de præſcrip.*, *Auth. quas actiones C. de Sacroſanctis Eccleſiis*: alia denique eſt præſcriptio *immemorabilis*, cujus initii memoria non extat, quâ juxtà aliquos præſcribuntur Jura, & ſervitutes habentes diſcontinuam, & etiam regalia, ut vectigalia; Jus collectandi, & alia Papæ reſervata: *DD. ad §. Res Fiſci*; *Inſtit. tit. de Uſucapion. apud Mejum ad §. Sed aliquando cum duob. ſequenti. tit. nunc cit.*

Jus præſcriptionis, & uſucapionis, fuit introductum jure humano tàm *Civ.*, quàm *Can.* ob publicam utilitatem, & quietem, ne incerta ſemper eſſent rerum dominia, & penè infinitæ orirentur lites circà earum proprietatem, ut habetur ex *l. 1. ff. de Uſucapione*.

Proceſſus *eſt Ordo Judiciarius*: duplex eſt; nempè: *Civilis*, & Cri-

& *Criminalis*: primus, quo ad *lites*; ſecundus, quo ad *delicta*: tria cauſant nullitatem proceſſus: 1. *ineptitudo libelli*; puta, omiſſio nominis Rei, contrà quem agitur; 2. *omiſſio circumſtantiarum ſubſtantialium*; puta, temporis, loci, & hujuſmodi; 3. *nullitas ſententiæ*; puta, ſi Judex vel ſit incompetens, vel aliter judicet, quàm ut à lege præſcribitur: *DD. in cap. examina. de præſcript.*, *Bartol. in l. 3. ff. de his, quæ notantur infamiâ*; & hiſce de cauſis, etiam parte non opponente, ipſo jure proceſſus eſt nullus: *DD. ad cit. text.*

Proceſſus *criminalis* dividitur in *offenſivum*, & *deffenſivum*: Primus, ideſt, *offenſivus* pro Fiſco contrà Reum; & *deffenſivus* pro Reo contrà Fiſcum.

In proceſſu offenſivo coràm Judice competente inſpici debet qualis, & quanta ſit probatio delicti, ad hoc, ut Reus licitè poſſit inquiri, torqueri, damnari: quinque autem ſunt probationum gradus; nempè: indicia, Scripturæ, Teſtes, rei evidentia, ſivè notorium, & Rei confeſſio.

In proceſſu deffenſivo: meliùs eſt, quod deffenſiones eruantur ex ipſo proceſſu offenſivo, ut ex ipſo veneno antidotum, infringendo Fiſci intentionem, excipiendo v. g. contrà Teſtes, in ipſo proceſſu offenſivo productos. In defenſionibus ex ipſo proceſſu offenſivo, deductis; tria inſpici debent; nempè: negatio delicti; exceptio; excuſatio: quando formatur proceſſus defenſivus; examinari debent Teſtes in favorem ipſius Rei ad excludendam intentionem Fiſci.

Proceſſus redditur in totum nullus, quando apparet de aliquâ ſuggeſtione factâ per Judicem, quod tamen ſic intelligi debet, quod ſententia ſit nulla ob vitioſam inquiſitionem (idem dic., ſi proceſſus fuit formatus tempore feriato) licèt aliàs proceſſus remaneat in ſuo robore: ità *Scaccia de appell. q. 11. n. 134. in praxi parte 3. cap. 2. n. 142.*, quem refert, & ſequitur *Tranchedin., conſil. 41. n. 35.*

Procurator quatuor habere debet; nempè: *ſcientiam*, *diligentiam*, *veritatem*, & *juſtitiam in pretio*, circà quæ (diſtributione accommodâ) idem dic. eſt, quod dixi de Advocato: ibi vide.

Procurator circà quatuor peccare poteſt: 1. ſi partes inducit ad iniquam concordiam; 2. ſi terminos, aut dilationes impertinentes petit; 3. ſi ſuadet Reo, aut Clienti legitimè interrogato, ut

ut neget veritatem; 4. ſi Clientis nomine juret cum periculo perjurandi, eo quod ab eo non ſit informatus de veritate: idem proportionaliter dic. eſt de Advocato.

Promiſſio *eſt actus, quo quis ſpontè, & liberaliter policetur alteri aliquid dare, vel facere*: ità Scotus *in* 4. *diſt.* 28. *q.* 1. Si eſt legitimè facta, ideſt, animo ſe obligandi, & ab altero eſt acceptata, obligat ſub mortali ex juſtitiâ, niſi excuſet parvitas materiæ, ut cum *cit. Scoto* tenent communiter DD.

Promiſſio licèt legitimè facta in ſex caſibus ceſſat obligare: 1. propter condonationem ſpontaneam promiſſarii, dummodo licitè condonare poſſit; 2. per mutationem objecti, ut ſi v. g. res promiſſa, interim fit impoſſibilis, vel illicita per leges; aut inutilis, vel damnoſa promiſſario, in cujus gratiam facta fuit promiſſio; 3. ſuperveniente (ſinè culpâ promiſſoris) tali mutatione ſtatus rerum, quod promiſſor cenſeatur talem eventum non voluiſſe comprehendere; 4. propter ingratitudinem promiſſarii, quæ, ſi eſt gravis, revocat etiam donationem; 5. per reciprocam compenſationem; 6. ob non ſubſiſtentiam cauſæ principalis, propter quam facta fuit promiſſio: ità communiter DD.

Propoſitum non peccandi de cætero, eſt actus voluntatis, qui neceſſariò requiritur ad validitatem Sacramenti Pænitentiæ; & licèt debeat eſſe efficax, poteſt tamen ſimul ſtare cum timore, immò etiam cum probabilitate reincidentiæ in alia peccata etiam ejuſdem ſpeciei; & ratio eſt, quia timor, & probabilitas ſunt actus intellectus: propoſitum verò, eſt actus voluntatis; ſed actus intellectus expellere non poteſt actum deliberatæ voluntatis, cum non ſit contrarii: ergo ſimul ſtare poſſunt.

Prudentia, ut Virtus Cardinalis, *eſt quâ circà bonum finem media convenientia applicantur*: ità in re communiter.

Species ſub Prudentiâ contentæ tamquam ſub genere, ſunt quinque; nempè: *Monaſtica*; *Æconomica*; *Politica*; *Legiſlativa*; *Militaris*: ità communiter cum *D. Th.* 2.2. *q.* 47. Prima, ideſt, *Monaſtica*, ſeu *particularis* eſt, quâ quiſque ſibi, & propriæ ſuæ directioni proſpicit; *Æconomica*, quæ propriæ familiæ: *Politica*; quæ Reipublicæ: *Militaris*; quæ in rectum miniſtrandi bellum: *Legiſlativa*; quæ in condendo idoneas leges, media convenientia applicat.

Partes integrales Prudentiæ ſunt octo; nempè: memoria præteritorum; intellectio; docilitas; ſolertia; ratio; circumſpectio;

cautio;

cautio; & prudentia in prædictorum uſu: ità *D. Thomas cit. quæſt.* 43.

Pubes: vide ly *Impubes* — *Pupillus*: vide pag. 114.

Purgatorii nomine intelligitur locus quidam à Cœlo, & Inferno diſtinctus, in quo Juſtorum Animæ, quæ in hac vitâ ſufficienter expiatæ non fuerunt, expurgentur in alterâ vitâ, antequam perveniant ad Regnum Cœlorum, in quod nihil coinquinatum introire poteſt, ut habetur ex *Apocalyp. cap.* 21.

Nullus eſt ex modernis Hæreſiarchis, & Hæreticis, qui Vigilantii, & Aerii (ab Eccleſiâ in quarto ſæculo execratorum ſimul cum eorum perverſâ doctrinâ) veſtigia non ſequatur, negando *Purgatorium*, ejuſque nomen irridendo, eo quia in totâ Sacrâ Scripturâ, hoc nomen ly *Purgatorium* non invenitur. Verùm ipſis reſp., quod nec etiam nomina *Trinitatis*, *Incarnationis*, *Conſubſtantialitatis* inveniuntur in totâ Sacrâ Scripturâ; & conſequenter ſi *Purgatorium* ex hoc ſolo motivo ab Hæreticis negatur, ab ipſis etiam negari debent, & irrideri nomina *Trinitatis*, *Incarnationis*, *& Conſubſtantialitatis*, cum par ſit ratio de Purgatorio, & de iſtis: ſed ſic eſt, quod licèt nomina *Trinitatis*, *Incarnationis*, *& Conſubſtantialitatis* non reperiantur in totâ Sacrâ Scripturâ, adhuc tamen neque negantur, neque irridentur ab Hæreticis: ergo neque nomen *Purgatorii*, ab ipſis neque negari, neque irrideri poteſt, licèt in totâ Sacrâ Scripturâ non inveniatur, cum eadem ſit paritas, & nulla prorsùs diſparitas aſſignari poſſit.

Quod verè, & infallibiliter detur *Purgatorium*, ſicuti ſemper aſſeruit, & docuit; aſſerit, & docet Sancta Catholico-Romana Eccleſia; probatur primò ex iiſdem Jeſu Chriſti verbis in *Matt. cap.* 12. *Et quicumque dixerit verbum contrà Filium Hominis* remittetur ei: *Qui autem dixerit contrà Spiritum Sanctum*, non remittetur ei *neque in hoc ſæculo*, *neque in futuro*: conſequens ergo eſt, quod ſi in *hoc ſæculo* juxtà Jeſu Chriſti verba, datur remiſſio, dari debeat etiam in *futuro*, cum oppoſitorum eadem omninò ſit ratio: ſed ſic eſt, quod etiam per Hæreticorum confeſſionem in Inferno, nulla datur remiſſio: ergo ab ipſiſmet Hæreticis, aſſignari debet alius locus ab Inferno diviſus, in quo detur remiſſio: ſed ſic eſt, quod pro tali loco aſſignare nequeunt Paradiſum, in quem nihil coinquinatum, introire poteſt: ergo ex neceſſitate pro tali loco aſſignare debent PURGATORIUM.

Pro-

P

Probatur ſecundò ex *Canonico lib. 2. Machab. in cap. 12.*, in quo ſic eſt ſcriptum: *Sancta igitur, & ſalubris eſt cogitatio* pro Defunctis exorare, ut à PECCATIS *ſolvantur*: ſed ſic eſt, quod ſi Defunctorum Animæ ſunt in *Inferno*, vanum eſt pro illis exorare, cum in Inferno nulla detur redemptio; & ſi ſunt in Paradiſo, ſuperfluum, cum jam æternâ Beatitudine perfruantur: ergo quando ſunt in Purgatorio. Quid clariùs, & evidentiùs ex Sacrâ Scripturâ veteris, & novi Teſtamenti in confirmationem, quod verè detur *Purgatorium?*

Negant Hæretici, quod libri Machabæorum primus, & ſecundus ſint Canonici, ideòque reſpondent, non eſſe illis quidquam credendum de Fide Divinâ, ac proindè nihil contrà eos urgere textum citatum cum additis rationibus: Verùm, cum ipſimet Hæretici pleno ore confiteantur Orthodoxam Fidem ab Apoſtolis traditam viguiſſe ad minùs per quinque ſæcula, Patreſque illorum temporum verè ſynceros fuiſſe in fide; conſequenter niſi ſibi ipſis contradicere volunt, coguntur corde ſyncero, & ore pleno confiteri, quod libri primus, & ſecundus Machabæorum, ſint verè Canonici, cum ut verè Canonici recogniti, acceptati, & venerati fuerint unanimi conſenſu, ab omnibus illis Orthodoxis Patribus, qui interfuerunt Concilio Romano ſub Gelaſio Papâ anno 494., & ab illis, qui interfuerunt Carthaginenſi tertio, inter quos adfuit perſonaliter S. Auguſtinus, qui & ejus actis, manu propriâ, ſe ſubſcripſit.

Probatur tertiò ex actis Conc. General. Æcum. Chalced., nam in actu 3. legitur, quod inter alias accuſationes, datas contrà Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum, una fuit, quod mortuâ Periſteriâ nóbili, ac divité Matronâ, quæ omnium bonorum ſuorum, hæredem Eccleſiam Alexandrinam inſtituerat; Dioſcorus ſibi omnia uſurpaverat; ità quod pro *ejus animâ*, nec etiam incenſum obtuliſſet -- Hìc not. eſt antiquiſſimus mos Eccleſiaſticus incenſandi cadavera Fidelium poſt illorum obitum, à modernis Hæreticis, ut ſuperſtitioſum irriſum -- In Can. 63. Conc. Nicæni celebrati in quarto ſæculo ſic eſt ſcriptum: *Nuntietur de morte Epiſcopi omnibus Eccleſiis, & Monaſteriis illius Diœceſis, ut fiat oratio pro eo* -- In cap. 19. Conc. Cartag. 4. ſic legitur: *Pœnitentes, ſi caſu in itinere, vel in Mari mortui fuerint, ut eis ſubveniri non poſſit: memoria eorum* orationibus, & oblationibus *commendetur*.

Pro-

Probatur quartò authoritate Sanctorum primævæ Eccleſiæ Patrum, nam Sanctus Ambroſius in præparatione ad Miſſam pro feriâ ſextâ, ſic ſcripſit: *Deſcendat etiam Domine... ità ut placidè, & benignè ſuſcipias* Sacrificium *de manibus meis ad ſalutem tàm vivorum, quàm* DEFUNCTORUM; & exponens illa verba *Pſal. 65. Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium*: per ly *aquam* interpretatur *Baptiſmum*, qui abſtergit peccata; & per ly *ignem* interpretatur *Purgatorium*, quo peccatorum reliquiæ conſumuntur.

Sanctus Auguſtinus in ſerm. 34. de verb. Apoſt. ſic: *Orationibus verò S. Eccleſiæ, & Sacrificio ſalutari, & eleemoſinis, quæ pro eorum* ſpiritibus *erogantur; non eſt dubitandum* mortuis *adjuvari, ut cum eis miſericordiùs à Deo agatur, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus* (ideſt Apoſtolis) *traditum, univerſa obſervat Eccleſia*; & in Enchiridion ad Laurent. cap. 109. ſic: *Non eſt negandum* Defunctorum Animas, *pietate ſuorum viventium* relevari, *cum pro eis* Sacrificium mediatoris *offertnr*; & in lib. de Civit. Dei in cap. 25. exponit de *pœnâ Purgatorii* illud Iſajæ cap. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiorum, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus in ſpiritu judicii, & ſpiritu ardoris*.

S. Jo. Chryſoſt. in Hom. 69. ad populum ſic: *Non temerè hæc* ab Apoſtolis ſancita fuerunt, *ut in tremendis myſteriis* Defunctorum agatur commemoratio; *ſciunt enim multum illis contingere lucrum, utilitatem multam*.

Euſebius denique Cæſarienſis in vitâ Conſtantini Imperatoris *lib. 4. cap. 70., & ſeq.*, narrat, quod quando ab Epiſcopis delatum fuit in Eccleſiam cadaver Conſtantini; ibi pro *ejus animâ factæ fuerunt orationes, & oblata Miſſarum Sacrificia* -- Si anima Conſtantini erat in Cælo, ſuperfluum erat pro illâ orare, & Miſſarum Sacrificia offerre: ſi erat in inferno, erat vanum: ergo illi Epiſcopi; & orationes fecerunt, & Miſſarum Sacrificia Deo obtulerunt pro animâ Conſtantini, quia firmiter credebant, quod dabatur *Purgatorium*. Ipſe Euſebius erat præſens in Eccleſiâ, ideò ſcripſit ut teſtis de viſu, & auditu, & aliàs Conſtantinus obiit tempore Julii, qui electus fuit Papa anno 336., ideſt eo tempore, quo etiam juxtà hæreticos vera florebat religio, & ſyncerior vigebat doctrina.

Probatur ultimò ex ſcriptis ipſorum met Hæreſiarcarum, & præcipuorum hæreticorum modernorum. Lutherus modernorum Hæ-

reticorum Anteſignanus in *reſſolutionibus tit.1.pag.*112.ſic ſcripſit: *Mihi certiſſimum eſt*, Purgatorium eſſe, *nec multùm me movet, quid blacterent hæretici, quando* jam *mille, & plus centum anni ſunt, quod B. Auguſtinus in ſuarum confeſſionum lib. 9. pro Matre ſuâ orat, & orandum petit: & eadem Sancta Mater ejus moriens* (ut ibi ſcribit) *memoriam ſui fieri optavit ad Altare Domini: ſed & à B. Ambroſio, id factum narrat. Quod ſi etiam tempore Apoſtolorum non fuiſſet Purgatorium* (ut ſuperbit faſtidioſus Pighardus) *numquid ideò credendum eſt hæretico vix quinquaginta annis nuper nato, & fidem tot ſæculorum falſam fuiſſe contemnendum? Maximè cum ipſe, nihil aliud faciat, quàm quod dicit: Non credo; & ſic probavit omnia ſua, & improbavit omnia noſtra, quaſi non credant lignum, & lapis*. Ita de *Purgatorio* Lutherus, antequam perveniret ad ſummum ſuæ diabolicæ perverſitatis.

Zuvinglius Epicher. de Canone Miſſæ ſic: *Qui oblationem à* (*Chriſti*) *morte diſtinguunt; rem eandem, ſed aliter appellatam, nullis Scripturarum ſuffragiis, ſolâ Patrum vociferatione nituntur* — & inferiùs ſic: *Perhibent Auguſtinus, & Chryſoſtomus morem* pro defunctis orandi, ab Apoſtolis uſque ad ſe manaſſe, *quod ego vehementer admiror ... At ſi omninò res ſe haberet ut Auguſtinus, & Chryſoſtomus prodiderunt*; non puto Apoſtolos aliâ cauſâ, quàm indulgentiâ, infirmis quibuſdam permiſiſſe pro mortuis orare — Hìc Zuvinglius admiratur, quod Auguſtinus, & Chryſoſtomus teſtentur morem orandi pro Defunctis, ab Apoſtolis originem habuiſſe: ſed ego magis admiror de Zuvinglio, quod dubitare auſus fuerit de teſtimonio perhibito ab Auguſtino, & Chryſoſtomo, vetuſtæ Eccleſiæ Orthodoxis Patribus, qui ſi non fuerunt Apoſtolorum Diſcipuli, horum tamen auditores fuerunt, ut teſtatur idem Kechermanus hæreticus: mente poſteà excedo præ nimio ſtupore conſiderans, quod Zuvinglius tantam habere potuerit petulantiam, falsò criminandi Apoſtolos, quod rei tàm illicitæ operam dederint, ut permittere potuerint, quod Defunctorum animæ orationibus Fidelium ſuffragarentur, ſi non dabatur Purgatorium: Pluſquam vera eſt illa ſententia Divi Hieronymi, quod *nullus eſt impius, quem Hæreticus, impietate non vincat*.

Calvinus Inſtit. lib.3.cap.5. ſect.10. ſic ſcripſit: *Monicam Matrem ſuam in libris confeſſionum Auguſtinus narrat, vehementer*

rogaſſe,

rogaſſe, ut ſui memoriam in peragendis myſteriis fieret ad Altare ... cæterum, ut concedam vetuſtis pium eſſe viſum ſuffragari mortuis: regula, quæ fallere nequit, ſemper tenenda eſt -- Hic Calvinus contrà mentem ſuam confeſſus eſt dari Purgatorium, dùm dicit, quod regula, quæ fallere nequit, ſemper tenenda eſt. Et qualis eſt illa regula, quæ fallere non poteſt, niſi illa, quæ derivatur à Sacrâ Scripturâ; à Conciliis Generalibus Æcumenicis, ab Orthodoxis primævæ Eccleſiæ Patribus? Sed Sacra Scriptura utriuſque Teſtamenti; Concilia Generalia Æcumenica; Sancti, & Orthodoxi Patres primævæ Eccleſiæ clarè teſtantur, quod datur Purgatorium: ergo regula, quæ fallere non poteſt eſt iſta, quod datur Purgatorium: ergo etiam juxtà Calvinum datur Purgatorium.

Bulingerus Decad. 5. ſerm. 9. §. pro mortuis ſic ſcripſit: *Quod nonnulli objiciunt, veteres meminiſſe oblationis* pro mortuis; *nihil ad nos pertinere putamus ... proindè ſi veteres ſentiunt, Cœnam eſſe Sacrificium*, & hanc pro refrigerio mortuorum offerendam, *non recipimus eorum ſententiam, utpotè non congruam Scripturis Canonicis* -- Mirum hoc eſt: Bulingerus fatetur nonnullos Veteres teſtimonium perhibuiſſe de Purgatorio, & poſteà ſubjungit ſe non recipere eorum ſententiam, utpotè non congruam Scripturis Canonicis: Judicet prudens Lector qualiſcumque ille ſit, an magis ſit credendum tot Patribus duorum Conciliorum, celebratorum intrà illa quinque prima ſæcula, in quibus etiam juxtà Lutherum, Calvinum, & tot alios Hæreticos, viguit vera Religio, & floruit ſyncerior doctrina, an Bulingero? An uni, dico, Hæretico, qui nullam aliam rationem adducit, niſi: non recipimus eorum ſententiam, ideſt, Veterum primævæ Eccleſiæ Patrum, & cur? utpotè non congruam Scripturis Canonicis: Primus, & ſecundus liber Machabæorum, recogniti, acceptati, & venerati fuerunt, ut Canonici ab Orthodoxis Patribus duorum Conciliorum, Romani, ſcilicet, & Carthaginenſis, inter quos adfuit ille Auguſtinus, qui etiam ab Hæreticis eſt veneratus, ut Oraculum veritatis; & Bulingerus audet dicere, quod talis ſententia Veterum Patrum non ſit congrua Scripturis Canonicis, nullam de hac ſuâ iniquâ, & falsâ propoſitione reddens rationem, & ſic dicendo: *Non recipimus*: omnia ſua probavit, & omnia Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & primævæ Eccleſiæ Orthodoxorum Patrum improbavit: Quibus ergo juremerito ſit credendum?

P

dendum? Judicet, & fateatur prudens Lector.

Ex Sacrâ ergo Scripturâ utriuſque Teſtamenti; ex Conciliorum ſententiis; ex Orthodoxorum Patrum ſcriptis, & etiam Hæreticorum, remanet probatum, dari PURGATORIUM.

Q

QUaſi dominium *eſt Jus rei corporalis*; puta, ſervitutis, obligationis, & hujuſmodi: Dicitur etiam *quaſi Dominus* ille, qui rei alienæ, eſt poſſeſſor bonæ fidei; quapropter facit fructus ſuos taliter, quod vindicato fundo à vero Domino, non teneatur de fructibus conſumptis poſt *triennium* poſſeſſis, & uſucaptis: *Text.*, *& Gloſſ. in l. ſequitur §. Fructus ff. de rei vindicatione.*

Quaſi delicta ſunt illa, in quibus ſæpè contingit, ut quis non peccet; nihilominùs tamen quaſi reus cenſeatur de aliquo delicto commiſſo ab aliquo alio ſuæ poteſtati ſubjecto; puta, filio, ſervo, animalibus, & hujuſmodi.

R

RApina *eſt ablatio rei alienæ per vim facta*: differt ſpecie à *furto*; & ideò talis circumſtantia neceſſariò exprimenda eſt in confeſſione, quia ſimplici furto ſuperaddit injuſtam violentiam.

Raptus mulierum *eſt violenta extractio Perſonæ fæminæ de loco ad locum, ad actum turpem cum eâ committendum, vel matrimonium contrahendum*: ità *Trid. ſeſſ. 24. de ref. cap. 6.*

Raptus eſt mortaliter peccaminoſus propter injuſtam violentiam, Perſonæ raptæ allatam; & meritò ponitur inter ſpecies luxuriæ ratione intentionis ad luxuriam pertinentis, eo quia fit libidinis causâ.

Pænæ contrà raptores mulierum ſunt ſequentes: De *Jure Civili*; pæna capitalis (dummodo nihil præceſſerit de nuptiis) ut conſtat ex *l. un. C. de raptu Virginum*: De *Jure Canonico* publica pænitentia, & quod raptor ſinè ſpe Conjugii maneat, & ità habetur ex *cap. Statutum 27. q. 2.* Ex *cit. Trid.* quatuor pænæ:

1. ex-

1. excommunicatio major ipſo jure incurrenda, non ſolùm à raptore, ſed etiam à quôcumque alio, auxilium præſtante factis, vel verbis; 2. infamia perpetua, & incapacitas omnium dignitatum; 3. quod raptor, ſivè contrahat matrimonium cum raptâ, ſivè non contrahat, teneatur dotare decenter raptam ad arbitrium Judicis; & antè declaratoriam Judicis ſententiam, reſarcire omnia damna, ſi quæ ſecuta ſunt raptæ, ex causâ raptus; 4. quod inter raptorem, & raptam declaretur matrimonium irritum, & nullum, ſi eſt factum in poteſtate raptoris, & ſi aliàs raptus fuit factus ex causâ matrimonii: ſecùs dic. eſt de cooperatoribus ad raptum, ſi eorum cooperatio fuit ſolùm directa ad hunc finem, ut raptor contraheret; nam ſi contrahunt manente raptâ in poteſtate raptoris, *validè* contrahunt.

Ratihabitio eſt, quâ quis conſentit in illud, quod nomine ſuo geſtum eſt.

Regalia in plurali, varia ſignificat: propriè tamen, & in ſingulari accepta, nihil aliud eſt, quàm *Jus quoddam depoſiti, & cuſtodiæ*, ut quando *aliqua Eccleſia Cathedralis* ſuo viduata Paſtore, fructus, qui proveniunt à Principibus loci, interim cuſtodiuntu r, aut eis in depoſitum committuntur, ut eos novo Eccleſiæ Paſtori, integros Eccleſiæ reſtituant.

A Sacris Canonibus præcipitur, ne fructus Eccleſiæ vacantis, ulli alteri cedantur, quàm novo Eccleſiæ Paſtori, niſi Sedis Apoſtolicæ aliud diſponat: ità *Alex. III. in cap. Cum vos de Offic. Ord.*; & *Conc. Trid. ſeſſ. 22. de ref. cap.* 2. ſubmittit excommunicationi, Papæ reſervatæ occupatores, & ſibi uſurpare præſumentes, alicujus Eccleſiæ Bona; Fructus; Juriſdictiones: immò ſi fuerint Patroni; ipſo facto privantur Patronatu; & *ſeſſ. 24. cap.* 3. prohibet ne Patroni ſe immiſceant in proventibus Bonorum Eccleſiaſticorum, niſi quatenùs id eis ex inſtitutione, aut fundatione competat; & *ſeſſ. 25. cap. 9.* repetit diſpoſitionem, & Patronis vetat, ne ullâ causâ, vel occaſione, ſe ingerant in perceptione fructuum, & proventuum Beneficiorum, licèt etiam fuerint de ipſorum Jurepatronatu, ſed illos liberè Rectori, ſeù Beneficiario diſtribuendos dimittant, non obſtante etiam quâcumque conſuetudine.

Æconomus, qui cuſtodire debet prædictos fructus, debet eſſe Eccleſiaſticus, & à Perſonâ Eccleſiaſticâ deputandus, ut conſtat ex *Trid. ſeſſ. 24. de ref. cap.* 18.

Æco-

R

Æconomi poſteà Officium (juxtà S.Iſidorum apud Dominicum Magri verbo *Æconomus*) eſt reparatio Baſilicarum, atque conſtructio; actiones Eccleſiæ in Judiciis, vel in proferendo, vel in reſpondendo; tributi quoque acceptio, & rationis eorum, quæ inferuntur; cura agrorum, & cultura vinearum; cauſa poſſeſſionum, & ſervitialium; ſtipendia Clericorum, Viduarum, & devotarum pauperum; diſpenſatio veſtimenti, & victus domeſticorum Clericorum, & Artificum.

De Æconomo in Concilio Epheſino extat Can. 24. ſic: *Sedulò proindè omnia, quæ ad Eccleſiam pertinent, cuſtodite, ut rationem illi reddituri, qui ordinandus eſt Eccleſiæ Epiſcopus*. In Chalced. Can. 24. ſic: *Bona Eccleſiæ viduatæ ab ejuſdem Æconomo conſerventur*. In Conſtantinapolit. 3. Can. 35. ſic: *Metropolitanis non liceat, defuncto aliquo Epiſcopo, bona illius Eccleſiæ, ſibi vindicare, ſed à Clericis, vel ſi hi non fuerint, ab ipſomet Metropolitano, ordinando Epiſcopo, conſignare*.

Si verò in aliquibus Eccleſiis contrarius inductus fuit uſus; talis uſus evenit ex cauſâ alicujus ſpecialis privilegii; vel intruſus cum manifeſtâ uſurpatione, contrà quam Gregorius Decimus in Conc. ſecundo Lugdunenſi anno 1274. fortiſſimum poſuit arginem, ut fusè legitur in actis ejuſdem Concilii.

Regulares exempti, non accipiunt ab Epiſcopo approbante juriſdictionem abſolvendi ſæculares in confeſſione Sacramentali; ſed ſuppoſitâ approbatione Epiſcopi cum conſenſu ſuorum Superiorum, illam accipiunt immediatè à Papâ, pro ut deſumitur ex *Clem. Dudum §. Statuimus de ſepulturis*; & ſic declaraſse *Sac. Congr. Conc.*, refert *Fagnan. in cap. Omnis nu.79.*

Religio *eſt virtus moralis, inclinans ad debitum cultum Deo, tamquam primo rerum omnium principio, exhibendum*: eſt minor virtutibus Theologalibus, ſed præſtantior omnibus virtutibus moralibus, ut docet *D. Th. 2. 2. q. 81. a. 6.* Actus Religionis, à *D. Th. ibidem aſſignati* ſunt *undecim*; nempè: adoratio; oratio; devotio; ſacrificium; oblatio; primitiæ; decimæ; votum; juramentum; adjuratio; laus Dei.

Religioſus ſolemniter profeſſus; licèt nihil quidpiam dominii, vel juris rerum temporalium tamquam proprium poſſidere poſſit, ut conſtat ex *Trid. ſeſſ. 25. cap. de Regul.*, in tribus tamen caſibus, licitè temporalia largiri poteſt: 1. de conſenſu proprii Superioris; 2. ex cauſâ remunerationis; 3. ad redimendam vexationem Monaſterii.

Re-

Remiſſio Creditoris: ut excuſet debitorem à reſtitutione faciendâ, tres requirit conditiones: 1. quod ſit libera, & voluntaria; 2. quod ſi facta ab illo, in cujus poteſtate ſit poſſe remittere ſinè proprio, vel alieno gravi præjudicio; 3. quod debitum non ſit ex quatuor exceptis in Jure, quæ ponentur ſub verbo ly *Reſtitutio*, §. *Circà nonum &c.*

Renunciatio *eſt rei*, vel *Juris proprii legitima refutatio, ſcienter facta*.

Reo licitum eſt fugere, ne capiatur; immò etiam à Miniſtris Juſtitiæ eum apprehendentibus, per vim ſe excutere, non tamen percutiendo, vulnerando &c.: ità *Reginal. l.* 24. *n.* 4. Eſt etiam illi licitum vincula, & carcerem infringendo, de carcere fugere, tàm antè, quàm poſt datam ſententiam, licèt juſtam; ſi hæc tamen ſit de morte; triremi, vel carcere perpetuo: ità *Leſſius lib.* 2. *cap.* 31. *diſp.* 5. Idem dic., licèt Cuſtos Carceris exindè grave damnum paſſurus ſit; immò etiam, licèt ejus concaptivi per efractum parietem fugiant, nec tenetur ad damna; & ratio eſt, quia unuſquiſque habet Jus ad vitæ propriæ conſervationem, niſi aliud exigat publicum Bonum.

Reſervatio *eſt reſtrictio Juriſdictionis in Confeſſario, ne abſolvat certos caſus*: ità in re communiter.

Eſt de fide dari in Eccleſiâ poteſtatem, reſervandi caſus quo ad forum internum conſcientiæ, ità quod, facta reſervatione; abſolutio data à quòcumque Confeſſario carente authoritate, vel facultate abſolvendi à reſervatis, *ſit invalida*, & *nulla*: ità *Trid. ſeſſ.* 14. *can.* XI.

Sola peccata mortalia externa, certa, & opere conſumata reſervari ſolent; & licèt etiam interna reſervari poſſint; attamen neque expedit, neque eſt in uſu.

Omnes, qui habent poteſtatem ordinariam conferendi juriſdictionem, & approbationem, poſſunt reſervare caſus in ordine ad ſuos ſubditos; quod tamen ſi fieret ſinè *juſtâ causâ*; reſervatio juxtà communiorem DD. ſententiam eſſet quidem *valida*, ſed *injuſta*.

Summus Pontifex (ordinariè loquendo), nullum peccatum ſibi reſervat, niſi propter excommunicationem, peccato annexam, ſibi itidem reſervatam: dico *ordinariè*, qui etiam ſinè ullâ cenſurâ annexâ, ſibi reſervare poteſt peccatum, ut fecit *Sixtus V.*, qui per Bullam, quæ incipit: *Sanctum*, *& ſalutare* &c. contrà malè pro-

promotos, reſervavit ſibi peccatum, licèt non haberet annexam excommunicationem.

Sublatâ excommunicatione ab habente authoritatem, vel facultatem; poteſt poſtmodum quilibet Confeſſarius abſolvere à peccatis, quibus annexa erat excommunicatio, ut eſt communis DD. opinio, dummodo tamen non ſint reſervata in Diæceſi: idem à fortiori dic. eſt, ſi per ignorantiam, aut quamcumque aliam cauſam, non fuit contracta excommunicatio.

Reſervatio non extenditur, niſi ad ſubditos reſervantis, & intrà Territorium ejus juriſdictionis, & conſequenter *Advenæ*, *Peregrini*, *Itinerantes*, abſolvi poſſunt à quôcumque Confeſſario à caſibus reſervatis, in loco proprii domicilii commiſſis, in alio loco, ubi non ſunt reſervati, dummodo tamen eò non acceſſerint in fraudem legis, ideſt, reſervationis, ut patet ex *Bullâ Clem. X.*, quæ incipit: *Superna &c. §. 6*

Adeſt unum Decretum *Sac. Cong. Conc.* emanatum ſub die 21. *Septemb.* 1624. juſſu *Urbani VIII.*, in quo Sanctitas ſua declarat, quod ſi Confeſſarius Regularis petierit facultatem à Superiore, abſolvendi aliquem Religioſum ſui Ordinis ab aliquo caſu reſervato, & ei denegata fuerit; poſſit pro illâ vice eum abſolvere.

Reſervatio cum ſit odioſa, eſt benignè interpretanda; undè ſolùm reſtringi debet ad peccata certò reſervata, non autem ad *dubia*, ſivè *dubium* ſit *negativum*, ſivè ſit *opinativum*; ſivè ſit *Juris*, ſivè ſit *facti*: neque obſtat Decretum *Clem. VIII. de anno* 1601., quod in *reſervatione* comprehendit caſus in *Bullâ Cænæ*, *de reſervatione dubios*; nam tale Decretum per aliud poſterius Decretum *de anno* 1602., fuit moderatum ab eôdem Summo Pontifice, nam ibi omittuntur illæ particulæ, ideſt, *clarè*, vel *dubiè* contentis.

Peccatum reſervatum commiſſum, quando vigebat reſervatio; ablatâ à Superiore reſervatione, poteſt abſolvi à quôcumque ſimplici Confeſſario: e contrà; ſi fuit commiſſum, quando non erat reſervatum, & ex poſt fuit facta reſervatio, abſolvi non poteſt, niſi ab habente facultatem; & utriuſque ratio eſt, quia in *primo caſu* in Confeſſario non eſt reſtricta juriſdictio, benè tamen in *ſecundo caſu*: ità cum pluribus aliis *Tambur. tom. 2. pag. 40. n. 9.*

Confeſſarius audens abſolvere à reſervatis ſinè facultate, peccat mortaliter, & incurrit ipſo facto in excommunicationem, & alias pænas, inter quas, eſt ſuſpenſio ab audiendis confeſſionibus: excipiuntur

piuntur tamen caſus neceſſitatis; puta, ad evitandam infamiam pænitentis, vel aliorum ſcandalum, quia in his caſibus poteſt Confeſſarius, facultatem non habens, abſolvere à reſervatis, ſed *indirectè* tantùm: & juxtà aliquos DD. extenditur etiam ad certos caſus, in quibus doctus Confeſſarius prudenter exiſtimat, ſe lucrari animam pænitentis, eo quia ex certis circumſtantiis prævidet, quod ſi tunc inabſolutus dimittetur, inſordeſcet in peccatis.

Adv. eſt, quod quando pænitens prædicto modo abſolvitur, ideſt, *indirectè*; tenetur Confeſſarius antequam illum abſolvat, ab illo exigere promiſſionem de comparendo pro *abſolutione directâ*; de ſtando mandatis Eccleſiæ; & de ſatisfacienda parte, ſi quæ ſit læſa.

Quando in reſervatione habetur hæc verba: *priùs ſatisfactâ parte*: non poteſt Confeſſarius abſolvere, niſi pænitens priùs ſatisfecerit: ſi non adeſt ly *priùs*; ſufficit, quod pænitens promittat ſatisfacere.

Peccata reſervata, inculpabiliter omiſſa in confeſſione, factâ Confeſſario habenti facultatem abſolvendi à reſervatis, poſſunt poſteà abſolvi à quocumque alio ſimplici Confeſſario: idem dic., juxtà aliquos DD. de peccatis reſervatis, confeſſis Confeſſario habenti facultatem in confeſſione voluntariè nullâ; & ratio eſt, quia etiam in hoc caſu, ſatisfecit mandato Superioris, & adimplevit legi reſervationis.

Prælati, qui reſervant caſus, poſſunt ab illis abſolvere, niſi ſint nominatim excommunicati vitandi, ſuſpenſi, interdicti, aut irregulares; & poſſunt etiam abſolvere à caſibus reſervatis ab inferioribus in eôdem Ordine: ſecùs dic. de Archiepiſcopis in ordine ad ſubditos ſuffraganeorum, niſi in actu viſitationis; & ratio eſt, quia Archiepiſcopi non habent juriſdictionem immediatè in Diæceſibus Suffraganeorum reſpectu fori interni.

Epiſcopi ex *Trid. ſeſſ. 24. de ref. cap. 6.* habent facultatem, abſolvendi in foro conſcientiæ *ſuos ſubditos* non ſolùm per ſe, ſed etiam per ſuum Vicarium, ad id deputatum, vel deputandum ab *omnibus caſibus occultis*, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis.

An etiam abſolvere poſſint pariter in foro conſcientiæ *ſuos ſubditos ab hæreſi occultâ*? Reſp., hoc eſſe valdè controverſum, nam *Roſſignolus in tract. de Sacram. Pænit. quæſt. 7. art. 19. ſect. 1.*, aſſerit Epiſcopos abſolvere poſſe ſuos ſubditos ab hæreſi occultâ, & fundatur in authoritate *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.*,

in quo ſic legitur: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptá eá, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum contentioſum, diſpenſare: & in quibuſcumque caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diæceſi ſuâ per ſe ipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ, gratis abſolvere, impoſitâ pænitentiâ ſalutari*. Item & in hæreſis crimine in eôdem foro conſcientiæ, eis tantùm, non eorum Vicariis, *ſit permiſſum*— Anacletus in univerſum Jus Canonicum *lib.5. Decretal. tit.7. de Hæreticis §. de poteſtate abſolvendi pag. 174. num. 350.* ſuſtinet, quod Epiſcopis dempta fuit talis poteſtas abſolvendi ab hæreſi occultâ, cum talis facultas eis ablata fuerit per *Bullam Cœnæ Domini*; hancq; ſuam opinionem roborat non ſolùm authoritate plurium DD., inter quos *Sanchez* lib.2. Moral. diſp.3. §.2. n.22., *Garziæ* de Benef. p. XI. cap. X. num. 115., *Durandi* in Bullâ Cænæ lib. 1. qu. 12. *Pignatelli* tom. 1. conſult. 292., *Sperelli* deciſ. 112. num.61., *Barboſæ* de Offic., & poteſt. Epiſc. alleg. 40. num. 3., ſed etiam diverſarum declarationum, quæ diverſis temporibus factæ fuerunt ab Emin. Dominis Card., & præſertim *Decreti Alex. VII. emanati anno* 1665., in quo damnatur ſequens Propoſitio, ut ſcandaloſa, & eſt tertia in ordine: *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ, ſolùm prohibere* abſolutionem hæreſis, *& aliorum criminum, quando publica ſunt, & non derrogare facultati Tridentini, in quâ* de occultis criminibus, *eſt ſermo. Anno 1629. die 18. Julii, in Conſiſtorio Sac. Cong. Emin. Card. viſa, & tolerata fuit*, per quod Decretum *Anacletus*, ſuam confirmat opinionem: quod, ſcilicet, per Bullam Cænæ Domini, Epiſcopis ablata fuerit facultas, abſolvendi in foro conſcientiæ ſuos ſubditos ab hæreſi occultâ.

Verum: cum idem Anacletus dicat, quod circà hanc quæſtionem magna ſit controverſia inter DD., ex quibus juxtà *cit. Barboſam n.25.* viginti quatuor enumerantur, qui oppoſitam opinionem tenent, ac deffendunt; ideò dicere non audeo, quod talis opinio ſit improbabilis, ſeù tenuis probabilitatis, licèt oppoſita, ſit certior, & probabilior.

Hìc unum proponi poteſt dubium: An, ſcilicet, *Prælati Regulares, poſſint in foro conſcientiæ abſolvere ſuos ſubditos ab hæreſi occultâ, & ab excommunicatione propter ipſam incursâ*.

Ratio

Ratio dubitandi eſt, quia ſicuti potior, & validior ratio, ob quam probatur, quod Epiſcopis ablata fuit facultas, illis à Tridentino conceſſa, fundatur in *Decreto Alex. VII.*, in cujus tertiâ ex propoſitionibus damnatis, eſt ſuprà allata: *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ* &c. & cum alia immediatè ſubſequens, quarta, ſcilicet, in ordine ſit hæc: *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere* quoſcumque ſæculares *ab hæreſi occultâ, & ab excommunicatione propter eam incursá*; & per hanc ſit ſolummodo expreſsè damnata opinio, nimirùm, quod *Prælati Regulares* poſſunt abſolvere *quoſcumque ſæculares*; & cum aliàs incluſio ſæcularium nominatim, ſit implicita excluſio Regularium Subditorum; ideò rationabiliter proponi poteſt dubium: *An Prælati Regulares poſſint in foro conſcientiæ abſolvere ſuos ſubditos ab hæreſi occultâ, & ab excommunicatione propter eam incursá?* — Dubium propoſui, ſed ejus reſſolutionem, Viris doctis, & prudentibus, relinquo.

Quid poſteà intelligendum ſit per ly *occultum*? Reſp. intelligendum eſſe illud, quod non eſt notoriè divulgatum, undè poteſt aliquâ tergiverſatione celari: quapropter ſi quid eſt notum majori parti viciniæ Parochiæ, aut Monaſterii, dummodo ibi ſint ſaltem decem Perſonæ, non poteſt dici *occultum*. *Donatus tom.* 1. *p.* 2. *pag.* 67. dicit, crimen eſſe occultum, ſi in magnâ Civitate ſit notum ſolummodo octo, vel decem Perſonis, & addit, quod crimen commiſſum in domo, aut familiâ, non eſt *per ſe publicum*, niſi ex circumſtantiis, prudenter judicetur, fore faciliter evulgandum; puta, ſi ibi reperti ſint aliqui exteri loquaces: *Avila p.*3. *c.*7. *diſp.* 11. *concluſ.*3. dicit, quod crimen occultum in unâ Provinciâ, poſſit ibi tamquam occultum abſolvi, licèt in aliâ ſit publicum: hanc opinionem ſequuntur *Jo. de Caſtillo*; *Leander*, & alii.

Tunc poſteà crimen dicitur deductum ad *forum contentioſum*, quando eſt deductum *in Judicium, & Reus eſt citatus*; & in tali caſu, ſi crimen non remanet probatum, manet occultum ex defectu probationis in judicio, & reus abſolvi poteſt: ſecùs dic. ſi poſt terminatum judicium, reus remanet punitus: ita cum *Bonac. de cenſuris tract.*2.*diſp.*1. *q.*3. *punct.*2., *& diſp.*7. *q.*5. *punct.*1. Leander *de cenſuris tract* 2. *diſp.*17. *q.*56., & communitèr contrà *Bardi in ſelectâ lib.*7. *q.*14 *nu.*7.

Talis facultas, quæ Epiſcopis competit *Jure ordinario*, competit Prælatis Regularibus *jure conceſſo*, ideſt, ex privilegiis, ipſis

à Sede Apoſtolicâ conceſſis; quæ tamen facultas cum ſit conceſſa *muneri, & officio in perpetuum*; ideò cenſetur, *quaſi ordinaria*, & conſequenter delegare poſſunt talem facultatem eo modo, quo poſſunt Epiſcopi.

Quando Prælatus concedendo *facultatem* dicit, ſe concedere *facultatem* audiendi confeſſiones ſinè ullo addito, intelligi non debet de *reſervatis*: idem dic. ſi ait ſe concedere *ſuam authoritatem*: Si poſteà dicit, ſe concedere totam ſuam authoritatem; tunc intelligi debet etiam de reſervatis, & cenſuris, niſi in lege contineatur aliquid *ſpecialiter* reſervatum; & ratio eſt, quià in generali conceſſione, non veniunt illa, quæ veroſimiliter Superior non eſſet conceſſurus, licèt rogaretur.

Inquiſitores non ſolùm abſolvere poſſunt ab hæreſi in *foro externo Judiciali*, ſed etiam in *foro interno conſcientiæ*: immò delegare poſſunt quemcumque Confeſſarium in caſu ſpecialiter occurrente pro abſolutione: Ita *Dia. p.1. tr.5. reſol.3.* cum aliis.

Legitimè impediti impedimento perpetuo, aut longi temporis eundi Romam, poſſunt in *foro conſcientiæ* abſolvi ab Epiſcopo ab omnibus *caſibus occultis*, etiam in Bullâ Cænæ reſervatis, ut dixi ſuperiùs; immò etiam à *publicis* reſervatis à jure, vel ab Homine exceptâ tamen, *hæreſi formali, licèt occultâ*, quia hujus abſolutio ſpectat *privativè* ad Inquiſitores: ita communiter DD., & ratio eſt, quia taliter impediti cenſentur in probabili periculo mortis.

Impedimenta autem legitima ſunt: 1. *articulus mortis*, & in hoc caſu quilibet Confeſſarius, immò ſimplex Sacerdos (alio approbato non exiſtente) abſolvere poteſt etiam ab *hæreſi formali non occultâ*; 2. *probabile periculum mortis* in terminis communibus, ideſt, non ſolùm Epiſcopi; ſed etiam quilibet alius Confeſſarius in abſentiâ Epiſcopi, abſolvere poteſt, ac ſi eſſet ipſemet Epiſcopus; 3. infirmitas continua, licèt non periculoſa; puta, podagra, & hujuſmodi; 4. inimicitia, quâ quis grave damnum ſibi, vel ſuis prudenter timet, ſi diſcedit; dummodo tamen ex ſe non procedat, quod non fiat reconciliatio; 5. ætas puerilis, vel ſenilis; 6. paupertas, quia nemo tenetur ire Romam mendicando, ſi iter eſt plurium dierum; 7. fragilitas ſexus, ideſt, Mulieres; 8. debilitas virium, ut ſunt illi, qui habent complexionem, adeò debilem, quod itineris labores ſuſtinere non valent; 9. adſtrictus alteri, illi, ſcilicet, qui non ſunt ſui juris, ut filii-familias, ſervi &c. quando

ſinè

ſinè Parentum, vel Dominorum præjudicio, Romam pergere nequeunt; 10. cura animarum; aut temporale dominium, quando rationabiliter timetur, ne ſubditi damnum patiantur: idem dic. eſt de illis, qui proprio labore, Filios, Uxorem, & familiam alere tenentur; & etiam de illis, qui habent officium publicum, quod impediri poſſit à tali itinere, vel deſeri nequeat ſinè gravi detrimento; 11. quodcumque aliud impedimentum legitimum, ut detentio in carcere; ſequeſtrum in domo, & quidquid judicio prudentis Viri judicabitur impedimentum legitimum.

Adv. tamen eſt, quod quando impedimentum non eſt perpetuum; Epiſcopus abſolvere non poteſt, niſi poſitâ obligatione comparendi pro abſolutione, & hoc ſub pænâ reincidentiæ in alias cenſuras omninò ſimiles: excipiuntur tamen Impuberes, qui etiam poſt pubertatem abſolvi poſſunt à cenſuris in impubertate contractis, ut docet *Leander de cenſur. diſp. 17. q. 59. ex cap. Quamvis ... De ſenten. excom.*

Cæterùm ſufficit, quod Pænitens ſe præſentet per Procuratorem, dummodo Papa annuat: excipitur tamen caſus de *publicâ percuſſione Clerici*, ut conſtat ex *cap. Quod de his; De ſentent. excomunic.*

Illi, qui ſunt legitimè impediti *impedimento perpetuo*, non tenentur mittere Romam Nuntium, aut litteras pro abſolutione: ità *Donat. to. 1. part. 2. pag. 69. nu. 11. Tamb., Leander*, & alii, & ratio eſt, quia jura exigunt tantummodo Perſonam: cæterùm pro *occultis* conſultiùs eſt recurrere ad Sacram Pænitentiariam per epiſtolas.

Quæritur an impeditus ire perſonaliter Romam; ſi eſt etiam impeditus ire ad Epiſcopum, abſolvi poſſit à Parocho, vel à quocumque alio Confeſſario? Reſp. controverſum eſſe apud DD. licèt affirmativa opinio, quam cum pluribus aliis tenet *Caſtropal.* apud *cit. Leandrum quæſt. 62.* mihi magis quadret, quia illa neceſſitas, ſeù impotentia eundi Romam facit, quod Epiſcopus abſolvere poſſit; eadem ergo facere debet, quod Parochus, vel alius Confeſſarius abſolvere poſſit, ſi non poteſt ire ad Epiſcopum, cum utrobique militet eadem ratio.

Prælati Regulares per *privilegium Maris magni* à Sixto 4. conceſſum *Ordinibus Prædicatorum S. Dominici, & Minoribus S. Franciſci*, ut fusè videri poteſt in *Bullario Rodr. pag. 153., & ſeqq.* abſolvere poſſunt ſuos ſubditos, etiam Novitios, & alios Fra-

tres,

tres, ad eos declinantes ab omnibus exceſſibus, & à quibuſcumque cenſuris, aliiſque Eccleſiaſticis, & ſæcularibus ſententiis, & pœnis ex quâcumque causâ contractis à jure, vel ab Homine latis etiam per Sententiam particularem (ſatisfactâ tamen parte) quatuor tamen exceptis; nempè: hæreſis formalis, licèt occulta; Schiſma; falſificatio litterarum Apoſtolicarum; delatio prohibitorum ad Infideles.

Item diſpenſare poteſt in omni irregularitate contractâ, tàm ex defectu, quàm ex delicto, exceptis tamen homicidio, & mutilatione injuſtis, & voluntariis.

Cum in prædicto privilegio, nulla ſit diſtinctio de caſibus *publicis*, vel *occultis*; nec de foro *interno*, vel *externo*; tenendum eſt comprehendere etiam *publicos* pro *utróque foro*, ut cum *Bord. tom.2. reſp.13. num. 15.* tenent *Rodr. Peyr. Dia.*, & alii; & hoc liquet ex causâ conceſſionis talis Privilegii, in quo ſunt hæc verba: *Ut dicti Ordinis profeſſoribus, omnis vagandi tollatur occaſio; & ad Sedem Apoſtolicam recurrendi ſubtrahatur* pro poſſe *neceſſitas &c.* Non tolleretur autem *pro poſſe neceſſitas* recurrendi ad Sedem Apoſtolicam, ſi tenerentur ire Romam pro caſibus *publicis*, & pro foro *externo*: adv. tamen eſt, quod loquendo de *hæreſi formali, licèt occultâ*, hæc excipitur omninò; nam ejus abſolutio competit Inquiſitoribus ex privilegiis conceſſis à Paulo V., & Alex. VII. iiſdem Inquiſitoribus.

Adv. primò, quod *Julius Secundus* per unam ſuam *Conſtitutionem*, datam ſub *die 27. Februarii anno* 1510. à Rodr. relatam in *Bullario pag. 273.* declaravit, quod dictum *privilegium Maris Magni* à Sixto IV. conceſſum, non fuit, nec eſt revocatum per vim *Bullæ Cœnæ Domini*, licèt in eâdem Conſtit. addiderit alium caſum exceptum ſuprà quatuor prædictos; nempè: *conſpirationem in Romanum Pontificem*.

Adv. 2., quod id, quod ſuprà dictum eſt de privilegiis conceſſis Prælatis Regularibus in ordine ad Religioſos ſubditos; idem intelligi debere in ordine ad *Moniales*, ipſis pleno Jure ſubditas, licèt ſint diverſæ Regulæ; & etiam in ordine ad *Puellas*, in ipſis Monaſteriis pro educatione commorantes (exceptis tamen caſibus ab Epiſcopis reſervatis ad *Clauſuram* pertinentibus); & idem intelligendum eſt de *Tertiariis*, & *Oblatis*, cum ipſis Fratribus *clauſtraliter* viventibus, ut patet ex *Conſtit. 22. Leonis X.*, quæ incipit: *Dum intrà &c.* immò etiam de *Tertiariis fœminis*, quæ

viven-

viventes in propriis domibus, *Tertiariorum Regulam*, ſervant; & ſi ſunt *Viduæ*, votum ſimplex caſtitatis fecerunt de licentiâ Epiſcopi.

Per Prælatos Regulares poſteà in ordine ad facultatem abſolvendi à caſibus, in Bullâ Cœnæ reſervatis; nequaquam intelligi debent *Priores*, *Rectores*, *Guardiani*, & hujuſmodi Superiores locales, ut dicit *Melphi in cap. 7. Stat. 1. pag.* 504., & edueitur ex *Trid. ſeſſ. 14. cap. 7.*, ubi ſic legitur: *Ad Chriſtiani Populi diſciplinam pertinere viſum eſt*, ut graviora crimina, *non à quibuſvis, ſed à* Summis *dumtaxat* Sacerdotibus *abſolverentur*.

Eſt certum, quod Regularium Confeſſarii abſolvere poſſunt quoſcumque ſæculares in foro conſcientiæ ab omnibus caſibus, & cenſuris Papæ reſervatis, iis exceptis, quæ continentur in Bullâ Cœnæ; & etiam exceptis aliis ſex Papæ reſervatis extrà Bullam Cœnæ; nempè: 1. Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis *Bullæ Greg. XIV.*; 2. Violatio Clauſuræ Monialium ad malum finem; 3. Provocantes, & pugnantes in duello juxtà Decretum *Trid.*, & Conſtitutionem *Greg. XIII.*, quæ incipit: *Ad tollendum &c.*; 4. injicientes manus violentas in Clericum; 5. ſimoniæ realis ſcienter contracta; 6. confidentia Beneficialis; à quibus ſex caſibus in Italiâ extrà Urbem Romæ abſolvere nequeunt juxtà *Decretum Sac. Cong. Conc.* juſſu *Clem. VIII. editum anno* 1602. *die* 26. *Novemb.*, benè tamen, & Romæ, & extrà Italiam. Item abſolvere nequeunt à caſibus Epiſcopis reſervatis ſinè illorum facultate.

Sixtus Quartus conceſſit Sacerdotibus Fratrum Minorum, quod quando ſunt extrà proprios Conventus, audire poſſint confeſſionem ſocii, & licitè, & validè abſolvere, licèt non ſint approbati à ſuis Superioribus: Item conceſſit omnibus Regularibus, quod in articulo mortis eligere poſſint quemcumque Confeſſarium etiam ſæcularem, qui eos abſolvat ab omnibus caſibus, & cenſuris reſervatis *directè*, & quod talis Confeſſarius (qui ſufficit, quod habeat habilitatem, licèt non ſit approbatus à propriis ſuis Superioribus), illis concedere poſſit omnes Indulgentias, quas Romani Pontifices ejus Prædeceſſores conceſſerunt illis, qui Anno Sancto pergunt Romam, & viſitant Eccleſias pro acquirendo Jubilæo ſtatutas: Item conceſſit omnibus Regularibus, quod Confeſſarii in eorum Religione approbati, abſolvere poſſint toties, quoties à caſibus Papæ reſervatis etiam in Bullâ Cœnæ occultis tamen, & exceptâ hæreſi.

Paulus

Digitized by Google

R

Paulus Quintus conceſſit Regularibus, quod eorum Confeſſarii abſolvere poſſint in foro conſcientiæ ab omnibus cenſuris, quæ contrahuntur propter abortum fœtus animati, quôcumque modo ſcienter procurati.

Semel in vitâ, & aliis duabus vicibus, & quater in ſingulis annis, poſſunt Carmelitæ, eligere quemcumque Confeſſarium in Religione approbatum, qui eos abſolvat cum plenariâ poteſtate, ac ſi eſſet ipſemet Summus Pontifex. His privilegiis uti poſſunt alii Regulares propter participationem privilegiorum, dummodo non ſit illis prohibitum à propriis Superioribus, qui virtute aliorum privilegiorum, hoc facere poſſunt, ideſt, prohibere.

Alex. VII. Propoſ. damn. 4. in ordine: Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter ipſam incurſa; & Propoſ. 12.

12. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis ſinè illorum facultate; & Propoſ.* 36.

36 *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Conc. Trid.*

Reſtitutio *eſt actus juſtitiæ commutativæ, quo res injuſtè ablata, vel retenta reſtituitur Domino ſuo; vel damnum injuſtè allatum compenſatur ei, cui datum eſt*: ita in re communiter.

Obligatio reſtitutionis, oritur ſolummodo ex *juſtitiâ commutativâ læsâ*, ita quod excluſa remaneat etiam *juſtitia diſtributiva læſa*, niſi ſit illi annexa etiam *juſtitia commutativa*; quapropter ſi v. g. Epiſcopus conferret *Beneficium ſimplex* indigno, poſtpoſito digno; vel huic, poſtpoſito digniori; licèt peccaret; non teneretur tamen ad reſtitutionem, quia in hoc caſu remaneret læſa ſolùm *juſtitia diſtributiva*: ſed ſi *Beneficium* eſſet *Curatum*; præter peccatum, teneretur etiam ad reſtitutionem, eo, quia in tali caſu non ſolùm læderetur juſtitia *diſtributiva*, ſed etiam *commutativa*; & ratio eſt, quia, eo ipſo, quo Epiſcopus indicit concurſum, fit quidam contractus inominatus: *facio, ut des*, qui pertinet ad juſtitiam *commutativam*, & conſequenter Clericus ad examen accedens; ſi ſuo competitori prævalet in concurſu, acquirit Jus ſtrictum ad petendum, ut illi conferatur, & ſi non confertur, læditur juſtitia *commutativa*, quæ obligat ad reſtitutionem.

Novem poſteà pertinent ad reſtitutionem; nempè: *Quis; Quid; Cui*;

***Cui*; *Quantum*; *Quomodo*; *Quando*; *Quo ordine*; *In quo loco*; *Quot*, *& quales ſunt cauſæ excuſantes à reſtitutione*.**

Radices reſtitutionis,majoris claritatis gratiâ,quatuor aſſignantur; nempè: *res malè accepta*; *res benè accepta*; *injuſta actio*; *juſta acceptio*.

Circà primum, ideſt, *Quis reſtituere teneatur*; & primò ratione *rei malæ acceptæ*, ideſt, ratione *rei alienæ* ſit hæc regula communis inter DD. Quicumque habet rem alienam, tenetur illam reſtituere, ſivè *bonâ*, ſivè *mala fide* acceperit, licèt aliàs quadruplex aſſignetur differentia inter illum, qui *malâ fide* accepit; & alterum, qui *bonâ fide* accepit: 1. quia, qui malâ fide accepit, tenetur ſolvere valorem rei, ſi res periit, & quômodoqq; periit, dummodo tamen peritura non fuiſſet apud Dominum, quia in tali caſu tantummodò lucrum ceſſans, & damnum emergens, uſque ad tempus interitus: qui verò *bonâ fide* accepit, ſi eâdem durante res periit, vel tanti vendidit, quanti emit, ad nihil tenetur; 2. quia, qui *malâ fide* accepit, non ſolùm tenetur reſtituere rem, vel valorem rei, ſed etiam tenetur reddere indemnem Dominum de lucro ceſſante,damno emergente, fructibus naturalibus, & mixtis non ſolùm perceptis, ſed etiam, qui percipi potuiſſent, quos ille ex propriâ culpâ, vel negligentiâ non percepit: qui verò *bonâ fide* accepit, adveniente *malâ fide*, tenetur reſtituere ſolùm rem; fructus extantes, ex re acquiſitos; & id, in quo factus eſt ditior; 3. quia, qui *malâ fide* accepit, non poteſt neque uſucapere, neque præſcribere; qui verò *bonâ fide*; poteſt (cæteris concurrentibus) & uſucapere, & præſcribere; 4. quia, qui *malâ fide* accepit, non poteſt reſtituere rem furi, recuperando ſibi pretium, nam hoc eſſet contrà juſtitiam juxtà communiorem DD. ſententiam, ſed tenetur reſtituere Domino ſinè recuperatione pretii, niſi tamen ſibi probabiliter timeret aliquod grave damnum, quia in tali caſu reſtituere poteſt rem furi: *Toletus*, *Faber*, *Aretinus*, *Maſtrius* tenent contrariam opinionem; & iſtorum ratio eſt, quia unuſquiſque tenetur magis providere *ſibipiſi*, quàm Proximo; undè ſi fur non reſtituit; hoc eſt per accidens; quâpropter dici non poteſt, quod, qui *malâ fide* emit rem furtivam, fuiſſe per ſe cooperatorem illius furti; & conſequenter &c. Verùm prima opinio mihi magis placet, quia probabilior mihi videtur; & ratio eſt, quia, licèt,qui *malâ fide* rem furtivam emit dici nequeat, quod *poſitivè* cooperatus fuerit per ſe tali furto; negari ta-

men non poteſt, quod per ſe non cooperatus fuerit tali furto *negativè*, quia in tantùm iſti fures animosè furantur, in quantùm habent certitudinem, vel ſaltem ſummam probabilitatem vendendi tales res furtivas, quas ipſi in propriâ ſpecie conſumere non valent, quod ſi non haberent ſaltem talem probabilitatem ſummam, non furarentur, quia tales res eſſent illis totaliter inutiles, & conſequenter concludendum eſt, quod licèt emptores rerum furtivarum, & *malâ fide*, non ſint per ſe cooperatores furti *poſitivè*, ſunt tamen cooperatores per ſe furti *negativè*, in quantum, ſcilicet, non negant emere tales res, quas ſciunt eſſe furtivas.

Item: *Quis*: ratione *rei benè acceptæ*. Hæc quinque modis præſertim haberi ſolet; nempè: *Commodato*; *Depoſito*; *Conductione*; *Pignoratione*; *Precario*: Quicumque habet rem alienam aliquo in prædictis quinque, & ſimilibus modis, tenetur illam reſtituere tempore inter partes pactuito, niſi res periit; & etiam ſi periit in ſeptem caſibus tenetur reſtituere valorem rei: 1. ſi periit ex malitiâ habentis; 2. ſi ex negligentiâ majori, vel minori juxtà qualitatem contractus, in quo qui accepit teneatur, vel ſolùm de culpâ *latâ*, ut in *Depoſito*; vel de *levi*, ut in *Pignoratione*, aut de *leviſſimâ*, ut in *Commodato*; 3. ſi fuit in morâ culpabili, & poſt talem moram, res periit; 4. ſi fuit factum pactum expreſſum; 5. ſi tacitum, ut quando res tradita fuit æſtimata pretio; 6. ſi rem convertit ad alium uſum, à quo eam accepit, & in tali uſu, res periit; 7. ſi rem expoſuit periculo, ut ſalvaret propria, & in illo periculo periit.

Iterum: *Quis*: Ratione *injuſtæ actionis*. Hæc quintuplex eſt in damnificatione proximi: 1. in animâ; 2. in corpore; 3. in famâ, & honore; 4. in bonis fortunæ; 5. illum impedire, ne conſequatur aliquod bonum, quod erat juſtè conſecuturus: Sit hæc regula generalis inter DD.: Si quis *viâ injuſtâ* damnificavit proximum aliquo ex primis quatuor modis; tenetur ſub mortali ex juſtitiâ reſtituere, vel compenſare, aut reſarcire, ſi agitur de re gravi: ſi ſolùm *viâ malâ*, ſed non injuſtâ damnificavit; non tenetur neque ad reſtitutionem, neque ad compenſationem: idem dic. ſi quis *viâ injuſtâ* impedivit proximum, ne aliquod bonum conſequeretur, quod erat *juſtè* conſecuturus: addo tamen, quod ſi tale bonum, quod juſtè conſecuturus erat; non erat illud conſecuturus ex *juſtitiâ*, ſed ſolùm ex alterius *liberalitate*; licèt etiam impediverit *viâ injuſtâ*, non tenetur ad compenſationem totius damni,

damni, ſed tantummodo ad aliquam portionem juxtà menſuram ſpei, quam habebat conſequendi tale bonum: ità Scotus in 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *§. Ad ultimum principale*: ſi poſteà impedivit ſolùm viâ malâ, ad nihil tenetur, ut cum *cit. Scoto Maſtrius diſp.* 9. *Theol. Moral. n.* 35., & communiter.

Rurſus: *Quis*: ratione *juſtæ acceptionis*. Hæc eſt illa, quâ quis *emptione*, *mutuo*, vel alio licito contractu aliquid habet, vel accipit, ratione cujus tenetur reſtituere rem, vel pretium tempore inter partes pactuito: tali tempore reſtituere tenetur, niſi excuſet mora *inculpabilis*; ſed ſi mora eſt *culpabilis*, ex cujus causâ ſit ſecutum quodcumque damnum Creditori; debitor reſarcire tenetur ex juſtitiâ, ſi agitur de materiâ gravi.

Adv. eſt, quod obligatio reſtitutionis circà res alienas *bonâ fide* acceptas ſuperveniente *malâ fide*; & circà res *benè acceptas*; & circà *juſtam acceptionem*: talis obligatio, inquam, non tranſit niſi ad hæredes, & fidejuſſoris illius, qui reſtituere, vel compenſare, aut reſarcire tenetur, *ad differentiam* illorum, qui reſtituere, vel reſarcire, aut compenſare tenentur ex causâ rei alienæ *malâ fide* acceptæ, vel *injuſtæ actionis*; nam talis obligatio ultrà hæredes, & fidejuſſores, tranſit etiam ad alia novem perſonarum genera, quarum quælibet reſtituere, vel compenſare, aut reſarcire tenetur *ad ratam*, immò etiam *in ſolidum* in defectu complicis, vel complicium, licèt aliàs iſti poſteà reſtituere teneantur *ad ratam* illi, qui reſtituit *in ſolidum*, ut eſt communis DD. cum *Scoto in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *§. De quarto*: ſunt autem ſequentes.

Primò: Qui *præcipit* actionem injuſtam; 2. Qui actionem injuſtam ſuo nomine factam *ratificat*: ſecùs ſi non eſt facta ſuo nomine; vel ſi eſt facta ſuo nomine, *illam ratam non habet*; 3. Qui dat *conſilium*; 4. Qui dat *favorem*; 5. Qui præſtat *conſenſum*, dummodo tamen *conſilium*, *favor*, *conſenſus* influxerint, ideſt, fuerint cauſa, taliter, quod ſinè tali *conſilio*, vel *favore*, aut *conſenſu*, facta non fuiſſet talis injuſta actio: ſecùs dic. eſt, ſi non fuerunt cauſa; 6. Qui *malâ fide* participat: ſi *bonâ fide* participat; ſuperveniente *malâ fide*, id ſolùm, in quo factus eſt ditior; 7. Qui *cooperatur*, dummodo cooperatio fuerit cauſa, eo quia ſinè tali cooperatione, non fuiſſet facta talis injuſta actio: ſi poſteà non fuit cauſa, tenetur ſolùm *ad ratam*; attamen ſi ſuâ cooperatione ſecutum fuit majus malum, quàm ſequi poterat ſinè ſuâ cooperatione, tenetur etiam *in ſolidum* ad illum exceſſum; 8. Qui

non obſtat, cum commodè obſtare poſſit; & aliàs ex officio ſuo proprio, obſtare teneatur; puta, *Judex*, *Cuſtos ſpecialiter* ductus pro cuſtodiâ, & hujuſmodi; 9. Qui *non manifeſtat*, cum commodè manifeſtare poſſit, & aliàs teneatur ex ſuo proprio officio manifeſtare; puta, *Teſtis* in judicio, dummodo tamen ipſe fuerit cauſa.

Circà ſecundum, ideſt, *quid reſtitui debeat*. Sit hæc regula communiter accepta: ratione *rei alienæ*; eadem numerò res reſtitui debet quatuor caſibus exceptis: 1. ſi res periit, vel alienata fuit, quia tunc juſtus valor; 2. ſi res eſt multùm pejorata, quia tunc vel juſtus valor, vel res ſimul cum valore, ſupplente defectum rei; 3. ſi ex reſtitutione ejuſdem rei numericè, ſequi poſſet delinquentis manifeſtatio, quia tunc juſtus valor; 4. ſi ſequi poſſet aliquod grave inconveniens ſecluſâ etiam delinquentis manifeſtatione, quia tunc juſtus valor.

Adv. eſt, quod ſi reſtitutio facienda, eſt rei alienæ ex *malâ fide* acceptæ; vel ex *injuſtâ actione*; tenetur debitor reſtituere non ſolùm rem, aut valorem rei, ſed etiam tenetur reddere indemnem Dominum de quôcumque damno, & quomodolibet paſſo: Si poſteà obligatio reſtitutionis, provenit ex cauſâ *rei benè acceptæ*; reſtitui debet ſolummodo res, non tamen fructus ex eâ habiti: quod ſi res deterior facta eſt; tunc tenetur ſupplere defectum rei cum juſto valore: quod ſi poſteà obligatio reſtitutionis provenit ex cauſâ *juſtæ acceptionis*, tenetur reſtituere ſolummodo quantum accepit, aut juſtum pretium tempore inter partes pactuito, non tamen fructus aquiſitos: attamen ſi in reſtitutione adfuit *mora culpabilis*, ultrà tempus ſtatutum, cujus cauſâ creditor paſſus ſit quodcumque damnum, tenetur illud reſarcire: ſecus dic. ſi *mora* fuit *inculpabilis*.

Circà tertium, ideſt, *cui facienda ſit reſtitutio*. Sit hæc regula generaliter accepta: Illi numerò perſonæ facienda eſt reſtitutio, à quâ res accepta eſt, excepto tamen fure, ut dixi ſuperiùs ſub verbo ly *circà primum*: excipiuntur etiam *pueri*, *amentes*, *prodighi*, quibus reſtituere, eſſet contrà charitatem. Deficiente perſonâ, à quâ res accepta fuit; hæredibus neceſſariis, quibus non exiſtentibus, hæredibus non neceſſariis; quibus omnibus deficientibus juxtà magis piam opinionem, pauperibus, aut Eccleſiæ, vel Locis Piis.

Circà quartum, ideſt, *quantum reſtitui debeat*. Hic eſt ſermo de

de damno illato iis rebus, quæ nondùm ad perfectum valorem perveneruut v. g. Segetibus immaturis; & de injuriâ alicui factâ: ſi eſt ſermo de injuriâ alicui factâ, juxtà communem DD., ſtandum eſt judicio prudentis Viri conſideratis perſonis, & qualitate injuriæ: ſi ſermo eſt de damno &c. reſtitui debet tantum quantum valuiſſent, ſi ad perfectum valorem perveniſſent, deductis tamen expenſis, laboribus, & periculis, pretio æſtimabilibus.

Circà quintum, ideſt, *quomodo fieri debeat reſtitutio*. Hoc ſpectat ad prudentialem in modo reſtituendi, ne Dominus rei, aut alii, veniant in cognitionem delinquentis, aut ne aliquod aliud inconveniens ſequatur.

Circà ſextum, ideſt, *quando fieri debeat reſtitutio*. Sit hæc regula generatim accepta: ratione rei alienæ *malâ fide* acceptæ, & *injuſtæ actionis*: ſtatim hac adeſt commoditas; ratione rei alienæ *bonâ fide* acceptæ: ſtatim hac advenit *mala fides*, ſi adeſt commoditas; ratione *rei benè acceptæ*, & *juſtæ acceptionis*: tempore inter partes pactuito, ſi adeſt commoditas: Per ly *commoditas*, & ly *commodè &c.* intelligi debet, quod alibi dixi; nempè; quando debitor ſinè periculo vitæ, famæ, vel detrimento gravi rei propriæ, reſtituere poteſt, dummodo Creditor non patiatur in morâ æquale detrimentum, & hoc præſertim, ſi debitor ex culpâ ſuâ redactus eſt ad impotentiam: ſicque quælibet delatio (quando agitur de re gravi, & Creditor grave damnum patitur ex causâ moræ) eſt mortaliter peccaminoſa contrà juſtitiam: Dixi ly *ſinè periculo famæ*; ſed circà iſtam, fieri debet excluſio, quando obligatio reſtitutionis alienæ famæ, oritur ex detractione per impoſitionem falſi criminis, vel per additionem falſi ad verum, quia in his duobus caſibus, reſtituere quiſque tenetur cum æquali ſuâ infamiâ, niſi excuſent, quæ dixi ſub verbo ly *Detractio*, quæ ibi videri poſſunt.

Circà ſeptimum, ideſt, *Quo ordine facienda ſit reſtitutio*. Sit hæc regula communior: priùs reſtituenda ſunt debita certa, quàm incerta; & illà priùs, quorum Domini ſunt cogniti, quàm qui ſunt incogniti; & ex debitis certis, & quorum Domini ſunt cogniti, illa priùs, quæ contracta fuerunt per contractus licitos, quàm per illicitos.

Si bona debitoris poſteà, non ſufficiunt pro omnibus Creditoribus: in tali caſu ſecundùm aliquos DD. præferenda ſunt debita ex *contractu*; ſecundùm alios, debità ex *delicto*; & juxtà magis

gis plauſibilem; omnibus *ad ratam*, eſſe ſatisfaciendum.

Circà octavum, ideſt, *In quo loco fieri debeat reſtitutio*. Sit hæc regula communiter accepta: 1. ratione rei alienæ *malâ fide* acceptæ, & *injuſtæ actionis*, ubi creditor habitat impenſis debitoris, dummodo creditor poſt contractum à debitore obligationem reſtitutionis, non tranſtuliſſet domicilium in aliam regionem, quia expenſæ, quas creditor facere debebat ſivè in transferendâ re ſuâ, ſivè in ſolutione pro cambiis, deduci debent; 2. ratione rei alienæ *bonâ fide* acceptæ; ubi res eſt, impenſis creditoris; 3. ratione *contractus*; impenſis illius, in cujus gratiam eſt contractus; 4. ratione *delicti*, vel *quaſi delicti*; ubi patratum eſt delictum impenſis delinquentis.

Circà nonum, ideſt, *Quot, & quales ſint cauſæ excuſantes à reſtitutione*. Iſtæ ſunt novem: 1. remiſſio libera, ac voluntaria creditoris, in cujus poteſtate ſit poſſe remittere ſinè gravi proprio, vel alieno detrimento; & quod aliàs debitum non ſit ex quatuor exceptis in Jure; nempè: Epiſcopi quodcumque munus recipientes in actu viſitationis præter eſculenta, & poculenta; 2. Inquiſitores, quodcumque extorquentes prætextu Sancti Officii; 3. Canonici non intereſſentes in Choro Horis Canonicis ſinè verâ, & legitimâ causâ; 4. Judices delegati, qui per exceſſum poteſtatis delegatæ, acquirunt. Prædictis quatuor non ſuffragatur remiſſio Creditoris, licèt libera, & voluntaria, & ſinè proprio, vel alieno præjudicio: 2. Beneficium æquivalens debito, & pecuniâ æſtimabile; 3. Ceſſio bonorum præter neceſſaria ad propriam ſuſtentationem, atque familiæ, nec non inſtrumenta artis propriæ: redactus tamen debitor ad pinguiorem fortunam, tenetur reſtituere in integrum; 4. Uſucapio, vel præſcriptio; 5. Ignorantia tàm Juris, quàm facti, dummodo non ſit culpabilis; 6. Compoſitio libera, & voluntaria creditoris cum debitore; 7. Quando quis negotiando, contrectando, ludendo juſtè alienum acquiſivit; 8. Dubietas circà debitum poſt adhibitam debitam diligentiam; 9. Impotentia quamdiù durat; immò ſemper ſi alienum accepit in extremâ neceſſitate, & illud jam conſumpſit; immò etiam ſi ſolùm in gravi neceſſitate, quando tamen ſi reſtituit, difficulter vitam ſuſtinere poterit; & ratio eſt, quia in tali caſu dici non poteſt, quod creditor ſit *rationabiliter invitus* ſaltem pro tempore, quo durat talis neceſſitas, niſi tamen creditor eſſet in pari neceſſitate conſtitutus: ità *Scotus cit.*

Lay-

Layman in *lib.* 3. *tr.* 2. *cap.* 12. *n.* 1. circà prædictum; quatuor regulas generales aſſignat: 1. Nemo tenetur reſtituere cum ſuo notabiliter majori detrimento, quàm ſit creditoris commodum; 2. quotieſcùmque creditor rationabiliter contentus eſſe debet, ut reſtitutio differatur, poteſt differre, licèt Creditor ſit invitus; 3. periculum vitæ; mutilationis membrorum; famæ amittendæ quamdiù durat tale periculum, quod aliàs alio modo evitari nequeat; 4. ſi res reſtituenda ſit nocitura creditori.

Juxtà *De Lugo diſp.* 21. *de Juſt.*, *& Jur. ſect.* 4. *num.* 52. non ſolùm remiſſio creditoris excuſat, quando eſt *expreſſa*, ſed etiam quando eſt ſolùm *præſumpta* ſaltem à ly *ſtatim* faciendâ reſtitutione.

Cæterùm quilibet, & omnis debitor tenetur ex juſtitiâ ſumptus minores facere, quàm facere ſolebat, ut reſtituere poſſit, ſi non in toto, ſaltem in parte, ut eſt communis DD. ſententia.

In reſtitutione quinque ſunt conſideranda: 1. res reſtituenda; 2. expenſæ factæ; 3. lucrum ceſſans; 4. damnum emergens; 5. fructus naturales, & mixti percepti, & qui percipi potuiſſent.

Ad cognoſcendum quis principaliter reſtituere teneatur: nota benè ſex ſequentes regulas: 1. Quicumque habet rem alienam; is principaliter reſtituere tenetur etiam ſi *bonâ fide* acceperit, ſuperveniente tamen *malâ fide*: 2. Qui *malâ fide* conſumpſit rem alienam; magis obligatur, quàm qui *bonâ fide*; 3. Mandans, ſi habet juriſdictionem in mandatario, magis obligatur, quàm mandatarius; 4. Conſulens, & inducens magis obligantur, quàm laudans, & conſentiens; 5. Qui per ſe ipſum fuit cauſa naturalis, plùs obligatur, quàm qui fuit cauſa inſtrumentalis; 6. Inter cauſas cooperantes magis obligantur illæ, quæ cooperantur poſitivè, quàm illæ, quæ cooperantur negativè.

Quæritur an acquiſita ob *turpem cauſam* ſint reſtitutioni obnoxia? Reſp. *negativè* exceptis tamen caſibus, in quibus lex humana facit inhabilem, ut de acquiſitis per ſimoniam realem; de acquiſitis pro ſponſionibus, ideſt, ſcommeſſis, ſuper vitâ, & morte, atque futurâ electione Papæ, & Cardinalium (quæ aliàs non ſunt reſtituenda ipſis dàntibus, ſed pauperibus, & hoc in pænam, ut conſtat ex *conſtitutionib. Greg.* 13., *& Clem.* 8.) quapropter in caſibus, in quibus non extat præfata lex: aquiſita ob turpem cauſam, non ſunt reſtitutioni obnoxia: undè conventio, & pactio de opere illicito patrando; puta, homicidio, fornicatione, & hu-

juſmodi licèt ſit illicita; attamen poſt factum retineri poteſt aquiſitum, quia talis actio, licèt in ſe turpis ſit, & conſequenter illicita, eſt tamen pretio æſtimabilis, ut communiter dicunt DD., immò poſſunt Meretrices poſt meritricium factum, petere pretium in judicio; & ratio eſt, quia meretricium in foro externo eſt tolleratum: Item Judex pro ſententiâ injuſtâ, jam data propter pretium, poteſt licitè accipere pretium pactuitum, & ratio eſt, quia vendidit operam ſuam, licèt turpem, pretio tamen æſtimabilem, uni parti non debitam; licèt poſteà teneatur compenſare damna alteri parti allata, ut eſt communis DD. cum *Tamb. tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 5. *§.* 3. *n.* 13. Vice verſa ſi ſententia fuit juſta, & pro eâ accepit pretium; illud reſtituere tenetur, & ratio eſt, quia ſententia juſta eſt debita ex juſtitiâ, & conſequenter licitè vendi non poteſt.

Alex. 7. *Prop. damn.* 10. *in ordine: Non eſt contrà juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & unum offerre &c., & Propoſ.* 20.

20 *Non eſt contrà juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis &c., & Propoſ.* 26.

26 *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex accipere pecuniam pro ferendâ ſententiâ in favorem unius præ alio; & Propoſ.* 33.

33 *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum, ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſinas, quas anteà Beneficiarius fecerit de fructibus ſui Beneficii.*

Innoc. XI. Propoſ. damn. 38. *in ordine: Non tenetur quis ſub pœnâ peccati mortalis reſtituere, quod per pauca furta ablatum eſt; licèt ſumma totalis ſit magna; & Propoſ.* 39.

39 *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio non tenetur ad reſtitutionem hujus damni illati; & Propoſ.* 37.

37 *Famuli, & Famulæ domeſticæ poſſunt occultè ſurripere ab heris ſuis ad compenſandam operam, quam majorem exiſtimant ſalario, quod recipiunt.*

Digitized by Google

S

Sacramentum *eſt ſignum ſenſibile ſpiritualis animæ ſanctificationis ad cultum veri Dei, à Chriſto Domino inſtitutum*: ità in re communiter: tripliciter dici poteſt ſignum: 1. *rememorativè*, quatenùs eſt rememorativum paſſionis Chriſti; 2. *demonſtrativè*, quatenùs eſt demonſtrativum gratiæ; 3. *prognoſticè*, quatenùs eſt prognoſticum gloriæ.

Sacramenta novæ legis (quæ ſunt præcisè ſeptem, ut habetur ex *Trid. ſeſſ. 7. Can. 1.*) fuerunt à Chriſto Domino inſtituta per poteſtatem excellentiæ, ſibi ut Homini, à Deo communicatam, ut habetur ex *cit. Trid.*, ſed cauſa principalis authoritativè eſt ſolus Deus. In lege veteri *Circumciſio* fuit verum Sacramentum conferens gratiam ex opere operato; ità *Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 6.* ex D. Auguſt. *lib. 2. de nuptiis, & concupiſcentiâ cap. xi.*

Ex Sacramentis novæ legis duo ſunt neceſſaria neceſſitate medii pro æternâ Beatitudine conſequendâ; nempè: *Baptiſmus* ſingulis, & omnibus; & *Pænitentia* illis, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt: iſta duo Sacramenta (quæ etiam appellantur Sacramenta mortuorum) per ſe, & ex propriâ inſtitutione conferunt primam gratiam, licet ſi hæc jam præfuit in animâ, per accidens conferant ſolummodo augmentum gratiæ, ut eſt communis ſententia inter Theologos: Cætera quinque ex vi ſuæ primariæ inſtitutionis, non conferunt *primam* gratiam, ſed ſolùm *ſecundam*, ideſt, augmentum gratiæ, licèt aliàs aliquando conferre poſſint *primam*, non tamen *per ſe*, ſed *per accidens*, dummodo tamen detur ignorantia invincibilis peccati mortalis; & attritio ſupernaturalis, ut eſt communis Theologorum conſenſus; & deſumitur ex *Trid. ſeſſ. 27. Can. 6.*, & *Can. 7.*, ubi dicitur, quod omnia Sacramenta novæ legis habent vim conferendi gratiam non ponentibus obicem; ſed quicumque, qui nihil ſibi conſcius eſt de peccato mortali ex cauſâ ignorantiæ invincibilis, & eſt verè attritus attritione ſupernaturali, recipiens unum ex prædictis Sacramentis, nullum ponit obicem: ergo recipit gratiam. Aliqui DD. excipiunt *SS. Euchariſtiam*, quæ cum ſit inſtituta per modum *cibi*, & *potus* non poteſt (ut ipſi dicunt) prodeſſe *mortuis*: hæc ratio mihi videtur materialis, & ſolùm applicanda pro mortuis corporaliter, quibus prodeſſe non poſſunt cibus, & potus materiales.

In Sacramentis quinque conveniunt; nempè: *materia*; *forma*;

intentio conferentis; *intentio ſuſcipientis*; & *effectus*: materia, & forma ſunt *de eſſentiâ*: intentio ex parte utriuſque requiritur tamquam conditio ſinè quâ NON: ex parte conferentis requiritur, quod ſit ſaltem *virtualis*; ex parte ſuſcipientis, ſufficit, quod ſit *habitualis*, ut dixi ſub verbo ly *intentio*, & ſic habetur deciſum in *cap. Majores de Baptiſ. §. fin. de Baptiſ.* Effectus eſt duplex; nempè: *Gratia*, quæ eſt communis omnibus Sacramentis; & *Character*, qui eſt peculiaris tribus tantùm Sacramentis; nempè: *Baptiſmo*; *Confirmationi*; & *Ordini*.

Sacramenta eſſentialiter componuntur ex *rebus*, & *verbis*: *res* ſunt *materia*; & *verba* ſunt *forma*; unumquodque autem Sacramentum habet ſuam determinatam materiam; & ſuam determinatam formam, quas neque ipſamet Eccleſia, ſubſtantialiter variare poteſt.

Omnia Sacramenta conſiſtunt in *fieri*, & in *uſu*, dempto tamen Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, quod conſiſtit in *facto eſſe*, nam ſub ſpeciebus panis, & vini conſecrati permanet nobiſcum Chriſtus Dominus tàm quoad ſubſtantiam, quàm quoad omnia accidentia, quæ ſpectant ad integritatem corporis.

Licèt non ſit neceſſarium, quod ſimultas materiæ cum formâ ſit *Mathematica*, debet tamen eſſe talis, quod juxtà moralem Hominum exiſtimationem, una pars alteram afficiat eòdem tempore; quæ ſimultas debet eſſe eadem in omnibus exceptis Pænitentiâ, & Matrimonio.

In Euchariſtiâ requiritur neceſſariò, quod materia conſecranda ſit phyſicè præſens Sacerdoti toto tempore, quo proferuntur verba conſecrationis, ideſt, forma; nam per iſtam ſignificatur res, ut præſens, & permanens in loco, & tempore, quo Sacerdos profert verba conſecrationis.

In adminiſtratione Sacramentorum, *excepto Matrimonio*, ſemper requiritur intentio abſoluta: quapropter apponere conditionem de *futuro*, licèt *neceſſariò* ſinè magnâ neceſſitate, eſt peccatum mortale, & etiam apponere conditionem de præſenti, vel de præterito ſinè neceſſitate, eſt peccatum mortale propter periculum nullitatis Sacramenti.

Error Perſonæ (*excepto Matrimonio*) non impedit valorem Sacramenti, niſi in caſu, quo Miniſter haberet præciſam intentionem de unâ Perſonâ individuà, quod tamen facere illicitum eſt, niſi urgente magnâ, & inevitabili neceſſitate.

Sacra-

S

Sacramenta *ficté* recepta, ideſt, recepta in peccato mortali cognito, recedente *fictione*, ideſt, ablato peccato mortali, cauſant ſuum effectum, ideſt, gratiam ſanctificantem, ut eſt communis DD. opinio loquendo tamen de illis tribus Sacramentis, quæ imprimunt characterem: ſecùs dic. de aliis quatuor; & diſparitas eſt, quia ſicuti hæc quatuor iterari poſſunt, ac ſæpiùs recipi, ita alio tempore cauſare poſſunt ſuum effectum: Si verò cum *fictione negativâ*, ideſt, in peccato mortali incognito, quia inculpabiliter ignorato, vel oblito; recedente tali fictione negativâ, ideſt, deleto tali peccato mortali; etiam hæc quatuor cauſant ſuum effectum, ut cum communiori tenet *Bonac. diſp.1. de Sacram.q.6. punct.3.*

Quamvis ad dignè ſuſcipienda Sacramenta in exiſtente in peccato mortali ſufficiat prævia contritio perfecta, non ſufficit tamen ad dignè ſuſcipiendam SS. Euchariſtiam, nam requiritur prævia confeſſio (habita tamen Confeſſarii copiâ), ut eſt communis Theol. opinio, & deducitur ex *Epiſt. 1. Apoſt. ad Cor. cap. xi.*, & expreſsè habetur ex *Trid. ſeſſ. 13. Can. 7.*, *&* *Can. 10.*

Omnia Sacramenta non ſolùm cauſant gratiam ex opere operato, quæ eſt gratia habitualis, cum quâ infunduntur habitus omnium virtutum, ſed etiam aliam gratiam Sacramentalem diverſam, & ſingulis Sacramentis propriam, quæ conſiſtit in ſpeciali auxilio Divino, collato à Deo ad obtinendum finem cujuslibet Sacramenti.

Sacramenta ex *opere operato*, conferunt gratiam intuitu meritorum Chriſti, & ex *opere operantis* juxtà meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis.

Contrà Novatores Sacramentarios, qui negant *ſeptennarium* numerum Sacramentorum, pugnat ipſemet *Calvinus* Hæreſiarca, qui in *ſuo lib. 4. Inſtit. cap. 19.* non minùs invitò, quàm clarè confitetur *ſeptennarium* numerum Sacramentorum: ibi enim ſic dicit: *Verùm illa de* SEPTEM SACRAMENTIS *opinio omnium ferè ſermonum trita, Scholaſque, & conciones pervagata,* VETUSTATE IPSA RADICES *egit*: ergo ſi opinio de ſeptennario Sacramentorum numero juxtà ipſum Calvinum in ipsâ *vetuſtate* radices egit: pleno ore mentiuntur Novatores Sacramentarii, qui dicunt talem opinionem eſſe novum inventum Eccleſiæ Romanæ: ergo ſi in ipsâ vetuſtate radices egit, ipſas egit tempore Apoſtolorum.

men non poteſt, quod per ſe non cooperatus fuerit tali furto *negativè*, quia in tantùm iſti fures animosè furantur, in quantùm habent certitudinem, vel ſaltem ſummam probabilitatem vendendi tales res furtivas, quas ipſi in propriâ ſpecie conſumere non valent, quod ſi non haberent ſaltem talem probabilitatem ſummam, non furarentur, quia tales res eſſent illis totaliter inutiles, & conſequenter concludendum eſt, quod licèt emptores rerum furtivarum, & *malâ fide*, non ſint per ſe cooperatores furti *poſitivè*, ſunt tamen cooperatores per ſe furti *negativè*, in quantum, ſcilicet, non negant emere tales res, quas ſciunt eſſe furtivas.

Item: *Quis*: ratione *rei benè acceptæ*. Hæc quinque modis præſertim haberi ſolet; nempè: *Commodato*; *Depoſito*; *Conductione*; *Pignoratione*; *Precario*: Quicumque habet rem alienam aliquo in prædictis quinque, & ſimilibus modis, tenetur illam reſtituere tempore inter partes pactuito, niſi res periit; & etiam ſi periit in ſeptem caſibus tenetur reſtituere valorem rei: 1. ſi periit ex malitiâ habentis; 2. ſi ex negligentiâ majori, vel minori juxtà qualitatem contractus, in quo qui accepit teneatur, vel ſolùm de culpâ *latâ*, ut in *Depoſito*; vel de *levi*, ut in *Pignoratione*, aut de *leviſſimâ*, ut in *Commodato*; 3. ſi fuit in morâ culpabili, & poſt talem moram, res periit; 4. ſi fuit factum pactum expreſſum; 5. ſi tacitum, ut quando res tradita fuit æſtimata pretio; 6. ſi rem convertit ad alium uſum, à quo eam accepit, & in tali uſu, res periit; 7. ſi rem expoſuit periculo, ut ſalvaret propria, & in illo periculo periit.

Iterum: *Quis*: Ratione *injuſtæ actionis*. Hæc quintuplex eſt in damnificatione proximi: 1. in animâ; 2. in corpore; 3. in famâ, & honore; 4. in bonis fortunæ; 5. illum impedire, ne conſequatur aliquod bonum, quod erat juſtè conſecuturus: Sit hæc regula generalis inter DD.: Si quis *viâ injuſtâ* damnificavit proximum aliquo ex primis quatuor modis; tenetur ſub mortali ex juſtitiâ reſtituere, vel compenſare, aut reſarcire, ſi agitur de re gravi: ſi ſolùm *viâ malâ*, ſed non injuſtâ damnificavit; non tenetur neque ad reſtitutionem, neque ad compenſationem: idem dic. ſi quis *viâ injuſtâ* impedivit proximum, ne aliquod bonum conſequeretur, quod erat *juſtè* conſecuturus: addo tamen, quod ſi tale bonum, quod juſtè conſecuturus erat; non erat illud conſecuturus ex *juſtitiâ*, ſed ſolùm ex alterius *liberalitate*; licèt etiam impediverit *viâ injuſtâ*, non tenetur ad compenſationem totius

damni,

damni, ſed tantummodo ad aliquam portionem juxtà menſuram ſpei, quam habebat conſequendi tale bonum: ità Scotus in 4. *diſt.* 15. *q.* 2. §. *Ad ultimum principale*: ſi poſteà impedivit ſolùm *viâ malâ*, ad nihil tenetur, ut cum *cit. Scoto Maſtrius diſp.* 9. *Theol. Moral. n.* 35., & communiter.

Rurſus: *Quis*: ratione *juſtæ acceptionis*. Hæc eſt illa, quâ quis *emptione*, *mutuo*, vel alio licito contractu aliquid habet, vel accipit, ratione cujus tenetur reſtituere rem, vel pretium tempore inter partes pactuito: tali tempore reſtituere tenetur, niſi excuſet mora *inculpabilis*; ſed ſi mora eſt *culpabilis*, ex cujus causâ ſit ſecutum quodcumque damnum Creditori; debitor reſarcire tenetur ex juſtitiâ, ſi agitur de materiâ gravi.

Adv. eſt, quod obligatio reſtitutionis circà res alienas *bonâ fide* acceptas ſuperveniente *malâ fide*; & circà res *benè acceptas*; & circà *juſtam acceptionem*: talis obligatio, inquam, non tranſit niſi ad hæredes, & fidejuſſoris illius, qui reſtituere, vel compenſare, aut reſarcire tenetur, *ad differentiam* illorum, qui reſtituere, vel reſarcire, aut compenſare tenentur ex causâ rei alienæ *malâ fide* acceptæ, vel *injuſtæ actionis*; nam talis obligatio ultrà hæredes, & fidejuſſores, tranſit etiam ad alia novem perſonarum genera, quarum quælibet reſtituere, vel compenſare, aut reſarcire tenetur *ad ratam*, immò etiam *in ſolidum* in defectu complicis, vel complicium, licèt aliàs iſti poſteà reſtituere teneantur *ad ratam* illi, qui reſtituit *in ſolidum*, ut eſt communis DD. cum *Scoto in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. §. *De quarto*: ſunt autem ſequentes.

Primò: Qui *præcipit* actionem injuſtam; 2. Qui actionem injuſtam ſuo nomine factam *ratificat*: ſecùs ſi non eſt facta ſuo nomine; vel ſi eſt facta ſuo nomine, *illam ratam non habet*; 3. Qui dat *conſilium*; 4. Qui dat *favorem*; 5. Qui præſtat *conſenſum*, dummodo tamen *conſilium*, *favor*, *conſenſus* influxerint, ideſt, fuerint cauſa, taliter, quod ſinè tali *conſilio*, vel *favore*, aut *conſenſu*, facta non fuiſſet talis injuſta actio: ſecùs dic. eſt, ſi non fuerunt cauſa; 6. Qui *malâ fide* participat: ſi *bonâ fide* participat; ſuperveniente *malâ fide*, id ſolùm, in quo factus eſt ditior; 7. Qui *cooperatur*, dummodo cooperatio fuerit cauſa, eo quia ſinè tali cooperatione, non fuiſſet facta talis injuſta actio: ſi poſteà non fuit cauſa, tenetur ſolùm *ad ratam*; attamen ſi ſuâ cooperatione ſecutum fuit majus malum, quàm ſequi poterat ſinè ſuâ cooperatione, tenetur etiam *in ſolidum* ad illum exceſſum; 8. Qui

Digitized by Google

non obſtat, cum commodè obſtare poſſit; & aliàs ex officio ſuo proprio, obſtare teneatur; puta, *Judex*, *Cuſtos ſpecialiter* ductus pro cuſtodiâ, & hujuſmodi; 9. Qui *non manifeſtat*, cum commodè manifeſtare poſſit, & aliàs teneatur ex ſuo proprio officio manifeſtare; puta, *Teſtis* in judicio, dummodo tamen ipſe fuerit cauſa.

Circà ſecundum, ideſt, *quid reſtitui debeat*. Sit hæc regula communiter accepta: ratione *rei alienæ*; eadem numerò res reſtitui debet quatuor caſibus exceptis: 1. ſi res periit, vel alienata fuit, quia tunc juſtus valor; 2. ſi res eſt multùm pejorata, quia tunc vel juſtus valor, vel res ſimul cum valore, ſupplente defectum rei; 3. ſi ex reſtitutione ejuſdem rei numericè, ſequi poſſet delinquentis manifeſtatio, quia tunc juſtus valor; 4. ſi ſequi poſſet aliquod grave inconveniens ſeclusâ etiam delinquentis manifeſtatione, quia tunc juſtus valor.

Adv. eſt, quod ſi reſtitutio facienda, eſt rei alienæ ex *malâ fide* acceptæ; vel ex *injuſtâ actione*; tenetur debitor reſtituere non ſolùm rem, aut valorem rei, ſed etiam tenetur reddere indemnem Dominum de quôcumque damno, & quômodolibet paſſo: Si poſteà obligatio reſtitutionis, provenit ex causâ *rei benè acceptæ*; reſtitui debet ſolummodo res, non tamen fructus ex eâ habiti: quod ſi res deterior facta eſt; tunc tenetur ſupplere defectum rei cum juſto valore: quod ſi poſteà obligatio reſtitutionis provenit ex causâ *juſtæ acceptionis*, tenetur reſtituere ſolummodo quantum accepit, aut juſtum pretium tempore inter partes pactuito, non tamen fructus aquiſitos: attamen ſi in reſtitutione adfuit *mora culpabilis*, ultrà tempus ſtatutum, cujus causâ creditor paſſus ſit quodcumque damnum, tenetur illud reſarcire: ſecus dic. ſi *mora* fuit *inculpabilis*.

Circà tertium, ideſt, *cui facienda ſit reſtitutio*. Sit hæc regula generaliter accepta: Illi numerò perſonæ facienda eſt reſtitutio, à quâ res accepta eſt, excepto tamen fure, ut dixi ſuperiùs ſub verbo ly *circà primum*: excipiuntur etiam *pueri*, *amentes*, *prodighi*, quibus reſtituere, eſſet contrà charitatem. Deficiente perſonâ, à quâ res accepta fuit; hæredibus neceſſariis, quibus non exiſtentibus, hæredibus non neceſſariis; quibus omnibus deficientibus juxtà magis piam opinionem, pauperibus, aut Eccleſiæ, vel Locis Piis.

Circà quartum, ideſt, *quantum reſtitui debeat*. Hìc eſt ſermo de

Digitized by Google

de damno illato iis rebus, quæ nondùm ad perfectum valorem perveneṙunt v. g. Segetibus immaturis; & de injuriâ alicui factâ: ſi eſt ſermo de injuriâ alicui factâ, juxtà communem DD., ſtandum eſt judicio prudentis Viri conſideratis perſonis, & qualitate injuriæ: ſi ſermo eſt de damno &c. reſtitui debet tantum quantum valuiſſent, ſi ad perfectum valorem perveniſſent, deductis tamen expenſis, laboribus, & periculis, pretio æſtimabilibus.

Circà quintum, ideſt, *quomodo fieri debeat reſtitutio*. Hoc ſpectat ad prudentialem in modo reſtituendi, ne Dominus rei, aut alii, veniant in cognitionem delinquentis, aut ne aliquod aliud inconveniens ſequatur.

Circà ſextum, ideſt, *quando fieri debeat reſtitutio*. Sit hæc regula generatim accepta: ratione rei alienæ *malâ fide* acceptæ, & *injuſtæ actionis*: ſtatim hac adeſt commoditas; ratione rei alienæ *bonâ fide* acceptæ: ſtatim hac advenit *mala fides*, ſi adeſt commoditas; ratione *rei benè acceptæ*, & *juſtæ acceptionis*: tempore inter partes pactuito, ſi adeſt commoditas: Per ly *commoditas*, & ly *commodè &c.* intelligi debet, quod alibi dixi; nempè: quando debitor ſinè periculo vitæ, famæ, vel detrimento gravi rei propriæ, reſtituere poteſt, dummodo Creditor non patiatur in morâ æquale detrimentum, & hoc præſertim, ſi debitor ex culpâ ſuâ redactus eſt ad impotentiam: ſicque quælibet delatio (quando agitur de re gravi, & Creditor grave damnum patitur ex causâ moræ) eſt mortaliter peccaminoſa contrà juſtitiam: Dixi ly *ſinè periculo famæ*; ſed circà iſtam, fieri debet excluſio, quando obligatio reſtitutionis alienæ famæ, oritur ex detractione per impoſitionem falſi criminis, vel per additionem falſi ad verum, quia in his duobus caſibus, reſtituere quiſque tenetur cum æquali ſuâ infamiâ, niſi excuſent, quæ dixi ſub verbo ly *Detractio*, quæ ibi videri poſſunt.

Circà ſeptimum, ideſt, *Quo ordine facienda ſit reſtitutio*. Sit hæc regula communior: priùs reſtituenda ſunt debita certa, quàm incerta; & illa priùs, quorum Domini ſunt cogniti, quàm qui ſunt incogniti; & ex debitis certis, & quorum Domini ſunt cogniti, illa priùs, quæ contracta fuerunt per contractus licitos, quàm per illicitos.

Si bona debitoris poſteà, non ſufficiunt pro omnibus Creditoribus: in tali caſu ſecundùm aliquos DD. præferenda ſunt debita ex *contractu*; ſecundùm alios, debita ex *delicto*; & juxtà magis

gis plauſibilem; omnibus *ad ratam*, eſſe ſatisfaciendum.

Circà octavum, ideſt, *In quo loco fieri debeat reſtitutio*. Sit hæc regula communiter accepta: 1. ratione rei alienæ *malâ fide* acceptæ, & *injuſtæ actionis*, ubi creditor habitat impenſis debitoris, dummodo creditor poſt contractum à debitore obligationem reſtitutionis, non tranſtuliſſet domicilium in aliam regionem, quia expenſæ, quas creditor facere debebat ſivè in transferendâ re ſuâ, ſivè in ſolutione pro cambiis, deduci debent; 2. ratione rei alienæ *bonâ fide* acceptæ; ubi res eſt, impenſis creditoris; 3. ratione *contractus*; impenſis illius, in cujus gratiam eſt contractus; 4. ratione *delicti*, vel *quaſi delicti*; ubi patratum eſt delictum impenſis delinquentis.

Circà nonum, ideſt, *Quot, & quales ſint cauſæ excuſantes à reſtitutione*. Iſtæ ſunt novem: 1. remiſſio libera, ac voluntaria creditoris, in cujus poteſtate ſit poſſe remittere ſinè gravi proprio, vel alieno detrimento; & quod aliàs debitum non ſit ex quatuor exceptis in Jure; nempè: Epiſcopi quodcumque munus recipientes in actu viſitationis præter exculenta, & poculenta; 2. Inquiſitores, quodcumque extorquentes prætextu Sancti Officii; 3. Canonici non intereſſentes in Choro Horis Canonicis ſinè verâ, & legitimâ cauſâ; 4. Judices delegati, qui per exceſſum poteſtatis delegatæ, acquirunt. Prædictis quatuor non ſuffragatur remiſſio Creditoris, licèt libera, & voluntaria, & ſinè proprio, vel alieno præjudicio: 2. Beneficium æquivalens debito, & pecuniâ æſtimabile; 3. Ceſſio bonorum præter neceſſaria ad propriam ſuſtentationem, atque familiæ, nec non inſtrumenta artis propriæ: redactus tamen debitor ad pinguiorem fortunam, tenetur reſtituere in integrum; 4. Uſucapio, vel præſcriptio; 5. Ignorantia tàm Juris, quàm facti, dummodo non ſit culpabilis; 6. Compoſitio libera, & voluntaria creditoris cum debitore; 7. Quando quis negotiando, contrectando, ludendo juſtè alienum acquiſivit; 8. Dubietas circà debitum poſt adhibitam debitam diligentiam; 9. Impotentia quamdiù durat; immò ſemper ſi alienum accepit in extremâ neceſſitate, & illud jam conſumpſit; immò etiam ſi ſolùm in gravi neceſſitate, quando tamen ſi reſtituit, difficulter vitam ſuſtinere poterit; & ratio eſt, quia in tali caſu dici non poteſt, quod creditor ſit *rationabiliter invitus* ſaltem pro tempore, quo durat talis neceſſitas, niſi tamen creditor eſſet in pari neceſſitate conſtitutus: ità *Scotus cit*.

Lay-

Digitized by Google

Layman in *lib.* 3. *tr.* 2. *cap.* 12. *n.* 1. circà prædictum; quatuor regulas generales aſſignat: 1. Nemo tenetur reſtituere cum ſuo notabiliter majori detrimento, quàm ſit creditoris commodum; 2. quotieſcúmque creditor rationabiliter contentus eſſe debet, ut reſtitutio differatur, poteſt differre, licèt Creditor ſit invitus; 3. periculum vitæ; mutilationis membrorum; famæ amittendæ quamdiù durat tale periculum, quod aliàs alio modo evitari nequeat; 4. ſi res reſtituenda ſit nocitura creditori.

Juxtà *De Lugo diſp.* 21. *de Juſt.*, *& Jur. ſect.* 4. *num.* 52. non ſolùm remiſſio creditoris excuſat, quando eſt *expreſſa*, ſed etiam quando eſt ſolùm *præſumpta* ſaltem à ly *ſtatim* faciendâ reſtitutione.

Cæterùm quilibet, & omnis debitor tenetur ex juſtitiâ ſumptus minores facere, quàm facere ſolebat, ut reſtituere poſſit, ſi non in toto, ſaltem in parte, ut eſt communis DD. ſententia.

In reſtitutione quinque ſunt conſideranda: 1. res reſtituenda; 2. expenſæ factæ; 3. lucrum ceſſans; 4. damnum emergens; 5. fructus naturales, & mixti percepti, & qui percipi potuiſſent.

Ad cognoſcendum quis principaliter reſtituere teneatur: nota benè ſex ſequentes regulas: 1. Quicumque habet rem alienam; is principaliter reſtituere tenetur etiam ſi *bonâ fide* acceperit, ſuperveniente tamen *malâ fide*: 2. Qui *malâ fide* conſumpſit rem alienam; magis obligatur, quàm qui *bonâ fide*; 3. Mandans, ſi habet juriſdictionem in mandatario, magis obligatur, quàm mandatarius; 4. Conſulens, & inducens magis obligantur, quàm laudans, & conſentiens; 5. Qui per ſe ipſum fuit cauſa naturalis, plùs obligatur, quàm qui fuit cauſa inſtrumentalis; 6. Inter cauſas cooperantes magis obligantur illæ, quæ cooperantur poſitivè, quàm illæ, quæ cooperantur negativè.

Quæritur an acquiſita ob *turpem cauſam* ſint reſtitutioni obnoxia? Reſp. *negativè* exceptis tamen caſibus, in quibus lex humana facit inhabilem, ut de acquiſitis per ſimoniam realem; de acquiſitis pro ſponſionibus, ideſt, ſcommeſſis, ſuper vitâ, & morte, atque futurâ electione Papæ, & Cardinalium (quæ aliàs non ſunt reſtituenda ipſis dántibus, ſed pauperibus, & hoc in pænam, ut conſtat ex *conſtitutionib. Greg.* 13., *& Clem.* 8.) quapropter in caſibus, in quibus non extat præfata lex: aquiſita ob turpem cauſam, non ſunt reſtitutioni obnoxia: undè conventio, & pactio de opere illicito patrando; puta, homicidio, fornicatione, & hu-

juſmodi

juſmodi licèt ſit illicita; attamen poſt factum retineri poteſt aquiſitum, quia talis actio, licèt in ſe turpis ſit, & conſequenter illicita, eſt tamen pretio æſtimabilis, ut communiter dicunt DD., immò poſſunt Meretrices poſt meritricium factum, petere pretium in judicio; & ratio eſt, quia meretricium in foro externo eſt tolleratum: Item Judex pro ſententiâ injuſtâ, jam data propter pretium, poteſt licitè accipere pretium pactuitum, & ratio eſt, quia vendidit operam ſuam, licèt turpem, pretio tamen æſtimabilem, uni parti non debitam; licèt poſteà teneatur compenſare damna alteri parti allata, ut eſt communis DD. cum *Tamb. tom. 1. lib. 7. c. 5. §. 3. n. 13.* Vice verſa ſi ſententia fuit juſta, & pro eâ accepit pretium; illud reſtituere tenetur, & ratio eſt, quia ſententia juſta eſt debita ex juſtitiâ, & conſequenter licitè vendi non poteſt.

Alex. 7. Prop. damn. 10. in ordine: Non eſt contrà juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & unum offerre &c., & Propoſ. 20.

20 Non eſt contrà juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis &c., & Propoſ. 26.

26 Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex accipere pecuniam pro ferendâ ſententiâ in favorem unius præ alio; & Propoſ. 33.

33 Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum, ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſinas, quas anteà Beneficiarius fecerit de fructibus ſui Beneficii.

Innoc. XI. Propoſ. damn. 38. in ordine: Non tenetur quis ſub pœnâ peccati mortalis reſtituere, quod per pauca furta ablatum eſt; licèt ſumma totalis ſit magna; & Propoſ. 39.

39 Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio non tenetur ad reſtitutionem bujus damni illati; & Propoſ. 37.

37 Famuli, & Famulæ domeſticæ poſſunt occultè ſurripere ab heris ſuis ad compenſandam operam, quam majorem exiſtimant ſalario, quod recipiunt.

S

SAcramentum *eſt ſignum ſenſibile ſpiritualis animæ ſanctificationis ad cultum veri Dei, à Chriſto Domino inſtitutum*: ità in re communiter: tripliciter dici poteſt ſignum: 1. *rememorativè*, quatenùs eſt rememorativum paſſionis Chriſti; 2. *demonſtrativè*, quatenùs eſt demonſtrativum gratiæ; 3. *prognoſticè*, quatenùs eſt prognoſticum gloriæ.

Sacramenta novæ legis (quæ ſunt præcisè ſeptem, ut habetur ex *Trid. ſeſſ.* 7. *Can.* 1.) fuerunt à Chriſto Domino inſtituta per poteſtatem excellentiæ, ſibi ut Homini, à Deo communicatam, ut habetur ex *cit. Trid.*, ſed cauſa principalis authoritativè eſt ſolus Deus. In lege veteri *Circumciſio* fuit verum Sacramentum conferens gratiam ex opere operato; ità *Scotus in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.*6. ex D. Auguſt. *lib.* 2. *de nuptiis*, *&* *concupiſcentiâ cap.* XI.

Ex Sacramentis novæ legis duo ſunt neceſſaria neceſſitate medii pro æternâ Beatitudine conſequendâ; nempè: *Baptiſmus* ſingulis, & omnibus; & *Pœnitentia* illis, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt: iſta duo Sacramenta (quæ etiam appellantur Sacramenta mortuorum) per ſe, & ex propriâ inſtitutione conferunt primam gratiam, licèt ſi hæc jam præfuit in animâ, per accidens conferant ſolummodo augmentum gratiæ, ut eſt communis ſententia inter Theologos: Cætera quinque ex vi ſuæ primariæ inſtitutionis, non conferunt *primam* gratiam, ſed ſolùm *ſecundam*, ideſt, augmentum gratiæ, licèt aliàs aliquando conferre poſſint *primam*, non tamen *per ſe*, ſed *per accidens*, dummodo tamen detur ignorantia invincibilis peccati mortalis; & attritio ſupernaturalis, ut eſt communis Theologorum conſenſus; & deſumitur ex *Trid. ſeſſ.* 27. *Can.* 6., & *Can.* 7., ubi dicitur, quod omnia Sacramenta novæ legis habent vim conferendi gratiam non ponentibus obicem; ſed quicumque, qui nihil ſibi conſcius eſt de peccato mortali ex cauſâ ignorantiæ invincibilis, & eſt verè attritus attritione ſupernaturali, recipiens unum ex prædictis Sacramentis, nullum ponit obicem: ergo recipit gratiam. Aliqui DD. excipiunt *SS. Euchariſtiam*, quæ cum ſit inſtituta per modum *cibi*, & *potus* non poteſt (ut ipſi dicunt) prodeſſe *mortuis*: hæc ratio mihi videtur materialis, & ſolùm applicanda pro mortuis corporaliter, quibus prodeſſe non poſſunt cibus, & potus materiales.

In Sacramentis quinque conveniunt; nempè: *materia*; *forma*;

Digitized by Google

intentio conferentis; *intentio ſuſcipientis*; & *effectus*: materia, & forma ſunt *de eſſentiâ*: intentio ex parte utriuſque requiritur tamquam conditio ſinè quâ NON: ex parte conferentis requiritur, quod ſit ſaltem *virtualis*; ex parte ſuſcipientis, ſufficit, quod ſit *habitualis*, ut dixi ſub verbo ly *intentio*, & ſic habetur deciſum in *cap. Majores de Baptiſ. §. fin. de Baptiſ.* Effectus eſt duplex; nempè: *Gratia*, quæ eſt communis omnibus Sacramentis; & *Character*, qui eſt peculiaris tribus tantùm Sacramentis; nempè: *Baptiſmo*; *Confirmationi*; & *Ordini*.

Sacramenta eſſentialiter componuntur ex *rebus*, & *verbis*: *res* ſunt *materia*; & *verba* ſunt *forma*; unumquodque autem Sacramentum habet ſuam determinatam materiam; & ſuam determinatam formam, quas neque ipſamet Eccleſia, ſubſtantialiter variare poteſt.

Omnia Sacramenta conſiſtunt in *fieri*, & in *uſu*, dempto tamen Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, quod conſiſtit in *facto eſſe*, nam ſub ſpeciebus panis, & vini conſecrati permanet nobiſcum Chriſtus Dominus tàm quoad ſubſtantiam, quàm quoad omnia accidentia, quæ ſpectant ad integritatem corporis.

Licèt non ſit neceſſarium, quod ſimultas materiæ cum formâ ſit *Mathematica*, debet tamen eſſe talis, quod juxtà moralem Hominum exiſtimationem, una pars alteram afficiat eòdem tempore; quæ ſimultas debet eſſe eadem in omnibus exceptis Pænitentiâ, & Matrimonio.

In Euchariſtiâ requiritur neceſſariò, quod materia conſecranda ſit phyſicè præſens Sacerdoti toto tempore, quo proferuntur verba conſecrationis, ideſt, forma; nam per iſtam ſignificatur res, ut præſens, & permanens in loco, & tempore, quo Sacerdos profert verba conſecrationis.

In adminiſtratione Sacramentorum, *excepto Matrimonio*, ſemper requiritur intentio abſoluta: quapropter apponere conditionem de *futuro*, licèt *neceſſariò* ſinè magnâ neceſſitate, eſt peccatum mortale, & etiam apponere conditionem de præſenti, vel de præterito ſinè neceſſitate, eſt peccatum mortale propter periculum nullitatis Sacramenti.

Error Perſonæ (*excepto Matrimonio*) non impedit valorem Sacramenti, niſi in caſu, quo Miniſter haberet præciſam intentionem de unâ Perſonâ individuâ, quod tamen facere illicitum eſt, niſi urgente magnâ, & inevitabili neceſſitate.

Sacra-

S

Sacramenta *fictè* recepta, ideſt, recepta in peccato mortali cognito, recedente *fictione*, ideſt, ablato peccato mortali, cauſant ſuum effectum, ideſt, gratiam ſanctificantem, ut eſt communis DD. opinio loquendo tamen de illis tribus Sacramentis, quæ imprimunt characterem: ſecùs dic. de aliis quatuor; & diſparitas eſt, quia ſicuti hæc quatuor iterari poſſunt, ac ſæpiùs recipi, ita alio tempore cauſare poſſunt ſuum effectum: Si verò cum *fictione negativâ*, ideſt, in peccato mortali incognito, quia inculpabiliter ignorato, vel oblito; recedente tali fictione negativâ, ideſt, deleto tali peccato mortali; etiam hæc quatuor cauſant ſuum effectum, ut cum communiori tenet *Bonac. diſp.1. de Sacram.q.6. punct.3.*

Quamvis ad dignè ſuſcipienda Sacramenta in exiſtente in peccato mortali ſufficiat prævia contritio perfecta, non ſufficit tamen ad dignè ſuſcipiendam SS. Euchariſtiam, nam requiritur prævia confeſſio (habita tamen Confeſſarii copiâ), ut eſt communis Theol. opinio, & deducitur ex *Epiſt. 1. Apoſt. ad Cor. cap. x1.*, & expreſsè habetur ex *Trid. ſeſſ. 13. Can. 7.*, *& Can.* 10.

Omnia Sacramenta non ſolùm cauſant gratiam ex opere operato, quæ eſt gratia habitualis, cum quâ infunduntur habitus omnium virtutum, ſed etiam aliam gratiam Sacramentalem diverſam, & ſingulis Sacramentis propriam, quæ conſiſtit in ſpeciali auxilio Divino, collato à Deo ad obtinendum finem cujuslibet Sacramenti.

Sacramenta ex *opere operato*, conferunt gratiam intuitu meritorum Chriſti, & ex *opere operantis* juxtà meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis.

Contrà Novatores Sacramentarios, qui negant *ſeptennarium* numerum Sacramentorum, pugnat ipſemet *Calvinus* Hæreſiarca, qui in *ſuo lib. 4. Inſtit. cap.* 19. non minùs invitò, quàm clarè confitetur *ſeptennarium* numerum Sacramentorum: ibi enim ſic dicit: *Verùm illa de* SEPTEM SACRAMENTIS *opinio omnium ferè ſermonum trita, Scholaſque, & conciones pervagata,* VETUSTATE IPSA RADICES *egit*: ergo ſi opinio de ſeptennario Sacramentorum numero juxtà ipſum Calvinum in ipsâ *vetuſtate* radices egit: pleno ore mentiuntur Novatores Sacramentarii, qui dicunt talem opinionem eſſe novum inventum Eccleſiæ Romanæ: ergo ſi in ipsâ vetuſtate radices egit, ipſas egit tempore Apoſtolorum.

Innoc. XI. Propoſ. damn. 1. in ordine: Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis, ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiori, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: Hinc ſententia probabili utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis; & Propoſ. 29.

29 Urgens metus gravis eſt cauſa juſta ſimulandi adminiſtrationem Sacramentorum.

Sacrilegium *eſt violatio rei Sacræ*: Tripliciter committi poteſt ſacrilegium; nempè: ratione *Perſonæ Sacræ*; *loci Sacri*; *rei Sacræ*.

Ad primam ſpeciem pertinet violatio voti caſtitatis, ſivè in illo, qui habet votum caſtitatis, ſivè cum quo habet votum caſtitatis: item percuſſio Clerici tàm ſæcularis, quàm Regularis, aut Religioſæ, & etiam, juxtà communiorem DD. opinionem, pertractatio Perſonarum Eccleſiaſticarum ad Tribunal Laicale, earumque incarceratio, & hujuſmodi.

Ad ſecundam ſpeciem pertinent illa omnia, quæ fiunt contrà ſanctitatem loci Sacri; puta, furta in eo facta, ſivè rei Sacræ, ſivè rei non Sacræ (dummodo iſta aliquo modo pertineant ad Eccleſiam, ſivè per proprietatem, ſivè per commodatum, ſivè per depoſitum, & hujuſmodi), & etiam rei Sacræ de loco non Sacro; deſtructio malitioſa loci Sacri; everſio Altarium; injurioſa ſanguinis humani effuſio; homicidium peccaminoſum; voluntaria pollutio; copula carnalis mortaliter peccaminoſa; extractio violenta gaudentium immunitate Eccleſiaſticâ, & hujuſmodi.

Ad tertiam ſpeciem ſpectant illa peccata, quibus aliæ res ſacræ temerantur, ſeù injurioſè tractantur: Per *res ſacras* poſteà intelliguntur Sacramenta; Vaſa ſacra; res benedictæ; Sanctorum reliquiæ, Dei, & Sanctorum Imagines, & illa omnia, quæ (adhibitis certis precibus, ac ritibus Eccleſiaſticis) ſunt conſecrata, & pertinent ad cultum Divinum, atque miniſterium Eccleſiaſticum: Inſuper abuſus Sacræ Scripturæ ad quaſcumque ſuperſtitiones; detractiones; libellos famoſos, & hujuſmodi, quam quidem temeritatem prohibuit *Trid. ſeſs. 4. in decreto de Edit., & uſu Sacrorum librorum*.

Sacrilegium ex genere ſuo eſt læthaliter peccaminoſum, cum opponatur excellentiſſimæ (inter morales) virtuti Religionis, niſi excuſet parvitas materiæ, ignorantia invincibilis, aut indeliberatio actus.

Digitized by Google

Adv. eſt, quod, qui vovit caſtitatem, etiam per ſolos actus internos venereos mortaliter pecca minoſos, committit ſacrilegium, & conſequenter duo peccata mortalia; nempè: contrà votum, & contrà caſtitatem, & ratio eſt, quia cùm actus internus ſit ejuſdem rationis, ac actus externus, conſequenter &c. ita communiter cum *Leſſio lib.2. c.41. nu.78.*

Satisfactio *eſt offenſæ præteritæ quo ad pœnam recumpenſatio*: ita in re communiter: ut actualiter facta, eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ *ſimpliciter*: ut facienda; *ſecundùm quid*: ut eſt propoſitum ſatisfaciendi Deo, & reparandi eo meliori modo, quo fieri poteſt jus Divinum offenſum; ſecundùm *Comachium* eſt pars eſſentialis, quia hoc modo ſumpta; continetur in propoſito ſervandi mandata Dei, inter quæ eſt præceptum ſatisfactionis.

Satisfactio juxtà *Scotum in 4. diſt. 15. q.2. §. De quarto* cauſat remiſſionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis commiſſis, & jam dimmiſſis per abſolutionem Sacramentalem; & ſecundùm aliquos DD., licèt ſit facta in peccato mortali.

Satisfactio juxtà *Trid. ſeſſ. 14. cap.8.* non ſolùm debet eſſe *medicinalis* pro evitandis impoſterum peccatis, ſed etiam debet eſſe *vindicativa* pro quantitate, & qualitate peccatorum, & conſiſtit in tribus; nempè: in *oratione*; in *jejunio*; & in *eleemoſinâ* juxtà illud Tobiæ cap. 12. *Bona eſt oratio, cum* jejunio, *& eleemoſinâ*: Nomine *jejunii* venit quæcumque pœnitentia corporalis.

Pro pœnitentiâ imponi poſſunt opera alioquin præcepta, ut eſt communis DD.; immò etiam orationes pro Animabus, in Purgatorio exiſtentibus: ita cum aliis *De Lugo diſp.25. de pœnit. ſect.4. nu.62.*

In imponendâ pœnitentiâ; quatuor ſunt conſideranda: 1. quantitas, & qualitas peccatorum; 2. occaſio peccati; 3. ſtatus pœnitentis, an ſcilicet ſit ſui juris; 4. diſpoſitio pœnitentis. Ex rationabili causâ poteſt Confeſſarius leviorem imponere pœnitentiam, quàm ſit quantitas, & qualitas peccatorum.

Quamvis poſſit Confeſſarius non ſolùm commutare pœnitentiam, ab ipſo impoſitam etiam extrà confeſſionem, dummodo ſaltem in confuſo ſubſtantialiter recordetur peccatorum, aut perfectè cognoſcat ſtatum pœnitentis; & etiam commutare poſſit in confeſſione pœnitentiam, ab alio Confeſſario impoſitam, non poteſt tamen illam commutare quando eſt *medicinalis*; aut impoſita pro *reſervatis*, niſi in aliam medicinalem, ut eſt communis DD. opinio.

Confeſſarius, regulariter loquendo, tenetur imponere ſaltem aliquam levem pænitentiam pro peccatis, pro integritate Sacramenti: talis autem obligatio ex genere ſuo, eſt materia gravis, licèt aliquando ex causâ parvitatis materiæ, eſſe poſſit materia levis.

Licèt Confeſſarius imponere poſſit pęnitentiam peragendam ſub *conditione*, v. g. quoties blaſphemabis, toties cum linguâ facies ſignum Sanctæ Crucis ſuper pavimentum terræ; & etiam ſub *diſtinctione*, v. g. eleemoſinam, vel jejunium; non poteſt tamen imponere pænitentiam omninò liberè faciendam ad arbitrium pænitentis; & ratio eſt, quia cum Confeſſarius ſit *Judex*, tenetur punire Reum, *ut Judex eſt*, ideſt, per vim coercitivam, quæ obliget reum ſubire pænam, à Judice datam.

Pænitens non poteſt propriâ authoritate, ſibi ipſi commutare pænitentiam, nec etiam in opus evidenter meliùs; & quod per alios ſatisfacere nequeat, patet ex ſequenti Propoſ. damn.

Alex. VII. Propoſ. damn. 15. in ordine: Pænitens poteſt propria authoritate ſubſtituere ſibi alium, qui loco ipſius faciat pænitentiam.

Alex. VIII. Propoſ. damn. 16. in ordine: Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, naturâ rei id ipſum quodamodo dictante; & Propoſ. 19.

19. Homo debet agere pænitentiam in totâ vitâ ſuâ pro peccato originali; & Propoſ. 21.

21 Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſinis communibus vivunt de imponendâ nimis levi, & incongruâ pænitentiâ, ſeù ſatisfactione ob quæſtum, & lucrum ſubſidii temporalis.

Scandalum duplex eſt; nempè: *activum*, & *paſſivum*: Primum, ideſt, activum *eſt dictum, vel factum minùs rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*: ſubdividitur in ſcandalum *per ſe intentum*, & in ſcandalum per ſe *NON* intentum: primum, ideſt, *per ſe intentum*, eſt, quando quis advertens alium trahi ad peccandum ex aliquo ſuo dicto, vel facto minùs recto, hoc idem dicit, vel facit, ut illum inducat ad peccandum: ſecundum, ideſt, per ſe *NON* intentum, eſt quando quis advertens alium trahi ad peccandum ex aliquo ſuo dicto, vel facto minùs recto, hoc idem dicit, vel facit ex ſolo libito ſuæ voluntatis ſinè

ullâ

nullâ intentione alium inducendi ad peccandum.

Scandalum activum eſt duplex peccatum; nempè: unum contrà charitatem propter inductionem ad peccandum; & alterum contrà illam virtutem, cui opponitur vitium peccati commiſſi, & conſequenter circumſtantia inductionis, neceſſariò exprimenda eſt in confeſſione: eſt autem *mortaliter*, vel *venialiter* peccaminoſum juxtà *qualitatem* culpæ *gravis*, vel *levis*, ad quam proximum inducit.

Scandalum activum ex noſtrâ operatione, quæ: neque *in ſe*; neque in *ſpecie externâ*, eſt illicita, aliquando permitti poteſt; & aliquando permitti non poteſt, ut eſt communis DD. opinio cum *Layman. lib.2. tr.3. c.13. nu.8.* Verùm: quando nulla ratio neceſſitatis, vel utilitatis propriæ, vel alienæ intervenit, numquam permitti poteſt.

Quando quis coràm aliis peccat; tunc ſolùm dici poteſt, quod dederit ſcandalum, quando attentis circumſtantiis agentis, & adſtantium, probabiliter timetur, quod alii per illam actionem trahentur ad peccandum, qui aliàs ſinè tali actione peccaturi non erant: ita cum pluribus aliis *Buſemb.*, in caſu poſteà, quo ſit cauſa licèt indirecta, quod alii peccent, tenetur exprimere in confeſſione ſpeciem peccati, & numerum adſtantium.

Scandalum paſſivum duplex eſt; nempè: *Per ſe*, & per *accidens*: Scandalum paſſivum *per ſe* (quod etiam dicitur ſcandalum *puſillorum*) eſt illud, quod oritur ex vero ſcandalo activo alieno: Scandalum paſſivum *per accidens* eſt illud, quod non oritur ex alterius ſcandalo activo, ſed ſolùm ex malitiâ ſuſcipientis, & iſtud dicitur ſcandalum *phariſaicum*.

Ob ſcandalum merè *paſſivum phariſaicum* nemo tenetur ſuas actiones, quas facere volebat, ommittere, vel differre, ſi tamen faciliter, & ſinè incommodo ommittere, aut differre non poteſt: ita communiter DD.

Schiſma *eſt rebellis, ac ſpontaneá ſeparatio ab unitate Eccleſiæ*: ita in re communiter: opponitur virtuti charitatis, quâ tenemur diligere corpus myſticum Eccleſiæ integrum: cum enim quis non vult obedire Eccleſiæ, vel Romano Pontifici, qui eſt caput viſibile Eccleſiæ, dicitur *ſchiſmaticus*, ideſt, *quaſi ſcindens* Homines à communione illius charitatis, quæ facit eſſe plures: *cor unum*, & *anima una*.

Schiſma dividitur in ſchiſma *purum*, & in ſchiſma cum *Hæreſi* con-

conjunctum, & iſtud aliquando committitur abſque opere exteriori, aut verbo; & in hoc caſu licèt ſit peccatum mortale, non eſt tamen alicui cenſuræ ſubjectum: ſi poſteà committitur cum opere exteriori, aut verbo; eſt ſubjectum excommunicationi in Bullâ Cænæ (quidquid aliqui dicant in contrarium cum certâ diſtinctione), & hoc probatur authoritate D. Auguſtini à *Laderto* citati *cap. 4. de Apoſt., & Hæret. Nullum Schiſma eſt, niſi aliquam* hæreſim *confingat*.

Primum Schiſma fuit *anno* 157. regnante Cornelio Vero, quando fuit intruſus Papa *Novatianus*, cujus Epiſtolæ, *S. Dionyſius* ſic reſpondit: *Si* nolens *ad Sacerdotium fuiſti inductus; ità demùm oſtendas, ſi* volens, *ceſſeris*.

Sepulturâ Eccleſiaſticâ privari cenſentur ſequentes: 1. Pagani; 2. Judæi; 3. Hæretici; 4. Hæreticorum, ut Hæretici ſunt, quocumque modo fautores: *cap. Quicumque de Hæret. in 6. tit. 5. lib. 2.*; quintò: manifeſti Uſurarii: *cap. Quamquam de uſuris in 6. tit. 5. lib. 5.*; ſextò: publicè excommunicati: *Clem. Eos de ſepult. lib. 2. tit. 7.* ſeptimò: illi omnes, quibus eſt interdictus Eccleſiæ ingreſſus, ſi tamen impœnitentes decedunt: *cap. Is, cui de ſent. excom. in 6. lib. 5. tit.* 11. octavò: blaſphemantes hæreticaliter Deum, SS. Deiparam ſemper Virginem Mariam, & cæteros Sanctos; *cap. Statuimus de Maledicis lib. 5. tit. 26.*; nonò: Regulares, qui proprietarii moriuntur: *cap. Cum ad Monaſterium de ſtatu Monachor. lib. 3. tit. 35.* decimò: illi, qui tempore Paſchali ſinè licentiâ Epiſcopi à proprio Sacerdote communionem non receperunt, niſi antè mortem pænituerint, & aliàs de omiſſione conſtet notoriè: *cap. Omnis de pænit. & remiſ. lib. 5. tit. 38.*; undecimò: illi, qui ſemel ſaltem in anno, Sacerdoti non ſunt confeſſi: *ibidem*: duodecimò: omnes notoriè in peccato mortali decedentes; puta, Meretrices; Concubinarii; interempti in ipſo criminis actu; puta, furti, fornicationis, duelli, & hujuſmodi nullo dato contritionis ſigno: *Gloſſ. in cap. Quia de Uſuris lib. 5. tit. 19.*; tertiodecimò: illi, qui ſibi mortem ex iracundiâ, & diſperatè inferunt: ſecùs, ſi ex fatuitate, aut ex vulnere ſibi facto antè mortem pænituerint: in dubio favendum eſt pietati: *Gobat. to. 2. operum moral. tr. 5. Ubi ſepeliend. cap. 50. pag. 416. num. 13.*; quartodecimò: Morientes in ebrietate, dummodo conſtet de ebrietate prævisâ, & de prævifo mortis periculo; quintodecimò: illi, qui in Torneamentis, in quibus eſt probabile mortis peri-

periculum, occumbunt: *cap. Felicis de Torneam. lib. 5. tit. 13.* Sextodecimò: duellantes morientes in ipſo actu duelli: *Trident. ſeſſ. 25. de ref. cap. 19.*: ſecùs dic. de illis, qui inopinatè ex rixâ dimicantes, in ipſo dimicationis actu moriuntur.

Si prædictorum aliquis contrà Sacros Canones fuerit in loco Sacro tumulatus, exhumari debet, ut conſtat ex *cap. Sacris de Sepult. lib. 5. tit. 28.*

Sepulturam ſibi eligere in Regularium Eccleſiis cuicumque licitum eſt (dummodo ſit ſui Juris), ut clarè conſtat non ſolùm ex *Clem. Dudum de ſepult. cap. 2. lib. 3. tit. 7. §. Hujuſmodi*, ſed etiam ex *Conſtit. Dùm intrà*, quæ etiam eſt moderatoria privilegiorum Regularium, edita in *Concil. Lateran. ſub Leone X.*, & ex *deciſ. Sacræ Rotæ coram Coccino deciſ. 552. tom. 2. part. 3.*

Excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt Clerici tàm Sæculares, quàm Regulares, ſi ad eligendam ſepulturam in propriis Eccleſiis reſpectivè quemcumque inducunt; vel non immutandam electam, alliciunt: *Clem. Cupientes de pænis lib. 5. tit. 8. §. Sanè*: Cum autem *Textus* exprimat ſolùm de inductione ad *proprias Eccleſias*, ideò dic. eſt, quod ab excommunicatione excludat illos, qui inducunt ad eligendum ſupulturam in alienâ Eccleſiâ, eo quod pænalia ſunt ſtrictè interpretanda, dummodo tamen abſint *fraus*, & *mala fides*, ut ait *Donat. in prax. Regul. tom. 1. q. 27. n. 4.*

Indebitè ſepelientes, reſtituere tenentur oſſa Defuncti, & quidquid indè receperunt, ſi petatur; quod niſi fecerint, ipſæ Eccleſiæ, in quibus tumulati fuerunt, nec non earum Cæmeteria, ex tunc, eo ipſo, ſint, & tamdiù Eccleſiaſtico Interdicto ſuppoſita maneant, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum, ut conſtat ex *cap. Animarum de ſepult. in 6. lib. 3. tit. 12.*

Hìc ponuntur novem dubia *Sac. Cong. Conc.* propoſita, quibus *eadem Sac. Congreg.* reſpondit, ut ſequitur die 13. *Februarii 1666.*

1 An ſit valida electio ſepulturæ, quam quis ſivè ſanus, ſivè infirmus coram Parocho elegerit? Reſp. *affirmativè*, dummodo Parochus non teſtetur ad proprium commodum.

2 An ad validitatem electionis ſepulturæ requiratur Teſtamentum in ultimâ infirmitate, vel ſufficiat, quod elegatur anteà per alium actum publicum, qui Teſtamentum non ſit? Reſp. *non requiri neceſſariò Teſtamentum*.

3 An ſit nulla electio ſepulturæ, quando ipſa eligitur per Teſtamentum factum in vitâ, & non in morte? Reſp. *non eſſe nullam*.

4 An qui habet Capellam ſuæ Familiæ cum propriâ ſepulturâ; aut Capellam erexerit cum ſepulturâ propriâ; moriens abſque ſepulturæ electione, ſepeliendus ſit in Cathedrali? Reſp. *non eſſe ſepeliendus in Cathedrali*.

5 An validè eligatur ſepultura coràm duobus Teſtibus? Reſp. *affirmativè*.

6 An electio ſepulturæ per nutus, & ſigna in caſu, quo quis loqui non poſſit ſit valida? Reſp. eſſe validam, dummodo ſufficienter conſtet de voluntate eligentis.

7 An Confratres Sodalitatum, non electâ ſepulturâ ſepelliri poſſint in ſepulcro ſuæ Eccleſiæ? Reſp. *negativè*.

8 An electiones ſepulturæ, quæ *Jure præſumuntur*, ſicut Uxoris reſpectu Mariti; Filii reſpectu Majorum, ac ſervorum reſpectu Dominorum ſint validæ? Cenſuit *quatenùs electa non fuerit ſepultura, Uxorem in ſepulcro Viri ſepeliendam; Filios verò in ſepulcro Majorum; ſervos autem in Parochiâ*.

9 An qui poſt mortem mandat ſuum corpus indui Habitu Tertiariorum, ſit ſepeliendus in Eccleſiâ Regularium? Reſp. *negativè*, quod ſic intelligendum eſt, ideſt, niſi ibi ſepulturam elegerit, ut reſcripſit eadem *Sac. Cong.* Novarienſi Epiſcopo, teſte *Pignatell. to. 1. conſult. 17. n. 20.*

Sigillum Confeſſionis Sacramentalis *eſt indiſpenſabilis obligatio occultandi, quæ in Confeſſione Sacramentali cognita ſunt*: ità in re communiter: eſt de triplici Jure; nempè: *Divino poſitivo; Naturali*; & *Eccleſiaſtico*: ità communiter cum *Scoto in 4. diſt. 22. quæſt. 2.* Ejus violatio tàm directa, quàm indirecta, juxtà communem DD., duo peccata importat; nempè: unum ſacrilegium propter irreverentiam Sacramenti, & aliud peccatum mortale contrà juſtitiam.

Omnis, & ſola Confeſſio Sacramentalis inducit talem *indiſpenſabilem* obligationem: illa autem dicitur *Confeſſio Sacramentalis*, in quâ pænitens manifeſtat ſua peccata Confeſſario cum animo ſe accuſandi de peccatis, & obtinendi abſolutionem ab illis: dicitur poſteà quod talis obligatio ſit *indiſpenſabilis*, quia, neque per conſervationem totius Mundi, illud violare licitum eſt, ut unanimiter dicunt omnes Theologi.

Sub

Digitized by Google

Sub ſigillo cadunt: 1. omnia peccata mortalia in genere, ſpecie, & numero; 2. peccata venialia in genere, & in ſpecie; 3. abſolutio negata, vel dilata; 4. pœnitentia gravis; 5. quidquid ſi manifeſtetur, minuere poteſt bonam famam pœnitentis; aut quocumque modo de illo ſuſpicari poteſt; vel illi diſplicere poteſt; aut illi reddere confeſſionem odioſam, vel difficilem.

Ad ſigillum tenentur: 1. Confeſſarii; 2. Interpretes; 3. qui ſivè accidentaliter, ſivè datâ operâ alienas Confeſſiones Sacramentales audiunt; 4. illi, à quibus extrà Confeſſionem petitur conſilium pro peccato exprimendo in Sacramentali Confeſſione; 5. Prælati, ad quos recurritur pro facultate abſolvendi à reſervatis; 6. qui legunt alienas chartas ſcriptas in ordine ad faciendas Confeſſiones Sacramentales.

Prædicta obligatio oritur ex confeſſione Sacramentali tàm *validâ*, quàm *invalidâ*, dummodo peccata ſint dicta in ordine ad *claves*, ideſt, animo ſe accuſandi de illis; & de iiſdem obtinendi abſolutionem: ſecùs dic. ſi ſinè animo ſe accuſandi, & abſolutionem obtinendi, licèt alias in tali caſu cadunt ſub ſigillo naturali: idem dic. quando pœnitens occaſione confeſſionis narrat Confeſſario alia, ad *claves* non ſpectantia.

Licèt juxtà *Scotum in 4. diſt. 21. q. 2.*, & alios, poſſit Confeſſarius de licentiâ pœnitentis revelare confeſſionem Sacramentalem, eo quia, quando pœnitens dat licentiam loquendi de auditis in confeſſione Sacramentali, videtur ceſſare obligatio ſigilli, & ratio reverentiæ Sacramenti: attamen juxtà communiorem DD. ſententiam, conſultiùs eſt id non facere, niſi in caſu magnæ, & evidentis neceſſitatis.

Simonia *eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum, pretio temporali*: ita communiter ex *Gloſſ. in Rubric. tit. de Simoniâ*.

Simonia eſt ſacrilegium mortale, ut liquet ex *Act. Apoſt. cap. 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem*: hæc fuit prima excommunicatio, quæ fuit fulminata; & à Sancto Petro Apoſtolorum Principe fuit fulminata contrà Simonem Magum quando iſte dixit: *Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus deſcendat in eum Spiritus Sanctus*, & in eâ non datur parvitas materiæ, cujus ratio eſt, quia nullum donum Dei ſinè gravi irreverentiâ, pretio temporali contrectari poteſt; undè *D. Auguſt. in tract. 30. in Joannem* loquens de *Simone Mago* (ex cujus nomi-

 ne

ne originem habuit titulus de *Simoniâ*) ſic ait: *volebat* emere *Spiritum Sanctum, quia volebat* vendere *Spiritum Sanctum.*

Simonia eſt prohibita triplici jure; nempè: *Divino*; *naturali*; & *Eccleſiaſtico*: ità communiter DD. Adv. tamen eſt, quod quando res, quæ pretio temporali contrectatur, non eſt *purè ſpiritualis*, ſed ſolùm ſpirituali annexa, eſt tantummodo Simonia jure Eccleſiaſtico prohibita, circà quam Papa poteſt diſpenſare.

Simonia quadruplex eſt; nempè: *mentalis*; *conventionalis*; *realis*; & *confidentialis*.

Simonia *mentalis* dupliciter contingere poteſt: 1. quando quis habet voluntatem deliberatam contrectandi pretio temporali aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum, ſed numquam talem ſuam voluntatem deducit ad actum externum, ſivè quia non habet cum quo contractet; ſivè quia ſe pœnituit, ſivè quâcumque aliâ de causâ; 2. quando quis intrinſecùs cordis contrectat pretio temporali aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum; ſed exteriùs neque explicitè, neque implicitè alteri manifeſtat ſuam intentionem: hæc ſimonia tripliciter contingere poteſt: 1. ex parte ſolius dantis temporale; 2. ex parte ſolius recipientis; 3. ex parte utriuſque.

Simonia *conventionalis* eſt, quâ quis convenit cum altero cum pacto expreſſo, vel tacito dandi, vel recipiendi temporale pro ſpirituali, vel ſpirituali annexo: Etiam hæc ſimonia tripliciter contingere poteſt: 1. quando ſolummodo factum eſt pactum, ſeù conventio; 2. quando ultrà pactum, vel conventionem, unus dedit ſpirituale, vel ſpirituali annexum, ſed alter non dedit temporale; 3. quando unus dedit temporale, ſed alter non dedit ſpirituale, vel ſpirituale annexum.

Simonia *realis* conſiſtit in tribus; nempè: in intentione; conventione; & conſumatione operis ex parte utriuſque contrahentis.

Simonia *confidentialis* (quæ eſt ſpecies *conventionalis*) quinque modis contingere poteſt; nempè: per *acceſſum*; *ingreſſum*; *regreſſum*; *fructuum conceſſionem*; *penſionis ſolutionem*.

Per *acceſſum* evenit, quando quis alteri Beneficium Eccleſiaſticum procurat, aut confert, cum conditione tamen, ſivè expreſſâ, ſivè tacitâ, ut poſteà per reſſignationem faciendam à *proviſo*, ad idem Beneficium *ipſe conferens*, aut *procurans*, vel alius ab eo deſignatus, vel deſignandus, accedat,

Per

Per *ingreſſum* contingit, quando quis poſt collationem Beneficii Eccleſiaſtici, illud antè poſſeſſionem alteri renunciat cum pacto, ut hic poſteà eidem, vel alteri ab eo deſignato, vel deſignando, ad idem Beneficium, ingreſſum aperiat, illud dimittendo.

Per *regreſſum* accidit, quando quis acquiſito Beneficio Eccleſiaſtico, alteri reſignat cum conditione, quod deindè per reſignationem ab accipiente factam, ad idem Beneficium ipſe, vel alius à ſe deſignatus, vel deſignandus redibit.

Per *fructuum conceſſionem*, vel *penſionis ſolutionem* evenit, quando quis alteri confert, vel reſignat Beneficium Eccleſiaſticum cum pacto, ut accipiens ſibi, vel alteri, à ſe deſignato, vel deſignando concedat omnes fructus Beneficii, vel partem illorum; vel ſolvat penſionem: ità circà ſimoniam confidentialem *Layman Theol. Moral. lib. 4. tract. 10. cap. ult.* expreſsè ex *text. Conſtit. S. Pii V.*, quæ incipit: *Durum nimis &c.*

Pœnæ pro reatu ſimoniæ confidentialis ſunt ſex: 1. annullatio collationum, & reſignationum; 2. quod proviſio Beneficiorum reſervetur Sedi Apoſtolicæ; 3. quod taliter proviſi, non faciunt neque fructus, neque penſiones ſuas; 4. Cardinalibus, & Epiſcopis interdicitur ingreſſus Eccleſiæ; 5. Inferiores, excommunicatione Papæ reſervatâ ligantur; 6. Quicumque Beneficium Eccleſiaſticum, vel penſiones hoc Beneficentiæ confidentialis vitio recipit; aliis etiam Beneficiis, & penſionibus priùs obtentis privatur, & ad alia obtinenda inhabilis redditur: Hoc totum conſtat ex *Conſtit. Pii IV.*, quæ incipit: *Romanum Pontificem*; & ex *Conſtit. S. Pii V.*, quæ incipit: *Intolerabilis &c.*

Simonia in *primo genere ſpiritualium* eſt, quando pretio contrectatur uſus virtutum ſupernaturalium, ut dare pretium pro alterius oratione, jejunio, & hujuſmodi: eſt tamen licitum dare, & accipere per modum eleemoſinæ, & ſpontaneæ oblationis; & etiam eſt licita permutatio; puta, jejunium pro oratione, & è contrà, & hujuſmodi.

Simonia in *ſecundo genere ſpiritualium*, eſt, quando pretio contrectatur adminiſtratio Sacramentorum: eſt tamen licitum pretium in tribus caſibus (dummodo adminiſtrator non teneatur ex officio ſuo proprio Sacramenta miniſtrare, ut ſunt Parochi, & illi omnes, qui curam animarum habent): 1. pro labore antecedente, vel conſequente, numquam tamen pro concomitante; 2. pro obligatione, quâ quis ſe obligat Sacramenta miniſtrare pro aliquan-

aliquanto tempore determinato, v. g. per unum, duos, vel tres annos; & ratio eſt, quia talis obligatio eſt pretio æſtimabilis; 3. quando pretium exigitur pro congruâ ſuſtentatione.

Parochi, & quilibet alius, licitè accipere poſſunt quodcumque temporale *ſpontè oblatum* etiam in actu adminiſtrationis Sacramentorum.

Simonia in *tertio genere ſpiritualium*, eſt, quando pretio contreſtantur ea, quæ ex officio, vel poteſtate aliquâ ſpirituali procedunt; puta, diſpenſatio in votis, vel illa commutare; relaxare juramenta; abſolvere à cenſuris, conſecrare Eccleſias, & hujuſmodi.

Simonia in *emptione*, & *venditione* Ordinum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum conſiſtit in tribus; nempè: *emptione*, & *venditione*; in *permutatione*; in *locatione*.

Circà primum, ideſt, *emptionem*, vel *venditionem* Ordinis, vel Beneficii Eccleſiaſtici ſemper committitur ſimonia, quando intervenit quodcumque temporale, quod ſit quomodocumque pretio æſtimabile, ſivè ſit à *manu*; ſivè ſit à *linguâ*; ſivè ſit ab *obſequio*, tàm dando, quàm accipiendo; tàm immediatè, quàm mediatè; ſivè detur, vel accipiatur tamquam *pretium*; ſivè tantummodo, ut *motivum* conferendi, vel efficiendi ſpirituale; immò etiam ſolummodo, ut *gratuita compenſatio*: Hoc autem totum verum eſt, etiam ſi conferens Beneficium, & qui illud recepit hoc ignorent, ut expreſsè habetur ex *cap. De Regul.*, *cap. Ex inſinuat. cap. Nobis de Simoniâ*; & conſequenter de hoc habitâ notitiâ tenetur ſtatim proviſus, vel renunciare, vel recurrere pro diſpenſatione, aliter ultrà peccatum, pænas etiam contrà ſimoniacos impoſitas incurreret; & inſuper tenetur reſtituere fructus jam ex Beneficio perceptos.

Adv. tamen eſt, quod *Jo: de Cardenas in Criſi Theol. n. 37., & ſeqq.* ad verba *Propoſ. damn. ab Innoc. XI.*, quæ eſt XI. *in ordine*: *Ly vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, vel e contrà*: ait, quod per *gratuitam compenſationem* intelligi debet illa tantummodo, quæ ſit cum pacto, ſeù interveniente obligatione dandi, vel recipiendi aliquid *ad titulum gratitudinis*.

Prædicta ſimonia committitur etiam, quando examinatores ad Beneficia Eccleſiaſtica, occaſione examinis, aliquid, quod ſit pretio æſtimabile, accipiunt non ſolùm *antè* examen, ſed etiam

poſt

poſt examen, ut conſtat ex *Trident. ſeſſ. 24. cap. 18. de ref.*

Inſuper committitur ſimonia, ſi ex pravâ conſuetudine, vel Eccleſiarum conſuetudinibus pro *præſentatione*; *nominatione*; *inſtitutione*; *collatione*; vel *aliâ proviſione*; ſivè *admiſſione ad poſſeſſionem* alicujus Beneficii Eccleſiaſtici, deducantur ex fructibus *ſolutiones*; *promiſſiones*, vel *compenſationes illicitæ*, ut expreſsè habetur ex *Trid. ſeſſ. 24. de ref. cap. 14.*, & ex *Conſtit. S. Pii V.*, quæ incipit: *Durum nimis &c.*

Illæ autem dicuntur *deductiones illicitæ*, quæ cedunt in *Canonicorum*, vel *exigentium* utilitatem; non tamen ſi cedunt in utilitatem Eccleſiæ, vel ſi convertuntur ad pios uſus, dummodò non exigantur pro *ipſo ingreſſu*, & *admiſſione*: ità cum communi *Barboſ. ad dictum locum Trid. nu. 6.*: immò ad removendam omnem ſuſpicionem ſimoniæ *Trid. ſeſſ. 21. de ref. cap. 21.* prohibet Epiſcopis, & eorum Miniſtris, aliquid accipere (licèt ſpontè oblatum) pro collatione Ordinum, aut pro litteris dimiſſoriis, vel teſtimonialibus, aut pro ſigillo, vel quâcumque aliâ de causâ; & *Piaſecus prax. Epiſcop. part. 1. cap. 1. art. 9. num. 9.* refert deciſum fuiſſe à *Sac. Cong. Conc.* ſolummodo *Cereum* recipi poſſe ab Ordinante: immò *eadem Sac. Cong. Conc.* relatu *Fagnani in 5. ad cap. in ordinando n. 12. de Simoniâ* cenſuit conſuetudinem etiam immemorabilem percipiendi ab Ordinatis ad primam tonſuram forfices, pectines, & mappas à Presbyteris, eſſe veram corruptelam jam revocatam.

Ulteriùs quæcumque reſignatio Beneficii Eccleſiaſtici, facta ſub conditione, ut detur tertiæ Perſonæ, eſt invalida, & ſimoniaca, ſi fit coram Ordinario, vel quocumque alio Prælato, qui ſit minor Papâ: quapropter Epiſcopi ſimiles reſſignationes con talibus conditionibus acceptare nequeunt, ut patet ex *Conſtit. S. Pii V.*, quæ incipit: *Quanta &c.*, & invenitur in *Bullario tom. 2.*

Pretium temporale receptum occaſione præſentandi, procurandi, conferendi Beneficia Eccleſiaſtica, reſtitui debet Eccleſiæ, cui irrogata fuit injuria, vel pauperibus, ut habetur ex *cap. De hoc*; *De ſimoniâ*; & ex *D. Th. 2. 2. q. 32. a. 8.* reſtititui debet antè declaratoriam Judicis ſententiam, eo quod receptum fuit pro re invendibili, & contrà voluntatem D. N. J. C., qui præcepit, ut *ſpiritualia gratis* dentur: *Gratis accepiſtis, gratis date*: *Matt. c. 10.*: immò etiam reſtitui debent fructus non ſolùm extantes, ſed etiam jam conſumpti; deductis tamen expenſis factis ex causâ fru-

fructuum, & etiam factis in utilitatem Eccleſiæ Beneficialis: ità *D.Th. cit. q.* 110. *a.* 6. *ad* 3.

Proviſus legitimè de Beneficio Eccleſiaſtico; ſi primariò, & principaliter non intendit *Cultum Divinum*, ſed primariò, & principaliter intendit *fructus temporales* committit ſimoniam mentalem, ut patet ex doctrinâ *Angelici Doctoris Quodlibeto* 8. *q.* 6. *a.* 1., quæ doctrina juxtà *Fagnan. in* 5 *ad cap. Olim de verb. ſignif. nu.* 43. aptari poteſt accipientibus ſtipendia pro Miſſis, & Concionibus, ſi primariò, & principaliter intenduntur ipſa ſtipendia.

Poteſt Prælatus abſque ſimoniæ labe conferre Beneficium Eccleſiaſticum Clerico pauperi, qui ei famulatur propter ſuſtentationem ejus vitæ tamquam *finem* ipſi Beneficio *intrinſecum*; & Clericus tutâ conſcientiâ poteſt illud recipere, dummodo talem finem minùs principalem, ſed ipſi Beneficio intrinſecum intendat, quia hoc modo Prælatus dat gratis, & liberaliter, & conſequenter ſinè labe ſimoniæ.

Si aliquis Clericus ſuum famulatum præſtaret alicui, non cum intentione, ut tali famulatu illum alliceret ad illi conferendum aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, ſed ſolummodo ob ſpem obtinendi Beneficium à Prælato, benè affecto gratis, & liberaliter conferendum, non committeret ſimoniam; & ratio eſt, quià in tali caſu ſuum famulatum non præſtaret cum intentione alliciendi Prælatum ad illi conferendum Beneficium, ſed ſolummodo propter ſpem, quæ aliàs non eſt prohibita in genere ſimoniæ, cum nullo modo habere poſſit rationem pretii.

Quando quis *exteriùs* promittit pretium, ſed interiùs nullam habet intentionem, neque dandi pretium, neque ſe obligandi: juxtà *D.Tho.*, *Scotum*, & communiter, non committit ſimoniam, licèt aliàs in foro externo puniri debeat, ut ſimoniacus.

Dare, & accipere aliquid in pretium ad redimendam vexationem in Beneficiis Eccleſiaſticis; tunc committitur ſimonia, quando, qui dat habet ſolummodo *jus ad rem*: ſecùs dic. ſi habet *jus in re*: Jus poſteà *ad rem*, ideſt, ad Beneficium Eccleſiaſticum, acquiritur per concurſum habitum, in quo quis repertus ſit dignior, vel etiam per præſentationem: *Jus in re* acquiritur per legitimam electionem; collationem; proviſionem; inſtitutionem, & poſtulationem.

Simonia in *Ordine* eſt prohibita *Jure Divino*, quia pretio contrectan-

trectantur impoſitio manuum, & Character Ordinis, quæ ſunt merè ſpiritualia: In Beneficiis, & penſionibus merè Eccleſiaſticis eſt prohibita ſolùm Jure Canonico.

Pretium ſimoniæ contentum ſub verbo ly *Munus* triplex eſt; nempè: 1. *Munus à manu*, per quod intelligitur pecunia, & quodcumque temporale, quod ſit pretio æſtimabile; 2. *Munus à linguâ*, per quod intelligitur quæcumque collocutio facta in gratiam Beneficiarii, quæ aliàs induere poſſit naturam pretii; 3. *Munus ab obſequio*, per quod intelliguntur famulatus, & quæcumque alia ſervitia, quæ quôcumque modo ſint pretio æſtimabilia.

Prælatus ſimoniacus privatur Jure conferendi Beneficia Eccleſiaſtica, & conſequenter quæcumque collatio Beneficiorum Eccleſiaſticorum facta à Prælato ſimoniaco, eſt nulla, ac proindè taliter proviſus, etiam ſi quando fuit proviſus detineretur ignorantiâ invincibili: ſi ex poſt, dimiſsâ ignorantiâ, ſcit certò, quod talis Prælatus eſt ſimoniacus, tenetur vel petere, & obtinere diſpenſationem, vel dimittere Beneficium.

Circà ſecundum, & tertium, ideſt, circà *permutationem*, & *locationem* ſit: Quicumque permutat Beneficium, ſeù Officium Eccleſiaſticum cum laicali; vel Beneficium Eccleſiaſticum cum alio Beneficio Eccleſiaſtico, ſed interveniente pacto, & ſinè licentiâ Epiſcopi, committit ſimoniam, ut patet ex *cap. Quæſitum de rerum permutatione*: Idem dic. de *locatione* poteſtatis ſpiritualis.

Pœnæ pro reatu ſimoniæ realis Jure Canonico prohibitæ, ſunt tres: 1. excommunicatio major, ipſo facto incurrenda, & Papæ reſervata; 2. privatio Beneficii; 3. privatio fructuum, jam obtentorum etiam antè declaratoriam Judicis ſententiam.

Innoc. XI. Propoſ. damn. 45. in ordine: Dare temporale pro ſpirituali, non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed ſolùm tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, vel e contrà.

Societatis ſpecies ſunt variæ; nempè; expreſſa, & tacita; vitæ, & bonorum temporalium, ſivè omnium, ſivè aliquorum tantùm; quæſtuoſa, & lucrativa; & de iſtâ hìc eſt ſermo.

Societas lucratoria *eſt conventio plurium, ſuam pecuniam, induſtriam, & laborem conferentium ad lucrandum*: ad hoc ut ſit juſta; quinque conditiones requiruntur: 1. quod negotiatio ſit licita;

cita; 2. quod pecunia ſit ſubjecta periculo eam conferentis; 3. quod ſervetur æqualitas in omnibus judicio prudentis Viri; 4. quod lucrum dividatur pro quantitate partium collatarum; 5. quod pacta juſta, facta ab initio ſocietatis, ſerventur; vel ſi nihil expreſsè conventum eſt; loci conſuetudo attendatur: ità cum communi *Reginal. in praxi Fori Pænit. lib. 25. cap. 28. num. 38., & ſeqq.*

Sodomia dupliciter accipi poteſt; nempè: propriè, & impropriè: *Propriè* dicitur illa, quæ fit inter perſonas ejuſdem ſexus: *Impropriè* dicitur illa, quæ fit inter perſonas diverſi ſexus. Utraque vel eſt perfecta, ideſt, cum ſeminatione intrà vas, vel eſt imperfecta, ideſt, cum ſeminatione extrà vas. Ut ſic caſus reſervatus ex P. Ameno, duo requiruntur (niſi aliter ſpeficetur à Prælato reſervante); nempè: idem ſexus, & ſeminatio intrà vas.

Spes, ut Virtus Theologica, *eſt inclinatio ad futuram Beatitudinem æternam, Dei auxilio conſequendam*: ità in re communiter: ejus præceptum *negativum*, quo tenemur numquam deſperare, aut præſumere; obligat ſemper, & ad ſemper: affirmativum; *directè*, & *per ſe* obligat in tribus caſibus: 1. quando Homo eſt ſufficienter inſtructus circà res Fidei; 2. in fine vitæ; 3. toties, quoties obligat præceptum Fidei, ſervatâ proportione: *indirectè*, & *per accidens*, obligat toties, quoties, obligat aliud præceptum, quod obſervari nequeat abſque actu *Spei Divinæ*, ſaltem virtuali: Vitia oppoſita ſunt duo; nempè: *præſumptio* per exceſſum; & *deſperatio* per defectum.

Alex. VII. Propo. dam. 1. in ordine: Homo nullo umquam tempore vitæ ſuæ, tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi Præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

Sponſalia *ſunt mutua promiſſio futuri matrimonii, ſigno ſenſibili expreſſa*: ità in re communiter: dicitur promiſſio *ſigno ſenſibili* expreſſa, quia promiſſio *purè mentalis*, obligare non poteſt, cum Homo cum alio Homine, ſe obligare nequeat, niſi per modum humanum, ſibi connaturalem, qui ſolùm conſiſtit in *verbis*; *ſcriptis*; *ſignis*; & *nutibus*.

Ad validitatem Sponſalium quinque requiruntur: 1. promiſſio; 2. quod talis promiſſio ſit vera, & non ficta (hoc tamen intelligi debet, quo ad forum internum tantùm); 3. quod ſit mutua, & mutuò acceptata; 4. quod ſit expreſſa ſigno ſenſibili externo;

5. quod

5. quod in Sponſis detur talis uſus rationis, qui ſufficiat ad peccatum mortale.

Sponſalia diſſolvuntur per matrimonium *validum* de præſenti cum alterâ Perſonâ quo ad ambos Sponſos: ſi matrimonium eſt *invalidum*; diſſolvuntur ſolùm ex parte illius, qui non contraxit, licèt etiam ſponſalia fuiſſent juramento firmata, ut cum pluribus aliis tenet *Bonac.*

Per ſecunda Sponſalia, non diſſolvuntur priora quò ad illum, qui ſecunda contraxit Sponſalia, ſed ſolùm, quo ad illum, qui non contraxit; & hoc, licèt ſecunda fuiſſent juramento firmata; & ratio eſt, quia ſecunda promiſſio jurata fuit injuſta, & conſequenter nulla, cum juramentum non ſit vinculum injuſtitiæ, & iniquitatis.

Sponſalia facta poſt votum caſtitatis; vel Religionis; vel Sacrorum Ordinum, ſunt *invalida*, niſi reddantur *valida* ad evitandum alterius grave damnum.

Si poſt inita Sponſalia, unus ex Sponſis (altero inſcio) vovet caſtitatem; vel Religionem; aut Sacros Ordines; alter remanet liber: ſecùs dic. de vovente, niſi votum ſit *Religionis*, ſecluſo tamen alterius gravi damno.

Sponſalia diſſolvuntur per ingreſſum Religionis unius Sponſorum, altero remanente in ſæculo, ità quod ſicuti iſte poteſt licitè contrahere cum aliâ Perſonâ etiam à primâ die, quâ alter ſuſcepit Habitum Religioſum; ità qui ingreſſus eſt Religionem; ſi non emittit profeſſionem, tenetur contrahere, ſi alter velit.

Sponſalia contrahens, & ſub ſpe matrimonii Sponſam cognoſcens, non poteſt ingredi Religionem; & ratio eſt, quia, quod eſt de juſtitiâ, præferendum eſt cuicumque conſilio Evangelico etiam Religionis, ut fatentur omnes DD.: idem dic. licèt non fuerit copula, ſi ex nimiâ familiaritate, habitâ poſt ſponſalia; Sponſa notabilem famæ jacturam paſſa eſt.

Quæritur, an fictus promiſſor, qui ſub datâ fide de matrimonio contrahendo, defloravit Virginem, vel cognovit honeſtam Viduam, teneatur eam ducere in matrimonium, vel poſſit dotare, & non contrahere? Reſp. cum *D. Thom.*, *Bonac.*, *De Lugo*, & aliis, quod tenetur contrahere, ſi fæmina ſic vult; & ratio eſt, quia juſtitia commutativa non ſolùm exigit, ut reſtituatur *æquale*, ſed *idem numero*, ſi exiſtit; ſed talis conventio Viri cum fæminâ eſt contractus pertinens ad juſtitiam commutativam, ideſt, *facio*, ut

Digitized by Google

ut facias: ergo &c. Hæc doctrina tamen limitatur in pluribus caſibus, inter quos: 1. Si Vir adeò excedit conditionem fœminæ, ut hæc prudenter advertere potuerit fictionem; 2. ſi ex verbis, vel aliis conjecturis, facilè cognoſcere poterat falacem animum ficti promiſſoris, quia in his duobus caſibus, fœmina voluntariè ſe expoſuit deceptioni; 3. quando ex tali matrimonio, magnum ſcandalum probabiliter timetur; 4. quando fœmina decepit Virum; puta, fingendo ſe Virginem, cum talis non eſſet; & in hoc caſu non tenetur contrahere, licèt promiſſio fuiſſet vera, & non ficta; immò non tenetur, nec etiam dotare, vel aliquid dare ex juſtitiâ, quia una deceptio, alterâ deceptione, licitè commenſurari poteſt, ut paſſim dicunt DD.: ſi poſteà fœmina non decepit Virum, ſed iſte ſe ipſum decepit, putando talem fœminam Virginem, cum talis non eſſet: juxtà communiorem DD. ſententiam tenetur Vir dare, quantum valere poterat conſenſus fœminæ pro copulâ habendâ cum tali fœminâ, qui conſenſus exiſtimari debet juxtà qualitatem Perſonæ, & aliàs circumſtantias: ità *De Lugo* &c. 5. quando fœmina poſt copulam, cum alio fornicata eſt; & hoc, licèt promiſſio fuiſſet vera: immò nec tenetur dotare, quia Vir per talem contractum, ſe obligavit ad matrimonium, & non ad dotem. Prædicta quo ad præſentem tractatum de Sponſalibus deſumpſi ex communiori DD., quos non citavi, & brevitatis gratiâ; & quia ſunt ad menſuram rectæ rationis.

Sponſalia diſſolvuntur duodecim de cauſis: 1. per ingreſſum in Religionem; 2. votum ſimplicis Religionis, vel caſtitatis; 3. votum ſimplex Sacrorum Ordinum; 4. ætas; 5. lapſus termini; 6. diſceſſus in longinquum; 7. dolus; 8. metus; 9. Matrimonium ſubſequens, cum aliâ celebratum; 10. fornicatio ſuperveniens; 11. mutuus conſenſus; 12. conditio non adimpleta. De quibus ſingulis, vide ***Bonac. tom. 1. de Matrim. quaſt. 1. de Sponſ. tom. 4. propo. 1., & ſeqq.***

Quæritur primò. An poſſit imponi pœna ſolvenda, à frangente fidem Sponſalium? Reſp. cum diſtinctione, & primò cum communi DD. ſententia *negativè*, ſi pœna qualiſcumque ſit, imponitur antequam Sponſi promittant, & contrahant; & hoc ne, quôcumque modo lædatur libertas matrimonii. Reſp. 2. etiam *negativè*, ſi poſt contracta Sponſalia, imponitur *juſtè* frangenti fidem Sponſalium; & *affirmativè*, ſi imponitur *injuſtè* frangenti fidem Sponſalium; & hæc opinio eſt communior inter DD., &

præ-

præſertim *Leandri* tract. 9. diſp. 1. quæſt. 52., *Dianæ* 3. parte tract. 4. reſol. 211., *Baſil.* lib. 12. cap. 19. num. 8. *Palavi* n. 3., qui citat Suarium, & alios. Quod *juſtè* imponi poſſit pæna illi, qui poſt datam fidem Sponſalium, *injuſtè* illorum fidem frangit; & quod *juſtè* imponi nequeat illi, qui *juſtè* frangit; nullum debet eſſe dubium, idipſum dictante rectâ ratione.

Quæritur ſecundò. Cujus expenſis ſit petenda diſpenſatio, ſi inter Sponſos adſit; vel ſuperveniat impedimentum dirimens? Reſp. primò, quod ſi impedimentum erat notum utrique contrahenti antequam contraherent matrimonium; utriuſque contrahentis expenſis petenda eſt diſpenſatio, niſi inter eos aliud ex utriuſque liberâ voluntate ſtatutum fuiſſet: Si uni tantùm Sponſo erat notum impedimentum, & doloſè illud non manifeſtavit; iſtius expenſis petenda eſt diſpenſatio, ut colligitur ex *Sanchez lib. 5. de Matrim. diſp. 5. num. 37., & lib. 7. diſp. 36.* Si poſteà impedimentum ſupervenit Matrimonio jam contracto, & ſinè utriuſque culpâ, ut ſi tale impedimentum ſciretur ſolùm poſt contractum matrimonium; utriuſque Sponſi expenſis æqualibus peti debet diſpenſatio: idem dic. eſt, ſi ex utriuſque culpâ, ſuperveniret matrimonio impedimentum: & ſi unius culpâ tantùm; iſtius expenſis ſolùm, peti deberet diſpenſatio: ità *cit. Sanchez*, cujus probationes omittuntur, cum omnia ſint ad dictamen rectæ rationis.

Sponſio, ſeù ſcommeſſa *eſt contractus, quo ſpondentes, mutuo ſibi invicem aliquid promittunt in aliquem eventum incertum, præteritum, vel futurum*: ità in re communiter; ut ſit licita; tria requiruntur: 1. æqualitas incertitudinis ex utrâque parte; 2. æqualitas in re, quæ ſpondetur; 3. quod utraque pars, accipiat in eôdem ſenſu id, de quo certatur.

Quæritur, an quis certus de veritate rei, circà quam ſit ſcomeſſa, poſſit licitè, & juſtè ſpondere? Jam ex primâ conditione appoſitâ, habetur reſponſio *negativa*: attamen ſi altera pars pertinaciter contradicit, & vult ſpondere; ſi hìc incipit formidare de veritate rei; quâcumque de causâ formidet, & dubitet; poterit licitè ſpondere, & juſtè lucrari, ut cum aliis tenet *De Lugo diſp. 31. de Juſt., & Jure ſect. 1. num. 79.* Si poſteà eſt certus de veritate rei abſque ullâ formidine, & dubitatione; & ſic alteri ſeriò proteſtatur, ſe eſſe certum; & hoc non obſtante, ille vult contendere, & ſcommeſſam facere; juxtà plurium DD. opinionem,

talis

talis ſponſio eſt licita, & lucrum juſtum; & ratio eſt, quia in tali caſu, nulla intervenit neque fraus, neque dolus, neque injuria, & conſequenter &c. *De Lugo tamen cit. num.* 18. cum aliis tenet negativam opinionem, quæ tutior eſt, licèt aliàs altera ſit probabilis.

Stuprum propriiſſimè ſumptum, *eſt violenta virginis fœminæ defloratio*: ſi pro defloratione (licèt factâ ſinè vi) intervenit quodcumque genus injuſtitiæ; deflorator tenetur vel nubere, vel dotare, vel damnum aliundè reparare, ut cum *Leſſio*, & aliis probat *Maſtrius diſp. 9. Theol. Moral. num.* 59., quod tamen ſic intelligendum eſt, ideſt, niſi Puella deflorata, æquè cum alio nupſerit, quia in tali caſu deflorator ad nihil tenetur; & ratio eſt, quia de facto Puella, nullum damnum paſſa eſt præter deflorationem, quæ irreparabilis eſt, & aliàs non eſt pretio æſtimabilis: Si Virgo poſteà ſpontè conſenſit ad copulam abſque vi, fraude, dolo, vel promiſſione futuri matrimonii; deflorator in foro conſcientiæ ad nihil tenetur; & ratio eſt, quia volenti, & liberè conſentiente, nulla fit injuria juxtà *reg.* 27. *Juris in* 6.

Subreptio nihil aliud eſt, quàm *expreſſio falſi*; & obreptio, *taciturnitas veri*: Licèt aliqui DD. dicant, quod qui impetrat litteras Apoſtolicas per *ſubreptionem*, vel *obreptionem*; illis pœnis plecti debeat, ſicut ille, qui *falſificat* litteras Apoſtolicas; attamen communior, & probabilior ſententia eſt, quod non incidat in tales pœnas, ſed ſolùm careat impetratis, & hoc expreſsè habetur *in cap. ſuper litt. de reſcript.*

Suffragium *eſt auxilium, quod unus fidelium*; *alteri præbet in remiſſionem pœnæ temporalis*: ut habeat ſuum effectum; tres requiruntur conditiones tàm ex parte ſuffragantis, quàm ex parte ſuffragati: ex parte *ſuffragantis* ſunt ſequentes; 1. ſtatus gratiæ; 2. prævia intentio, licèt virtualis tantùm; 3. quod opus ſit ſatisfactorium, quod generatim triplex eſt; nempè: *oratio*, *jejunium*, & *eleemoſyna*: ex parte *ſuffragati* ſunt ſequentes: 1. quod indigeat ſuffragio; 2. quod ſit in ſtatu gratiæ; 3. quod peccata, pro quibus exhibetur ſuffragium, jam ſint remiſſa quoad culpam; ità communiter DD. Additur tamen, quod ſi ſuffragium eſt *opus ex opere operato* valet, licèt ſuffragans ſit in peccato mortali; & licèt non ſit factum in nomine Eccleſiæ: ſecùs dic. ſi eſt *opus ex opere operantis*, nam requiritur, quod vel ſuffragans ſit in ſtatu gratiæ; vel quod opus ſit factum in nomine Eccleſiæ.

Suffra-

Suffragia pro aliis oblata non ſunt inutilia ſuffraganti; quin potiùs multipliciter illi proſunt juxtà illud Salvatoris in *Matt. cap.5. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Superbia primum peccatum capitale, & radix omnium malorum *eſt appetitus voluntarius perverſæ celſitudinis.*

Superſtitio *eſt Religio ſuprà modum ſervata*: ità in re communiter: duplex eſt: prima eſt, quâ *Deo vero* exhibetur *cultus vanus*; ſecunda eſt, quâ *Deo falſo* exhibetur *cultus*: ad primam reducitur ſuppoſitio falſarum reliquiarum; & falſa aſſertio miraculorum alicujus immaginis ad extorquendas eleemoſynas: ſecunda continet ſub ſe quinque ſpecies; nempè: *idolatriam*; *magiam*; *divinationem*; *vanam obſervantiam*; *& maleficium*: ità cum communi *Filli. to.2. tr.5. nu.4.*

Superſtitio ex genere ſuo, eſt peccatum mortale, tùm quia exindè gravis irriverentia infertur Deo; tùm quia ſunt falſitates pernicioſæ, quæ multoties, ab Hæreticis finguntur.

Ad cognoſcendam ſuperſtitionem quinque aſſignantur regulæ; 1. quando adeſt aliquid pertinens ad invocationem dæmonum; 2. quando continet nomina ignota; 3. quando continet aliquid falſitatis; 4. quando cum verbis ſacris, continentur vana; 5. quando ponitur ſpes in modo.

Suſpenſio *eſt Eccleſiaſtica cenſura, quâ Perſona Eccleſiaſtica privatur uſu Eccleſiaſtici Officii, aut Beneficii*: ita in re communiter.

Suſpenſio alia eſt *latæ Sententiæ*; alia *ferendæ*; & utraque alia eſt ab *Officio* ſolùm; alia à *Beneficio* ſolùm; & alia ab *Officio*, & *Beneficio* ſimul: Per ly *Officium* intelligitur tàm Officium *Ordinis*, quàm *Jurisdictionis*; & per ly *Beneficium* intelliguntur Dignitates Eccleſiaſticæ; Canonicatus; Beneficia Curata, & ſimplicia: utraque, ideſt, tàm ab Officio, quàm à Beneficio, aliquando eſt à *toto*, aliquando à *parte* ſolùm: aliquando ad *tempus*; & aliquando in *perpetuum*.

Quicumque poteſt excommunicare, poteſt etiam ſuſpendere: Subjectum ſuſpenſionis eſt quilibet Eccleſiaſticus, excepto Romano Pontifice, qui à nemine judicari poteſt.

Suſpenſus ab Ordine *minori*, intelligitur etiam ſuſpenſus à *majori*, non tamen e contrà: Suſpenſus ab *Ordine*, intelligitur etiam ſuſpenſus à *Juriſdictione*; & ab *uſu fructuum Ordinis*: Suſpenſus *in perpetuum* ab Ordine, intelligitur etiam ſuſpenſus à *Beneficio*.

Si

S

Si ſuſpenſus ab Ordine *ſolemniter* exercet talem Ordinem, peccat mortaliter, & fit irregularis: Suſpenſus ab *Officio*; licèt miniſtrare nequeat Sacramenta; poteſt tamen illa recipere, ſicuti etiam Indulgentias, & ſeppelliri in loco ſacro.

Suſpenſus ab *ingreſſu Eccleſiæ*, intelligitur ſuſpenſus à poteſtate exercendi Ordinem, & audiendi Divina Officia in Eccleſiâ: Suſpenſus à Divinis Officiis, poteſt illa audire tamquam Laicus.

Vitare ſuſpenſos ſub mortali; eſt ſolùm quando illis inſervitur ad Altare; vel quando inducuntur ad exercendum id, in quo ſunt ſuſpenſi.

Pro ſuſpenſione non eſt neceſſaria triplex monitio, ſed ſolùm requiritur, quod citatâ parte conſtet priùs de delicto; quod ſi poſteà adeſt contumacia; tunc requiritur triplex monitio.

Suſpitio *eſt opinio, quâ quis opinatur citrà certitudinem*: ex duplici causâ oriri poteſt; nempè: ex *odio Perſonæ*, circà quam verſatur ſuſpitio; & ex *errore intellectus*: primo modo eſt mortaliter peccaminoſa, ſi tamen verſatur circà materiam gravem, & cum plenâ advertentiâ: ſecundo modo non eſt, niſi venialiter peccaminoſa, niſi Perſona circà quam verſatur, eſſet in communi exiſtimatione venerabilis, quia tunc eſt mortaliter peccaminoſa, ſi eſt de materiâ gravi, & cum plenâ advertentiâ.

Alex. VIII. Propoſ. damn. 21. in ordine: Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt de imponendâ nimis levi, & incongruâ pænitentiâ, ſeu ſatisfactione ob quæſtum, vel lucrum ſubſidii temporalis.

Suſuratio *eſt locutio facta ad tollendam amicitiam, quæ eſt inter aliquas Perſonas*: ex genere ſuo, eſt mortaliter peccaminoſa, licèt aliàs duo excuſent; nempè: inadvertentia actualis; & quando eſt facta cum fine recto, tollendi pravam, & noxam amicitiam, quæ verſatur inter aliquas Perſonas.

In ſuſſuratione non datur parvitas materiæ, ſi tamen prævidetur, quod licèt parva, & levis; erit ſufficiens ad tollendam bonam, & honeſtam amicitiam, quæ eſt inter aliquas Perſonas.

Suſſuro tenetur, in quantùm poteſt, reconciliare amicitiam inter illas Perſonas, quas ſuis ſuſſurationibus, disjunxit à mutuâ charitate.

Tem-

T

Temperantia, ut Virtus Cardinalis, eſt quâ quis refrenat inordinatos appetitus, & concupiſcentias corporis, præſertim circà guſtum, & tactum: ità in re communiter: ejus ſpecies ſunt tres; nempè: *Abſtinentia*; *Sobrietas*; & *Caſtitas*.

Tentatio duplex eſt; nempè: *Probationis*, & *ſeductionis*: Hìc eſt ſermo de *tentatione probationis*, & definitur, quod ſit *actus Religioni oppoſitus, quo quis abſque juſtâ causâ aliquid dicit, vel facit ad capiendam experientiam de Divinâ quâpiam perfectione*; puta, de *Potentiâ*, *Sapientiâ*, *Bonitate*, aliiſque Dei attributis: duplex eſt: *expreſſa*, & *tacita*: prima, ideſt, *expreſſa* eſt, quâ quis aliquid dicit, vel facit cum explicitâ intentione cogendi Deum ad patranda miracula; & hæc eſt peccatum graviſſimum, virtuti latriæ oppoſitum: ſecunda, ideſt, *tacita*, eſt, quâ quis aliquid dicit, vel facit, quod ex ſe, eſt exigitivum miraculorum; & etiam iſta ex genere ſuo eſt peccatum mortale, niſi excuſet ignorantia invincibilis, aut indeliberatio actus, vel parvitas materiæ. Excipiuntur inſtinctus peculiares Spiritus Sancti, juxtà quos operari; non eſt tentare Deum, ſed obedire Deo.

Teſtamentum duplex eſt: *Perfectum*, *& privilegiatum*: Primum, ideſt, *perfectum*, eſt *alicujus voluntatis juſta ſententia de iis, quæ poſt ipſius mortem fieri voluerit, cum directâ hæredis inſtitutione*: ità in re communiter: ſecundum, ideſt, *privilegiatum*, eſt illud, quod licèt careat ſolemnitatibus, Jure communi requiſitis; ex privilegio tamen, eſt validum ad pias cauſas.

Teſtamentum perfectum dividitur in *Paganum*, & *Militare*: Primum, ideſt, *Paganum* eſt illud, quod fit domi in pace; ſecundum, ideſt, *Militare* eſt illud, quod fit à Militibus in Caſtris: *Paganum* dividitur in *ſcriptum*, *& nuncupativum*: Primum, ideſt, *ſcriptum*, eſt illud, quod fit in ſcriptis, & ad cujus validitatem ſex requiruntur conditiones: 1. Hæredis inſtitutio; 2. ſeptem teſtes; 3. quod teſtes ſint tales, quod non excipiantur in Jure; 4. quod ſint rogati (& hoc ad excludendam omnem ſuſpitionem, & ſubornationem); 5. ſubſcriptio, & ſubſignatio talium teſtium; 6. veritas contextus de viſu, & auditu. Secundum, ideſt, *nuncupativum*, eſt illud, quo oretenùs exprimitur hæres coram teſtibus, ad cujus validitatem requiruntur illæ conditiones, quæ requiruntur ad validitatem Teſtamenti ſcripti, ex-

ceptis Scripturâ, & ſubſcriptione cum Teſtium ſubſignatione.

Si Teſtamento *perfecto* deſunt ſolemnitates Juris Civilis; in foro conſcientiæ eſt *validum*, antequam tamen per Judicis ſententiam irritum declaretur; & eſt *invalidum* etiam in foro conſcientiæ poſt irritativam Judicis ſententiam: hæc opinio (quæ etiam videtur probabilior) eſt *Layman lib. 1. tract. 4. cap. 17. Soti*, & plurium aliorum; & eſt media inter illam aſſerentium, eſſe *invalidum* etiam *antè* irritativam Judicis ſententiam; & illam dicentium, eſſe *validum* etiam *poſt* irritativam Judicis ſententiam.

Ad Teſtamentum *privilegiatum*, non ſunt neceſſarii ſeptem teſtes, aut aliæ ſolemnitates Juris Civilis; ſed illa ſufficiunt, quæ ſunt de Jure naturæ, & Gentium cum duobus teſtibus; & ità fuit deciſum, ut patet ex *cap. Relatum 12. de Teſtam.* Prædicti duo teſtes, non ſunt tamen de formâ *ſubſtantiali*, ſed tantùm de *probatoriâ*, ut probat *Fagnan. ex cap. Relatum 12. n.8. & ſeqq. de Teſtam.*

Teſtamentum inter *Liberos*, quod, ſcilicet, conficitur à Patre, Matre, vel aliis aſcendentibus inter Liberos, eſt *privilegiatum*, dummodo voluntas Teſtatoris, ſit ſufficienter declarata, ut conſtat ex *l. hac conſultiſſimâ §. Ex imperf. C. de Teſtam. n.12.*

Teſtamentum *Militis*, quando in bellicâ expeditione conſtitutus, condidit Teſtamentum; eſt *privilegiatum*, dummodo de ejus ultimâ voluntate legitimè conſtet; aut per duos teſtes idoneos probari poſſit: idem dic. de *Ruſticis* ex causâ neceſſitatis, ut habetur ex *l. ult. C. de Teſtam.*, & de Teſtamento coràm Supremo Principe condito; vel eidem per oblatas preces inſinuato, atque ad acta publica relato, ut habetur ex *l. Omnium C. de Teſtam.*, quæ omnia intelligi debent ſecundùm *Jus commune Cæſareum*, ſecluſis ſpecialibus locorum conſuetudinibus, Statutis, & Regnorum legibus.

Teſtamentum principaliter conditum ad Pias cauſas, eſt *privilegiatum* etiam pro Legatis non Piis: ità *Layman Theol. Moral. cap.2. n.10.*: idem dic. de Teſtamento, condito ad cauſas non Pias quo ad Legata Pia, in eodem relicta: ità *Laym. cit. n.2.*, & *Engel. n. 19.*, *& ſeqq.*

Legata ad Pias cauſas, impleri debent, licèt Teſtamentum ex aliquo accidenti intermedio, perfici non potuerit: ità *Petra num. 491. cum cit. Laym. n.6.*

Fal-

Falcidia, non detrahitur à Legatis Piis; & ratio eſt, quia detractio Falcidiæ provenit ſolùm ex *Jure Civili*, quod ex defectu poteſtatis Eccleſiaſticæ, Loca Pia neque ligat, neque eis præjudicium aliquod afferre valet: ità *Petra num.*77., Layman *cap.*2. *in fine*; Jo: de la Crux *direct. conſcient. præcep. part.* 1. *art.* 3. §. *Circà Teſtam. num.* 8. *con.* 3., & alii. Filii tamen, quia ſunt hæredes neceſſarii, etiam de Legatis ad Pias cauſas, deducere poſſunt *legitimam*, ſi aliàs ex hæreditate, ſibi quarta pars non remanet: ità *Sperell. deciſ.*32. *n.*7., *& ſeqq.*

Eccleſia hæres inſtituta, non conficiens inventarium, non tenetur ſuprà vires hæreditatis; & ratio eſt, quia *Eccleſia*, quantum ad hòc, non debet eſſe minùs privilegiata, quàm *Fiſcus*, qui ultrà vires hæreditatis, non adſtringitur, ut ait *Peregrin. de Jure Fiſci lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 3. cum *Sperell. deciſ.* 135. *n.* 19. Idem dic. ſi hæres eſt *Clericus*, dummodo recipiat hæreditatem *nomine Eccleſiæ*: ità *Sperell. cit. n.* 21.

Legatum relictum prò dote *Puellarum* ſolvendum: *quando ſi Monacheranno*, aut: *quando faranno la Profeſſione*; diſtribui nequit Puellis, ingredientibus Collegium *Tertiariarum*, in quo ſub obſervantiâ Regulæ cum voto ſimplici caſtitatis in communi vivunt, ſed abſque obligatione Clauſuræ, ut conſtat ex *Decreto Sac. Congr. Conc. emanato* 8. *Junii* 1696.

Legatum relictum pro *Monachandis Puellis*, diſtribui nequit pro *maritandis*; & ità cenſuit *Sac. Cong. Conc. in Romanâ ſubſidiorum* 30. *Maji* 1699.: E contrà; Legatum relictum pro dote *nubendarum*, diſtribui poteſt Puellis *Monachandis*, ut tenent plures DD. citati à *Monacell.*; & ratio eſt, quia eſt res, matrimonio ſpirituali favorabilis.

Pacta, ut Eccleſiæ retinere nequeant Bona, ipſis, à Teſtatore relicta, ſunt *invalida*; & quidem, quo ad pacta reſpicientia *Eccleſias*, vel *Conventus jam fundatos*: conſtat ex *cap. Ambitioſi de rebus Eccleſ. non alienandis*; & circà *Eccleſias*, vel *Monaſteria erigenda*: liquet ex *cap. Adverſus*; *cap. Non minùs de Immunit. Eccleſ.*

Si in Teſtamentis ad *Pias cauſas*, eſt neceſſarius Judex: res agenda eſt coràm Judice Epiſcopali, licèt hæres ſit laicus, qui in hac re, forum Eccleſiaſticum declinare non valet, ut cum pluribus aliis tenet *Engel.n.*24. Hoc tamen intelligendum eſt in caſu, ſi daretur hæredis, & executoris teſtamentarii mora.

Epiſcopus circà Teſtamenta, & Legata merè prophana ſuam authoritatem interponere non poteſt, niſi in *caſu ſubſidii*, quando, ſcilicet, Magiſtratus ſæcularis, negligit miniſtrare juſtitiam; cujus ratio eſt, quia in tali caſu committitur peccatum grave contrà juſtitiam, dùm juſta, & ultima voluntas defuncti (quæ aliàs habet vim legis), non adimpletur: Cum autem detur in Epiſcopo Juriſdictio etiam in Laicos ratione peccati, ut conſtat ex *cap. Novit. de Judiciis* &c. indè ſequitur &c.

In caſu, quo apparerent duo Teſtamenta, & ignoraretur, quodnam eorum eſſet priùs, vel poſteriùs; illud eſſet credendum poſteriùs, quod exhiberet piam cauſam inſtitutam, vel Legata Pia: quod ſi in neutro cauſa, vel Legatum Pium reperiretur; utrumque propter incertitudinem caſſari deberet ex obſervatis à *Layman cap.4. n. 2.*, ac proindè hæredes ab inteſtato ſuccederent.

Teſtamentum ſecundum deſtruit priùs conditum: *§. Poſterio. Inſtit. Quibus mediis Teſtam. in fine*; & hoc licèt in primo fuerint adhibitæ *ſolemnitates Juris Civil.* Ità *Laym. cap.4. num.2.*, & Petra *ſect. 3. num. 87.*, atque idem *num.30.* advertit, quod ſecundum ſolemne prophanum, revocat primum pium, ſi concurrant indicia, & conjecturæ revocationis; neque requiritur expreſſa derrogatio, ſed ſufficiat ſimplex voluntas contraria, pro ut ibidem nonnullis etiam *Sacræ Rotæ deciſionibus cumulatis*; & ratio eſt, quia per primum Teſtamentum, Teſtator non transfert abſolutè dominium; ſed cum implicità ſubordinatione ad hoc, ideſt, ſi non aliter poſteà diſponit, ut cum aliis tenet *Pontius Theol. diſp. 54. q. 4. concl. 3. n. 16.*

Clerici ſæculares *ſpectato jure communi*, teſtari nequeunt de Bonis, merè Eccleſiaſticis; vel de illis diſponere *mortis causâ*, nec etiam *ad pias cauſas*; ſed ea relinquere debent Eccleſiæ, quæ in talibus Bonis ſuccedit: ita communiter DD., & clariſſimè conſtat ex *cap. Ad hæc*; *De teſtam.* De licentiâ Papæ poſſunt: Idem juxtà communiorem DD. dic. eſt, ubi viget conſuetudo non ſolùm ad *pias cauſas*, ſed etiam *prophanas*, ut probat *Leſſius lib.2. de Juſt., & Jure cap.19. nu 44.*, cui adhærent *Zoeſius, Covaru.*, & plures alii, taliter quod Judex adjudicando relicta hæredibus inſtitutis; iſti recipiendo hæreditatem, tuti ſunt in conſcientiâ, licèt aliàs ipſi Clerici ad prophana de Bonis merè Eccleſiaſticis diſponentes peccent mortaliter, vel venialiter juxtà quantitatem gravem, vel levem.

Pa-

Parocho, vel Confeſſario, qui poſt mortem Parochiani, vel Pœnitentis ſui, legata notavit manu propriâ ſinè ullo teſte, credendum non eſt, ut communiter tenent Legiſtæ: ſi producit ſchedulam, quam dicit, eſſe ſcriptam à Parochiano, vel Pœnitente; illi credere æquum eſt, dummodo tamen, ut talis ſit recognita: ita communiter DD.

Teſtis conditiones ſunt tres; nempè: *obligatio*; *repulſa*; & *culpa*: Circà *obligationem* ſit, & nota benè: Quando delictum eſt grave, & contrà publicum, vel privatum bonum; & eſt in fieri, aut in procinctu, quod fiat; quilibet tenetur dicere veritatem, etiam ſi non ſit *juridicè* interrogatus: Si delictum jam præteriit, & eſt emendatum; nemo tenetur dicere veritatem, niſi ſit *juridicè* interrogatus.

Circà *repulſam*: Teſtis repelli poteſt pluribus de cauſis, quæ fusè à DD. enumerantur, & præſertim ab *Ameno de Delictis, & pænis*, ſed ſingulariter propter *inimicitiam*, ut etiam habetur ex *cap. Meminimus*; *cap. Repellantur*; *De accuſationibus*.

Circà *culpam* ſit, & nota benè: Si teſtis, *ſcienter* dicit falſitatem; peccat mortaliter contrà juſtitiam, ſi agitur de re gravi; & conſequenter tenetur ſe retractare cum æquali ſuo damno; & ſi cum ſuâ retractatione, prodeſſe non poteſt illi, cui cum ſuâ falsâ teſtificatione damnum intulit; tenetur in tali caſu compenſare omnia damna: Si *ignoranter*, ſed *culpabiliter* dicit falſitatem; etiam in hoc caſu peccat mortaliter contrà juſtitiam; & licèt non teneatur ſe retractare, tenetur tamen reſarcire omnia damna: Si *ignoranter*, & *inculpabiliter* dicit falſitatem; neque peccat, neque tenetur ad damna: ita communiter DD.

Quando tertia perſona patitur damnum injuſtè: quicumque peccat mortaliter contrà charitatem, ſi dicendo veritatem, illum eripere poteſt à tali damno, & non dicit; & hoc licèt non ſit requiſitus ad teſtificandum, dummodo tamen probabiliter ſperet ſe profuturum, & aliàs non ſibi timeat aliquod grave damnum.

Si teſtis pro dicendâ veritate, recipit pecuniam; peccat mortaliter, ſi eſt in quantitate gravi, licèt aliàs non teneatur ad reſtitutionem, niſi poſt declaratoriam Judicis ſententiam, eo quia talis reſtitutio eſt pœnalis, ut dicit *Rotarius* citans *Clavem Regiam*: Si ob teſtificandum patitur aliquod damnum; puta, itinerando; ab arte ſuâ deſiſtendo, & hujuſmodi; licitè ad ratam damni paſſi, recipere poteſt.

The-

Theſauri Sanctæ Eccleſiæ nomine, intelligitur Theſaurus Spiritualis, conſtans in primis ex meritis, & ſatisfactionibus D.N.J.C., quorum valor, cum ſit infinitus; ideò talis theſaurus numquam exhauriri poterit: His ex Divinâ dignatione, adduntur merita SS. Virginis Dei Genetricis Mariæ, cæterorumque Sanctorum, quorum merita (quo ad vim ſatisfactoriam) irremunerata remanſerunt.

Theſaurus temporalis, *eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ita quod Dominum non habeat*: Ita ex *l. Numquam ff. de acquirendo rerum dominio*.

Theſaurus inventus: *Jure naturali, & Gentium*, eſt primi occupantis: *Jure Civili*; procedendum eſt cum diſtinctione, nam ſi eſt inventus in proprio fundo; eſt inventoris: Si in fundo alieno, & fortuitò inventus; media pars eſt inventoris, & alia media pars Domini fundi, ut expreſsè habetur in *Jure Civili l. 1. C. de theſau. lib. 10., & §. Theſaurus Inſtit. de diviſ.*: ſi in fundo alieno inventus non fortuitò, ſed datâ opera; totus eſt Domini fundi; & inſuper inventor eſt puniendus: ſi eſt inventus per artem magicam diabolicam; totus adjudicari debet Fiſco poſt Judicis ſententiam, & hoc in pænam peccati, ut clarè conſtat ex *cit. l. C. de theſau. lib.* 10, & communiter DD.: inventus in proprio fundo, quem quis conſultò emit, eo quod certò ſciebat, ibi eſſe theſaurum; eſt inventoris juxtà illud Salvatoris in *Matt. cap.* 13.

Circà aves Cæli; feras terræ, & piſces fluminum, & ſtagnorum &c. licèt *Jure Gentium* ſint primi occupantis: ex rationabili tamen causâ poſſunt Principes aliis interdicere in uno, vel alio loco venationem, & piſcationem, ut patet ex receptiſſimâ praxi, nam in pluribus Dominiis, Principes talem prohibitionem faciunt; & conſequenter tranſgreſſores peccant contrà juſtam legem prohibitoriam, ac proindè tenentur ad juſtam compenſationem, ſi conſideratis conſiderandis, agitur de re gravi, licèt aliàs acquirant dominium Feræ, Avium, vel Piſcium, & conſequenter ad iſtorum reſtitutionem non teneantur: ità cum pluribus aliis *Sannig. diſp. 6. de Juſt. q. 2. n. 14.*

Fera, vel Avis laqueo intricatæ, aut Piſcis naſsâ incluſus: ſi taliter ſunt incluſi, quod fugere non poterant; ſi ab alio, quàm à ponente laqueum, vel naſſam eruuntur, peccat mortaliter contrà juſtitiam, ſi agitur de re gravi: ſecùs dic. ſi incluſio erat talis, quod fugere poterant; & ratio eſt, quia tali modo cenſentur habere

bere naturalem libertatem, & conſequenter ſpectare ad primos occupantes.

Tyrannus duplex eſt; nempè: *Dominio*, & *Adminiſtratione*: primus licèt juxtà Dianam, & *Maſtrium diſp. 8. Theol. Moral. q. 2. n. 27.* impunè interfici poſſit, ſi aliâ viâ expelli non poteſt; attamen *Filli. tom. 2. tract. 28. cap. 1. num. 14.* dicit, ſolùm eſſe licitum occidere *Tyrannum Dominio*, quandò actualiter invadit Regnum, & non quando Regnum pacificè poſſidet, quia in tali caſu reſſolutio tàm gravis remittenda non eſt privato judicio, ſed publico totius Regni.

Traditionis nomine intelligitur *quædam doctrina ad Religionem ſpectans, quæ tamen expreſsè in Sacrâ Scripturâ non reperitur, neque ex illâ clarè deducitur*: Dividitur in *Divinam*; *Apoſtolicam*, & *Eccleſiaſticam*: Prima, ideſt, *Divina* (quæ etiam appellatur *Verbum Divinum non ſcriptum*) eſt illa, quam Apoſtoli immediatè à Spiritu Sancto, vel ex Jeſu Chriſti ore acceperunt; & ab iiſdem Apoſtolis promulgata, & nobis continuatâ, & nunquam interruptâ ſucceſſione pervenit; & hæc traditio Divina, verſatur potiſſimùm circà materiam, & formam Sacramentorum, & alia hujuſmodi. *Traditio Apoſtolica* eſt illa, quæ ab Apoſtolis fuit inſtituta cum aſſiſtentiâ Spiritus Sancti, ut Jejunium Eccleſiaſticum, certis temporibus ſervandum, & alia hujuſmodi. *Traditio Eccleſiaſtica*, eſt quædam conſuetudo antiqua, ab Epiſcopis, vel Populo fideli, in Eccleſiam introducta.

Sanctus Clemens, qui electus fuit Papa anno 93. primi ſæculi, ſcripſit librum, in quo ſimul cum multis Conſtitutionibus, ſcripſit *Apoſtolicas Traditiones*, quas ipſemet audierat ab Apoſtolis, quorum fuerat familiaris, ſocius, & Coadiutor (ut teſtatur Apoſtolus, ſic ſcribendo ad Philippenſes: *Etiam rogo, & te Germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio, cum* Clemente, *& cæteris adjutoribus meis, quorum nomina, ſunt in libro vitæ*); quapropter in ſcribendo talem librum habere nequivit majori fide dignos Magiſtros, quàm ipſos met Apoſtolos, nam iſti immediatè à Jeſu Chriſto, & Jeſus Chriſtus à Deo; undè de *Traditione*, meritò ſic ſcripſit *Tertullianus* de præſcrip. cap. 20. *Eccleſia ab Apoſtolis; Apoſtoli à Chriſto; Chriſtus à Deo ſuſcepit*. Talis liber ab Antiquitate fuit ſemper recognitus ut partus S. Clementis, ut teſtatur ibidem idem *Tertullianus*, licèt poſteà fuerit notabiliter vitiatus ab *Ebionitis*, ut dubio-

Digitized by Google

dubioſam redderent in Eccleſiâ *Traditionem*; & hæc fuit vaferima Satanæ ars, nam fortaſſis, nulla fuiſſet inter Chriſtianos hæreſis, ſi Traditio acceptata fuiſſet, ut regula dogmatum, & vera Sacræ Scripturæ interpres, nam Sacra Scriptura propter ſuam obſcuritatem, in multis rebus non eſt ſufficiens ad convincendum ſinè lumine, quod recipit ab illâ (ideſt, Traditione), quam Juriſprudentes appellant *Reginam interpretationum*, ideſt, ab obſervantiâ aut in operando, aut in credendo, quod determinat Eccleſia, quæ obſervantia habere debet pro teſtibus antiquitates *Traditionis*, ideſt, Summor. Pontificum definitiones; & vetuſtorum Patrum ſenſum, ſicuti evidenter patet ex hoc, quod licèt nihil tenendum ſit de Fide Divinâ à Chriſtianis, quod explicitè, vel ſaltem implicitè non contineatur in Sacrâ Scripturâ; attamen adſunt in ipſâ Sacra Scriptura aliqui articuli, neceſſariò credendi neceſſitate medii, qui non ſunt clarè contenti in Sacrâ Scripturâ, nec ab illâ deduci poteſt conſequentia totaliter evidens, ut ſunt myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C., quæ potiùs ſunt indicta à Sacrâ Scripturâ, quàm manifeſtata, nam textus conſiderabiliores Evangelici, quibus uſi ſunt Orthodoxi Patres, & præſertim in Generali Æcumenico Concilio Nicæno primo ad probandam contrà *Arium unitatem Eſſentiæ Divinæ*, *& Conſubſtantialitatem Divinarum Perſonarum*, ſunt illi, quos refert *S. Joannes in cap. 5.*, nempè: *ſed & Patrem ſuum dicebat Deum*, æqualem ſe *faciens Deo*; & in cap. 10.; nempè: *Ego*, *& Pater unum ſumus*; & tamen ſufficientes non fuerunt ad convincendum *Arium* circà *identitatem Eſſentiæ*, quia *Arius* applicabat illud ly *Ego*, *& Pater unum ſumus* ad unam unitatem, quam ille appellabat: *Unitas intelligentiæ*, eo modo, quo idem Filius Jeſus Chriſtus pro Diſcipulis ſuis poſtulavit à Patre illam unitatem, quam ille habebat cum eôdem Patre, ut legitur in Joanne cap. 17. *Pater Sancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint* unum, *ſicut & nos*, quæ poſtulatio intelligi non poterat de *unitate Eſſentiæ*, ſed de *unitate intelligentiæ*, *amoris*, *& concordiæ*. Et ad probandum contrà *Sabellium* diſtinctionem Perſonarum illud Matt. in cap. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas... baptizantes eos in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*; nam *Sabellius*, talem diſtinctionem Perſonarum attribuebat diſtinctioni *Uſficii*, quo ſub diverſis nominibus, repreſentatur una tantùm Perſona in diverſis operationum ufficiis — Idem dic. circà *profundum*

Incar-

Incarnationis Myſterium, cujus intelligentia maximopere dependet ab intelligentiâ Sanctiſſimæ Trinitatis; cum Incarnatio in hoc conſiſtat, quod ſecunda Perſona, ideſt, Verbum Divinum aſſumpſit carnem humanam, taliter, quod Jeſus Chriſtus, qui eſt terminus talis unionis, ſit ſimul verus Deus, & verus Homo: quapropter pro evidentiâ talis veritatis; eſt ſimpliciter neceſſarium demonſtrare Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Jeſu Chriſti Divinitatem per Sacram Scripturam; quod, ut ſuprà dixi, deduci non poteſt ex Sacrâ Scripturâ, ut conſequentia certa, & infallibilis, licèt ex eo, quod eſt ſcriptum in *Joanne in cap.* 17.; nempè: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant* Te ſolum Deum, *&* *quem miſiſti* Jeſum Chriſtum; *& in Epiſt. ad Philippenſes cap.* 2.; nempè: *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui cum* in formâ Dei *eſſet, non rapinam arbitratus eſt*, eſſe ſe æqualem Deo; *ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens in* ſimilitudinem hominum factus, *& habitu inventus, ut* HOMO, nam prædicti textus, ſunt adeò generales, & obſcuri, quod *Neſtorius* non dubitaverit, eos interpretari ad libitum ſuæ depravatæ voluntatis, applicándo Divinitatem Jeſu Chriſti non ad *eſſentiam cum Deo*, ſed ad *ſimilitudinem, & imaginem Dei*.

Ex prædictis ergo ſequitur, quod ſolum *Verbum Divinum ſcriptum*, ideſt, ſola Sacrâ Scripturâ ſinè fundamento *Verbi Divini non ſcripti*, ideſt, *Traditionis*, non poteſt eſſe regula veritatis Fidei Chriſtianæ, quæ aliàs requiritur, quod ſit clara, & infallibilis, nam licèt citati textus Sacræ Scripturæ ſecundùm litteram intellecti, per ſe non ſufficiant convincere incredulam Hæreticorum pervicaciam; attamen ſi illis additur Traditio (*quæ eſt communis conſenſus Sanctorum Patrum ab Apoſtolis uſque ad præſens tempus*), tàm evidenter demonſtrant Myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C., ut nullus Chriſtianus ea negare poſſit, niſi eſſe velit voluntariè cæcus, & malit, datâ operâ, in Montem offendere, quàm in eum aſcendere, ut ait D. Auguſtinus.

Quamvis moderni Hæretici fideliter credant Myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C. in eo ſenſu, quem tenet, & docet Sancta Romano-Catholica Eccleſia Mater, & Magiſtra omnium Eccleſiarum, quæ Myſteria aliàs ad evidentiam probari nequiverunt ab Orthodoxis Conciliorum Patribus cum ſolâ Sacrâ Scripturâ, ut ſuprà viſum eſt, ſed neceſſarium fuit cum

Digitized by Google

Sacrâ Scripturâ conjungere Sacras Traditiones; & conſequenter deteſtari debeant Arium, Sabellium, & Neſtorium, qui Sacras Traditiones reſpuebant; attamen illorum veſtigia ſequuntur in negando Sacras Traditiones; admittentes ſolummodo Sacram Scripturam, in quâ ſolâ ipſi figunt fundamentum Fidei Chriſtianæ: ſed ſic eis alloquor, quod, ſcilicet, vel negare debent *Verbum Divinum ſcriptum*, ideſt, *Sacram Scripturam*; vel admittere *Verbum Divinum non ſcriptum*, ideſt, *Sacras Traditiones*, & probo ſic:

Eſt de Fide Divinâ extare Sacram Scripturam conſiſtentem in novo, & veteri Teſtamento: ergo eſt de Fide Divinâ dari Sacras Traditiones: ſic probo conſequentiam: Licèt Sacra Scriptura aſſerat, ſe eſſe Divinam: hoc tamen conſtare nequit de certo, quod ſit Divina, niſi priùs habeatur motivum efficax credendi de Fide Divinâ, ipſam Sacram Scripturam, quæ hoc affirmat, eſſe Verbum Dei ſcriptum, quod errare non poteſt; ſed tale motivum aliundè provenire non poteſt, niſi ex continuatâ, ſucceſſivâ, & nunquam interruptâ Eccleſiæ Traditione, quæ teſtatur hos libros, à Deo inſpiratos, & dictatos fuiſſe: ergo ſi de Fide Divinâ creditur, quod extet Sacra Scriptura; de Fide Divinâ etiam credi debet, quod dentur Sacræ Traditiones.

Confirmatur authoritate *S. Auguſtini*, qui *contrà Epiſt. fund.* ad propoſitum, ſic mirabiliter ſcripſit: *Et ego Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas*, ex quibus verbis evidenter infertur, quod non ſolùm dantur Sacræ Traditiones, ſed etiam, quod iſtæ ſunt antiquiores ipſiſmet Evangeliis; in cujus confirmationem refero, quod ſcripſit *Tertullianus* contrà Marcionem Hæreſiarcam cap. 5. *Si conſtat id veriùs, quod priùs; id priùs, quod ab initio, quod ab Apoſtolis: pariter utique conſtabit*, id eſſe ab Apoſtolis traditum, *quod apud Eccleſias Apoſtolorum, fuerat ſancitum*: Et evidentiùs idem Tertull. de cor. mil. cap. 4. ſic: TRADITIO *tibi prætenditur* AUCTRIX; *Conſuetudo, confirmatrix*; *Fides, obſervatrix*; & Chryſoſtomus in hom. 4. Epiſt. 2. ad Theſſ., penè nihil dicendo, prædicta omnia mirabiliter confirmavit ſic ſcribendo: *Eſt* TRADITIO? *Nihil quæras ampliùs*.

Sufficienter probato rationibus ab intrinſeco, quod neceſſariò admitti debent Sacræ Traditiones; talis veritas confirmari debet authoritate Sacræ Scripturæ, & teſtimonio illorum Sanctorum Pa-

Patrum, qui ab iiſdem Hæreticis ſunt venerati, ut Orthodoxi.

In principio Act. Apoſt. ſic legitur: *Primùm quidem ſermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cæpit Jeſus facere, & docere uſque in diem, quâ præcipiens Apoſtolis per Spiritum Sanctum, quos elegit aſſumptus eſt, quibus & præbuit ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis* per dies quadraginta *apparens eis, &* LOQUENS *de Regno Dei*. Hic Sanctus Lucas evidens dat teſtimonium de Verbo Divino ſcripto; & de Verbo Divino non ſcripto: *de ſcripto*, dùm implicitè commemorat Evangelium à ſe ſcriptum; & explicitè apparitionem Jeſu Chriſti Apoſtolis per dies quadraginta: *de Verbo Divino non ſcripto*, dùm dicit, quod in illis apparitionibus Jeſus loquebatur cum Apoſtolis de Regno Dei, nihil addendo, qualia, ſcilicet, fuerint illa eloquia à Jeſu Chriſto cum Apoſtolis facta: ergo talia eloquia de Regno Dei, neceſſariò debuerunt eſſe in ordine ad Eccleſiam ſuam Sponſam, & Animarum ſalutem, pretioſiſſimo ſuo Sanguine redemptarum, niſi temerariè velimus dicere, quod Jeſus Chriſtus ſuperflua locutus fuerit: ergo multa, quæ ab Evangeliſtis non fuerunt ſcripta, ſed oretenùs à Jeſu Chriſto Apoſtolis expreſſa, nihil aliud eſſe poſſunt, quàm illæ Traditiones, quæ ab Apoſtolis continuâ, & numquam interruptâ ſucceſſione uſquè nunc pervenerunt; in cujus confirmationem *S. Dionyſius Areopagita*, qui tempore Apoſtolorum vivebat, & fuit Diſcipulus Sancti Pauli in *lib. de Eccleſ. Hierar. cap.* 1. ſic ſcripſit: *Primi illi Sacerdotalis muneris Duces* (ideſt Apoſtoli), *ſumma illa, & ſubſtantialia, partim* ſcriptis; *partim* non ſcriptis inſtitutionibus, *nobis tradiderunt*.

In Epiſt. 2. ad Theſs. cap. 2. Apoſtolus ſic ſcripſit: *Itaque Fratres tenete* TRADITIONES, *quas accepiſtis ſivè per* SERMONEM, *ſivè per* EPISTOLAM. Certiſſimè ſi error Hæreticorum non eſſet voluntarius, & pluſquam voluntarius ad talem, ac tantam evidentiam, illum deteſtari deberent: Idem Apoſtolus fatetur dari *Traditiones*, dum dicit: *tenete Traditiones*: quales Traditiones? Quas ille & in ſcriptis, & *oretenùs per ſermonem* docuit Theſſalonicenſes. Quid clariùs, & evidentiùs dicere poterat Apoſtolus ad imprimendum in cordibus noſtris, quod præter *Verbum Divinum ſcriptum*, datur etiam *Verbum Divinum non ſcriptum*, ideſt, *Sacras Traditiones*.

Ulteriùs: In fine Epiſt. 2. S. Jo: Apoſt., & Evang. ſic legitur:

Plura habens vobis ſcribere nolui per chartam, & atramentum. Spero enim me futurum apud vos, & OS AD OS LOQUI -- In Act. Apoſt. cap. 11. ſic legitur: *Et totum annum converſati ſumus ibi* (ideſt, Antiochiæ), & DOCUERUNT, (ideſt, Paulus, & Barnabas) *Turbam multam* -- Et ibidem cap. 13. *Videntes autem Turbas, Judæi repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à* PAULO DICEBANTUR -- Et cap. 14. ibidem ſic: *Factum eſt autem Iconii, ut ſimul introirent in Sinagogam Judæorum, &* LOQUERENTUR, *ità ut crederent Judæorum, & Græcorum copioſa multitudo* -- Et cap. 19. ſic: *Ingreſſus autem Sinagogam* (ideſt, Paulus) LOQUEBATUR *per tres menſes* DISPUTANS, *&* SUADENS *de Regno* Dei -- Et tandem in cap. 20. ſic: *Propter quod vigilate, memoriâ retinentes, quoniam per triennium nocte, ac die non ceſſavi cum lacrymis,* MONENS *unumquemque veſtrum.*

Reſpondeant nunc Hæretici, & dicant, an quæ Sanctus Joannes locutus eſt os ad os ſint *verbum divinum ſcriptum?* An quæ oretenùs docuerunt Paulus, & Barnabas ſint *verbum divinum ſcriptum?* An quæ locuti ſunt in Sinagogâ Iconii, ita ut copioſa multitudo Judæorum, & Græcorum crederent, ſint *verbum divinum ſcriptum?* An quæ oretenùs dicebantur à Paulo, & à Judæis contradicebantur ſint *verbum divinum ſcriptum?* An quæ Paulus dixit in Sinagogâ, diſputans, & ſuadens de Regno Dei ſint *verbum divinum ſcriptum?* An monita oretenùs data à Paulo majoribus natu Eccleſiæ (convocatis Mileti) die, ac nocte ſint *verbum divinum ſcriptum?* Et ſi hæc cum veritate aſſerere nequeunt, niſi velint attritâ fronte, & æneo vultu negare veritatem cognitam; credant puro corde, & ore pleno confiteantur, quod præter *verbum divinum ſcriptum,*ideſt, *Sacram Scripturam* datur etiam *verbum divinum* NON *ſcriptum*, ideſt, *Sacra Traditio.*

Licèt ſuperfluum, immò totaliter vanum ſit, poſt Sacram Scripturam, ex quâ cum tantâ evidentiâ eruitur, quod præter *verbum divinum ſcriptum* datur etiam *verbum divinum* NON *ſcriptum*; opere pretium duxi adducere nonnullos ex illis vetuſtis primævæ Eccleſiæ Patribus, qui etiam ab ipſiſmet modernis Hæreſiarchis, & Hæreticis ſunt venerati, ut verè Orthodoxi, non tamen ad finem probandi, quod dentur Sacræ Traditiones, ſed ad magis confundendos Hæreticos.

Sanctus Alexander, qui electus fuit Papa *anno* 121. cum ſuo decre-

decreto confirmavit *Apoſtolicam Traditionem* à S. Cypriano in *epiſt.64.* appellatam *Dominicam Traditionem*, ut in conſecratione Calicis &c. — S. Caliſtus, qui electus fuit Papa *anno 221.* ordinavit, ut juxtà *antiquam Traditionem* ſervaretur jejunium &c. - S. Leo Papa in *epiſt.10.* ſic: Chriſtus in illis quadraginta diebus loquens de Regno Dei... Quid enim aliud quadraginta dierum mora geſtum eſt, quàm ut fidei noſtræ integritas ab omni caligine mundaretur: Patres Conc. Nicæni ſecundi tom. 4. art. 7. ſic: Si quis *Traditionem Eccleſiæ*, ſivè ſcriptam, ſivè *conſuetudine valentem*, non ſervaverit; anathema ſit - In Conc. Chartag. celebrato in 4. ſæculo: eo quia in Can. 2. confirmata fuit lex Celibatus: Illi Patres hanc reddiderunt rationem, nimirùm: *Ut quod docuerunt Apoſtoli, & ipſa ſervavit antiquitas*, nos quoque cuſtodiamus.

Sanctus Epiphanius hæreſ. 61. Non omnia à Divinâ Scripturâ poſſunt accipi: quapropter aliqua in *ſcriptis*, aliqua in *Traditione*, Sancti Apoſtoli tradiderunt — Theodorettus in epiſt. ad Sporadium: Jam diù, & diutiſſimè Orthodoxæ Fidei præcones juxtà *Apoſtolorum Traditionem* Dei Genitricem ore confiteri, & corde credere, nos docuerunt Domini Matrem - S. Auguſt. in epiſt. 118. ſic: Illa *non ſcripta*, *ſed tradita* cuſtodimus, quæ quidem toto Orbe terrarum, dantur intelligi: & contrà Donatum de Baptiſ. lib. 4. cap. ultimo ſic: Quod univerſa tenet Eccleſia; nec Conciliis inſtitutum; ſed ſemper retentum eſt; non niſi *authoritate Apoſtolicâ traditum* rectiſſimè creditur - S. Hieron. in epiſt. 54. ſic: Nos unam quadrageſimam ſecundùm *traditionem Apoſtolorum* cuſtodimus. Hæc Romani Pontifices; Concilia, & Patres eo tempore, ideſt, intrà prima quinque ſæcula, quando etiam juxtà modernos Hæreſiarcas, & Hæreticos vigebat vera Religio, & ſyncerior florebat doctrina; quapropter concludere debeo cum verbis Marciani Imperatoris l. 4. C. de ſummâ Trinit. *Verè impius, atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot Sacerdotum ſententias, opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ eſt in medio, & perſpicuo die commentitium lumen inquirere. Qui enim poſt veritatem repertam, aliquid ulteriùs diſcutit; mendacium quærit.*

Hæretici circà Sacras Traditiones pugnant inter ſe, nam *Szeghedinus in Tab. de Cerem. in genere locorum comm.* ſic ſcripſit *Non eſt negandum, quod aliquæ fuerint* Traditiones Apoſtolorum

rum non ſcriptæ - *Scharpius in ſcript. Reſp. 1. ad objeƈt. 19.* ſic dicit: *Concedimus olim Romanam Eccleſiam pro Illuſtriſſimâ habitam, & à Patribus illi multùm delatum fuiſſe, quia* Traditionem Apoſtolicam *multis ſæculis conſervavit - Calvinus Inſtit. lib.4. cap.10. ſeƈt.20.* ſic impreſſit: *Nec moror, quod alibi idem ipſe Auguſtinus alia quoque* (ideſt Traditiones) *Apoſtolis adſcribit; nam cum nihil præter conjeƈturas habeat; non debet ab ipſis in re tantâ, judicium fieri* -- Scharpius cum aliis concedit, quod ideò *Romana Eccleſia* in vetuſtis ſæculis, fuit habita pro Illuſtriſſimâ; illique à Patribus multùm delatum fuiſſe, quia *Traditiones Apoſtolicas* multis ſæculis conſervavit; ſed ſic eſt, quod ſemper ſucceſſivè, & ſinè ullâ interruptione eas uſque nunc conſervavit, & conſervat; imò ſemper impugnavit, & de præſenti impugnat contrà falſam vetuſtorum, & modernorum doƈtrinam: ergo quod in primis ſæculis à vetuſtis Patribus delatum fuit Eccleſiæ Romanæ; eo, quia conſervabat Traditiones Apoſtolicas, illi debetur & nunc; cum ſemper conſervaverit, & de præſenti conſervet Traditiones Apoſtolicas contrà vetuſtorum, & modernorum Hæreticorum perfidiam — *Calvinus Inſtit. lib. 4. cap. 10. ſeƈt.20.* ſic impreſſit: *Nec moror, quod alibi ipſe Auguſtinus, alia quoque* (ideſt Traditiones) *Apoſtolis adſcribit; nam, cum nihil* præter conjeƈturas habeat; *non debet ab ipſis in re tantà, judicium fieri.* Miror, obſtupeo, & mente excedo, quod Calvinus poſtquam uſque ad aſtra in ſuis ſcriptis extollerit Divum Auguſtinum; ipſum nunc uſque ad inferos dejciat, dicendo, quod in re tantà (qualis eſt *Traditio Sacra*, quàm adſcripſit Apoſtolis) nullum aliud fundamentum habuerit, niſi conjeƈturas? Et quis eſt, qui hoc legens, non deteſtetur perfidum Calvinum, eo quia auſus fuerit ſcribere, quod ille Auguſtinus, etiam ab Hæreticis veneratus, ut Oraculum cæleſtis doƈtrinæ, afferere potuerit, quod Sacræ Traditiones ab Apoſtolis originem habuerunt in ſolis conjeƈturis fundatus? Mentitur mille millies ille perfidus Hæreſiarca, dicendo, quod Sacræ Traditiones tàm Divinæ, quàm Apoſtolicæ, nullum aliud fundamentum habeant præter conjeƈturas, cum tàm evidenter ſint fundatæ in Sacrâ Scripturâ, ut ſuperiùs demonſtravi.

Cum ergo Szeghedinus Hæreticus aliquas (licèt non omnes) admittat Traditiones Apoſtolicas; & Scharpius omnes admittat, ſed ad tempus ſolummodo; Et Calvinus omnes, & interminatè

rejciat;

rejiciat; ideò dixi quod Hæretici circà hunc articulum fidei, non tantùm ſunt inter ſe diſcordes, ſed etiam oppoſiti; & conſequenter inter ſe pugnantes: Et cum Sancta Catholico-Romana Eccleſia ſemper; ubique in Orbe Terrarum, & unanimi ſenſu, & conſenſu crediderit, aſſeruerit, & docuerit; ſicuti & de præſenti ubique, & uniformiter credit, aſſerit, & docet Sacras Traditiones, tàm Divinas, quàm Apoſtolicas credendas eſſe de fide Divinâ; ideò de Hæreticis concludam, dicendo cum D. Auguſtino in Epiſt. 128. ***Inſolentiſſimæ inſania eſt, diſputare, an credendum ſit, quod tota per Orbem credit Eccleſia.***

V

VAna obſervantia, ut ſpecies ſuperſtitionis, ***eſt augurium boni, vel mali ex conſideratione certarum rerum caſu occurrentium, & naturaliter incapacium præſagire***: ità in re communiter: ejus ſpecies ſunt tres; nempè: ***Ars notoria; obſervantia ſanitatum; & obſervantia eventuum***: Ad iſtas tres ſpecies cæteræ ſunt revocandæ, ſivè fiant cum expreſsâ, ſivè cum tacitâ Dæmonis invocatione.

Ars notoria fit, quando per quaſdam verborum ignotorum precationes; certarum figurarum inſpectiones, & alia ſimilia media prorſus inutilia, expectatur ſcientia infuſa quarumdam rerum abſque alio labore.

Obſervantia ſanitatum eſt ſuperſtitio, quâ adhibentur media inania, & inutilia ad ſanandos morbos Hominum, vel Brutorum.

Obſervantia eventuum contingit, quando accidentaliter aliquid accidit, vel occurrit, ex quo Homo ſibi, vel alteri alicujus boni, vel mali conjecturas facit, indeque ſuas actiones moderatur.

Vana obſervantia, & ſingulæ tres ejus ſpecies ex genere ſuo ſunt mortaliter peccaminoſæ, eo quod continent expreſſam, vel ſaltem tacitam ſocietatem, & pactum cum Dæmone, quod ſemper eſt mortaliter peccaminoſum, niſi excuſet ignorantia invincibilis, aut bona fides, ut ait *Bonac. diſp. 3. qu. 5. p. 3.*, & etiam, quando fit ſolùm ex levitate animi curioſitatis causâ, ut ait ***Filliuc. diſp. 24. num. 161.***

Venditio eſt datio alicujus rei pro certo pretio: quot, & quales ſint

ſint conditiones pretii ; poſitæ fuerunt ſub verbo ly *Emptio*: ibi vide.

Venditoris obligationes ſunt quatuor: 1. detegere occultos rei defectus; 2. reſtituere quidquid accepit ultrà juſtum pretium, & damna reſarcire, ſi quæ exindè ſubſecuta ſunt; 3. reſcindere quamcumque obligationem vi, metu, fraude, dolo, factam; 4. tenetur de evictione: Evictio autem eſt rei emptæ; vel ex aliquâ aliâ causâ acceptæ per Judicis ſententiam Jure anteriori alterius abductio: ità *Azorius in ſummâ ad tit. C. de evictionibus*.

Fraudes ex parte venditoris duæ eſſe poſſunt: 1 tegere occultos defectus rei, quam vult vendere; 2. ſupponere perſonam fictam, quæ licitando faciat augere pretium.

Vendi poſſunt res pluris, quàm valent decem de cauſis: 1. ratione lucri ceſſantis; 2. damni emergentis; 3. periculi amittendi pretium, vel recuperandi cum expenſis; 4. ob rationabilem affectum ad rem; 5. ob officium mercatoris; 6. ob penuriam mercium illius ſpeciei, quæ venduntur; 7. ob multitudinem emptorum; 8. ob induſtriam, labores, & pericula in aſportando; 9. ob pænam conventionalem; 10. ob donationem ſpontaneam.

Venditionis contractus diſſolvitur duodecim de cauſis: 1. per errorem circà pretium; 2. circà rem; 3. circà ſubſtantiam rei; 4. circà accidentia, quando error dedit cauſam venditioni; 5. item ſi fuit error in ſexu; 6. in corpore; 7. ſi vis, vel metus gravis dedit cauſam venditioni; 8. ratione ætatis; 9. pacti violati; 10. conditiones non adimpletæ; 11. ratione omiſſionis formæ ſolemnis, quando hæc requiritur de Jure; 12. quando dolus quôcumque modo dedit cauſam venditioni.

Vitium in re venditâ triplex eſſe poteſt; nempè: in ſubſtantiâ; in quantitate; & in qualitate: Item vitium vel eſt manifeſtum, vel eſt occultum: ſi eſt manifeſtum tàm venditori, quàm emptori; res vendi poteſt tanti, quanti valet cum ſuo vitio: ſi utrique parti eſt occultum; contractus eſt validus in foro interno, ſed in externo datur actio judicialis: ſi eôdem modo, ſed venditor proteſtatur, ſe nolle teneri in caſu, quo in re ſit aliquod vitium occultum; contractus eſt validus in utrôque foro: Si eſt manifeſtum venditori, & occultum emptori, ſed aliàs vitium eſt tale, quod ſolâ diligentiâ, quæ ab omnibus communiter adhiberi ſolet, detegi poterat; & emptor, nullam adhibuit diligentiam; contractus eſt validus in utrôque foro, quia in tali caſu emptor, ſibi ipſi imputare

putare debet: ſi adhibuit diligentiam, & vitium detegere non potuit, & hoc conſtat venditori; hic tenetur manifeſtare vitium, & ſi non manifeſtat, contractus eſt nullus, ſi emptor empturus non erat cum tali vitio; & ſi erat empturus, ſed ſolùm tanti, quanti valet cum ſuo vitio; venditor tenetur reſtituere quantum pluris accepit, & etiam reſarcire damna, ſi quæ exindè emptori ſubſecuta ſunt: idem dic. ſi venditor dicit emptori, quod ſub ſuâ fide emat, proteſtando rem carere omni vitio (ſi aliàs de facto habet aliquod vitium, licèt ipſi venditori occultum); & hoc licèt emptor, nullam fecerit diligentiam.

Quamvis pretium illarum rerum, quæ ſolùm ſpectant ad ornatum, & delectationem, dicatur eſſe in arbitrio ementium, & vendentium; hoc tamen intelligendum eſt *citrà fraudem*, ideſt, quod dari debeat æqualis cognitio valoris rei ex utrâque parte; undè ſi v. g. venditor putaret adamantem eſſe brillum, & emptor cognoſcens, quod eſt adamas, illud emeret pretio brilli; teneretur ex juſtitiâ vel reſtituere adamantem, vel ſolvere tantum, quantum à peritis æſtimaretur ſaltem infimo pretio: idem proportionaliter dic. eſt de quâcumque aliâ re: Si utraque pars nullam habet cognitionem valoris rei; contractus eſt validus, quia in tali caſu uterque ſe expoſuit periculo: ità communiter DD.

Officia ſæcularia, quæ nullam juriſdictionem annexam habent, ſed ſolùm nudum miniſterium; puta, *Scribæ*; *Tabellionis*, & hujuſmodi; licitè vendi poſſe, nullum eſt dubium: An etiam licita ſit venditio *electionis* ad *Officium*, vel ad *Legatum*? Reſp. cum diſtinctione, & primò dico, quod quando ab aliquo diſtribuenda eſt pecunia, vel quid æquivalens; non poteſt quis quidpiam accipere propter electionem unius potiùs, quàm alterius, & ſi accipit peccat contrà juſtitiam, & conſequenter tenetur ad reſtitutionem: ità cum pluribus aliis *De Lugo tom. 2. diſp. 44. ſect. 5. dub. 56.*; & ratio eſt, quia ſi aliquid acciperet, non daret totam ſummam diſtribuendam, ut fuit intentio Teſtatoris: dico ſecundò, quod quando diſtribuendum eſt *Officium*; non poteſt quis *licitè* unum potiùs, quàm alterum eligere, eo, quia ab illo recepit pecuniam, licèt aliàs ſi recipit non teneatur poſteà ad reſtitutionem: ità *De Lugo tom. 2. de Juſtit. diſp. 34. ſect. 3. num. 37.*, Leſſius *lib. 2. cap. 14. diſp. 9. num. 24.*, & alii. Hoc tamen intelligendum eſt, dummodo Perſonam idoneam eligat.

Vendere, & emere in die feſto præcepti, eſt licitum in quatuor

caſibus : 1. tempore Nundinarum, ubi eſt conſuetudo legitimè præſcripta; 2. quando venduntur comeſtibilia, & alia neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ, & ad ſanitatem corporis; 3. ratione parvitatis materiæ, vel temporis; 4. quando venduntur bona pauperis ſub haſtâ.

Vendere ſub haſtâ eſt licitum ſervatis tribus conditionibus: 1. quod illa pretii minoratio, non ſit ultrà dimidium; 2. quod præcones vendant in loco publico; 3. quod vendant horâ ſolitâ.

Omnia, quæ pertinent ad hunc tractatum de venditione, & etiam de emptione ſunt juxtà communiorem, & probabiliorem DD. ſententiam.

Veritas *eſt adæquatio rei ad intellectum*.

Vir circà Uxorem peccat mortaliter in ſex caſibus: 1. quando ſinè juſtâ causâ illam retrahit ab impletione illorum præceptorum, quæ obligant ſub mortali; 2. quando illi permittit peccare mortaliter, & non corrigit, cum commodè poſſit, & debeat; 3. quando ſinè legitimâ causâ multo tempore non cohabitat ſecum; 4 quando graviter illam percutit; 5. quando illam afficit verbis injurioſis animo injuriandi, & non corrigendi; 6. quando in illius præjudicium diſſipat, vel non laborat (ſi laborare poteſt), & aliàs ipſius labor eſt neceſſarius ad ejus ſuſtentationem.

Virginitas *eſt in carne corruptibili meditatio perpetuæ incorruptionis*: Virginitas duo importat; nempè: *integritatem corporis*, adeò quod numquam in perpetuum conſentiatur in carnis corruptionem; & *propoſitum* obſervandi *in perpetuum* talem corporis integritatem: De Virginitate quid dicat *Trid.*, vide ſub verbo ly *Caſtitas*.

Virtus *eſt habitus animæ bonus, bonum faciens habentem*: ità communiter.

Voluntarium propriè ſumptum, *eſt illud, quod procedit à voluntate ex præviâ cognitione intellectivâ*: ità in re communiter.

Voluntarium duplex eſt; nempè: *in ſe*, & *in ſuâ causâ*: Voluntarium *in ſe* etiam duplex eſt; nempè: *abſolutum*, & *conditionatum*: Voluntarium *in ſuâ causâ* itidem duplex eſt; nempè: cauſa, ex quâ *ut plurimum* ſequitur effectus, ut mors ex potatione veneni, & ebrietas ex nimiâ vini potatione &c. & cauſa, ex quâ *rarò* ſequitur effectus, ut mors aliquorum adſtantium curioſitatis cauſa ad videndum ictum bombardæ, quæ crepuit.

Ad hoc ut effectus ex *commiſſione* in ſuâ cauſa volitus, ſit peccami-

caminoſus, duo requiruntur: 1. advertentia actualis agentis ad periculum peccandi; 2. quod agens habeat perfectam cognitionem peccati, quia ignorantia, ſi eſt invincibilis, excuſat à peccato: Addo tamen, quod quando actio cæteroquin eſt licita, & aliàs agenti eſt neceſſaria, vel ſaltem utilis; & effectus malus non intenditur, & etiam ſecluſo periculo interioris conſenſus: ex hypoteſi, quod talis malus effectus, etiam prævifus ſequatur, non eſt tamen peccaminoſus; & ratio eſt, quia effectus ſubſecutus præter intentionem agentis; imputari non poteſt illi, qui Jus ſuum proſequitur: ità communiter DD.

Ad hoc poſteà, ut effectus in ſua causâ volitus ex *aliquâ omiſſione* ſit peccaminoſus: juxtà *D. Th.* 1. 2. *q.* 6. *a.* 3. tres conditiones concurrere debent: 1. potentia pro agendo; 2. culpa, vel negligentia in omiſſione agendi; 3. juſtitia, vel alia vera virtus pro debito agendi.

Iſtud peccatum *in causâ* ſivè per *commiſſionem*, ſivè per *omiſſionem*, tunc committitur, quando ponitur cauſa, & non quando ſequitur effectus, dummodo tamen effectus impediri non poſſit, ut eſt communis DD. Limitatur tamen hæc doctrina in ordine ad *pœnas*, vel *inhabilitates* appoſitas à *Jur. Can.*, vel *Civ.* contrà perpetrantes certa crimina, nam iſtæ non incurruntur, niſi *ſecuto effectu*; & ratio eſt, quia leges pœnales ſunt *ſtrictè* interpretandæ, & ſimul etiam intelligi debent verba: *Secuto effectu*, niſi tamen in ipsâ lege aliud exprimatur, ſicuti de facto exprimitur circà *crimina læſæ Majeſtatis*, ut conſtat ex *l. Quiſquis C. ad l. Jul. Majeſtatis*.

Quæritur, an *violentia*; *metus*; *concupiſcentia*; *ignorantia* cauſare poſſint *involuntarium*? Ad primum, ideſt, de *violentiâ*: Reſp. *affirmativè*, cujus ratio eſt, quia cum violentia ex parte patientis excuſet à quâcumque culpâ, ſecluſo tamen interiori conſenſu, ſic etiam cauſat *involuntarium* etiam *ſimpliciter*: Ad ſecundum, ideſt, de *metu*: Reſp. *negativè*, cujus ratio eſt, quia metus, licèt gravis, & cadens in conſtantem Virum, cauſare non poteſt, niſi *involuntarium ſecundum quid*; ſed quod eſt involuntarium ſecundum quid, eſt *voluntarium ſimpliciter*, ut communiter docent Theologi, & Juriſperiti cum *D. Thom.* 1. 2. *qu.* 6. *art.* 6. *ergo* &c. Ad tertium, ideſt, de *concupiſcentiâ*: Reſp. *negativè*, niſi tamen ſit adeò vehemens, ut amentem faciat agentem: Ad quartum, ideſt, de *ignorantiâ*: Reſp. *affirmativè*, ſi eſt *invinci-*

vincibilis; & *negativè* de quâcumque aliâ.

Votum *eſt deliberata promiſſio*, *Deo facta ex voluntatis propoſito*: ità in re communiter: duplex eſt; nempè: *ſolemne*, & *ſimplex*, & utrumque dividitur in ſex ſpecies; nempè: in *perſonale*; *reale*; *mixtum*; *pœnale*; *conditionale*; & *abſolutum*.

Votum, ut ſit validum ſex conditiones habere debet, quarum unâ licèt ſolâ, deficiente, eſt invalidum: 1. quod vovens habeat uſum rationis; 2. quod talis uſus rationis ſit in actu exercito; 3. quod etiam ſufficiat ad peccatum mortale, ideſt, quod vovens perfectè noſcat id, ad quod ſe obligat per votum; 4. quod voveat spontè, & non coactè; puta, ex metu gravi, cadente in conſtantem Virum; 5. quod habeat intentionem ſaltem virtualem ſe obligandi per votum; 6. quod habeat propoſitum ſaltem virtuale, exequendi id, ad quod ſe obligat per votum.

Materia voti quatuor conditiones requirit: 1. quod ſit poſſibilis reſpectu voventis; 2. quod non ſit vana; 3. quod ſit bona; 4. quod non ſit meliori contraria.

Item materia voti alia eſt, quæ eſt præcepta; puta, votum non comedendi carnes in Sabbato; & alia eſt, quæ non eſt præcepta; puta, votum jejunandi in Sabbato: tranſgreſſiò primi duo peccata mortalia importat: unum contrà votum, & alterum contrà præceptum Eccleſiaſticum.

Conditio voti non debet eſſe de re præteritâ, vel præſenti, aliter votum non eſſet conditionatum, ſed abſolutum; neque debet eſſe de futuro neceſſario, ſed de futuro contingenti v. g. ſi potero; ſi licitum erit; niſi Superior auferat obligationem, & hujuſmodi.

Votum *pœnale* (quod eſt illud, quod emittitur ſub conditione alicujus pœnæ ſubeundæ, ſi non ſervatur, v. g. jejunandi in Sabbato, ſi ommittetur recitatio Officii parvi B. V. M.) caret culpâ in tranſgreſſione: 1. propter infirmitatem; 2. propter inadvertentiam actualem; 3. propter oblivionem inculpabilem: Hoc autem verum eſt non ſolùm ſi oblivio, aut inadvertentia fuit de pœnâ, ſed etiam ſi fuit de conditione; 4. quotieſcumque conditio ceſſat eo; quia eſt inepta, vel indifferens, aut impoſſibilis: Ceſſat etiam obligatio pœnæ, quando pœna eſt acceſſoria conditioni, quod etiam verificatur in voto duplicis pœnæ v. g. voveo non ludere ad aleas, & ſi luſero voveo tantam eleemoſynam pauperibus errogandam: adv. tamen, quod quando tranſgreſſio voti eſt ſub pœnâ moderatâ; & aliàs vovens non ſe obligavit voto pro certo tempore determinato;

minato; inadvertentia, & oblivio non excuſant à tali pænâ ſubeundâ.

Obligatio voti pendet ex quantitate materiæ; & ex qualitate intentionis: quâpropter ſi votum eſt de materiâ levi; tranſgreſſio non poteſt cadere ſub mortali, niſi ratione alicujus circumſtantiæ aggravantis in infinitum, aut alicujus finis magni; undè ſi quis emitteret votum non tranſeundi per aliquem vicum; puta, de' *Profumieri*, ne haberet delectationem in ſuavitate odorum: tranſgreſſio non caderet niſi ſub veniali, eo quia materia talis voti, eſt levis: ſi poſteà finis eſſet magnus; puta, ad evitandum periculum peccati mortalis, tunc tranſgreſſio ratione talis finis caderet ſub mortali.

Si poſteà materia eſt gravis, ſed intentio voventis, eſt ſolùm ſe obligandi ſub veniali; tranſgreſſio non cadit niſi ſub veniali, licèt materia ſit gravis.

Tranſgreſſio voti ex genere ſuo eſt ſacrilegium, & mortale, niſi excuſent ſupradicta: ejus tamen obligatio ceſſat in ſex caſibus, 1. per diſpenſationem; 2. per commutationem; 3. per irritationem; 4. per interpretationem ex epichejâ; 5. ex rationabili causâ; 6. per ceſſationem cauſæ finalis, pro quâ emiſſum fuit votum: quando ſcilicet res non permanet in eodem ſtatu, ſed eſt notabiliter immutata.

Alieno voto, nemo tenetur, niſi poſt alterius ratificationem: quâpropter ſi v. g. Parentes voverint filium Religioni, non tenentur ad votum, niſi poſtquam filius ratum habuerit tale votum: tenentur tamen Parentes talem filium verè, & non fictè perſuadere ad Religionem.

Votum emiſſum ex metu gravi, cadente in conſtantem Virum, eſt nullum: eſt tamen validum, ſi metus ſolummodo fuit occaſio repræſentans Homini periculum, pro quo evitando, emiſit votum.

Qui non adimplevit votum ſuum eo tempore, pro quo vovit; non tenetur amplius ad illud, niſi in caſu, quo tempus non ſit principale motivum voti, ſed potiùs quædam conditio, quia tunc tenetur etiam tranſacto tempore, pro quo vovit: ſit exemplum: Titius duo vota emiſit; unum errogandi in eleemoſynam pauperibus in quâlibet ſextâ feriâ quinque florenos in memoriam quinque plagarum D. N. J. C., & alterum jejunandi in Sabbatis in honorem SS. Dei Genetricis ſemper Virginis Mariæ: Si Titius in aliquo Sabbato non jejunavit; non tenetur ampliùs ad illud vo-

tum,

tum, ideſt, non tenetur remittere jejunium in aliâ die jejunando, & ratio eſt, quia cum pertranſierit tempus, pro quo vovit, ideſt, Sabbatum SS. Virgini dicatum, non tenetur ampliùs ad votum, eo quia tempus fuit principale motivum voti: E contrà ſi in aliquâ ſextâ ferià non errogavit in eleemoſynam pauperibus eos quinque florenos; non ideò eximitur ab obligatione ſervandi ſuum votum etiam illâ die jam præteritâ; & ratio eſt, quia motivum magis principale voti, fuit ſublevatio pauperum, quæ fieri poteſt in quâcumque die; & hoc motivum magis principale prævalet minùs principali, ideſt, tempori ob gloriam, & honorem quinque plagarum D. N. J. C.

Irritatio voti *eſt annullatio voti*, quæ dupliciter contingere poteſt: 1. ex parte *materiæ*, quando, ſcilicet, materia voti pendet ab alterius poteſtate; & in hoc caſu non irritatur votum, ſed ſolùm impeditur executio donec &c. 2. ex parte *perſonæ* voventis, quando, ſcilicet, ejus voluntas eſt alteri ſubordinata, & tunc irritatur votum.

Commutatio voti *eſt mutatio materiæ voti in aliam materiam*; quæ ſi ſit melior, poteſt ipſemet vovens: ſi in inferiorem, vel etiam æqualem; ſolus Superior, vel Confeſſarius.

Diſpenſatio voti, *eſt relaxatio obligationis voti*, quæ ſi fiat ſinè juſtâ causâ: qui diſpenſat, peccat mortaliter, ſicuti etiam diſpenſatus; & juxtà plurium DD. opinionem, diſpenſatus non eſt tutus in conſcientiâ, licèt aliàs oppoſita opinio, non ſit improbabilis.

Cauſa diſpenſationis voti ex quinque cognoſci poteſt: 1. ex indiſcreto modo vovendi; 2. ex conditione perſonæ; 3. ex parte materiæ; 4. ex comparatione perſonæ ad talem materiam; 5. ex neceſſitate extrinſecâ, ſi prudens Superior, aut Confeſſarius ità arbitretur.

Quando votum factum non committendi aliquod peccatum, eſt frænum removens à peccato, non debet commutari; ſed ſi eſt occaſio aggravandi, vel multiplicandi peccata; tunc debet commutari in aliam materiam pœnalem, quæ ſit frænum removens à peccato.

Vota ſolemnia Religionis emiſſa antè ſextum decimum ætatis annum completum, ſunt invalida.

Poteſtas diſpenſandi ſuper votis: *Jure Divino* reſidet tantummodo in Papâ reſpectu omnium Baptizatorum, juxtà illud Salvatoris

toris in *Matth. cap.* 18. *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum*: In aliis; ſolùm *Jure conceſſo*.

Epiſcopi Jure ordinario, diſpenſare poſſunt in quatuor votis: 1. in voto caſtitatis ad certum tempus; 2. in voto caſtitatis non integræ; 3. in voto conditionato non ſolùm antè conditionem adimpletam, ſed etiam poſt, ut cum aliis probat *Diana part.* 3. *tract.* 5. *reſp.* 25.; 4. in voto pœnali tàm antè, quàm poſt peccatum, ut probat *Sanchez lib.* 8. *de Matrimon. diſp.* 10. *num.* 7. *& ſeqq.*

Licèt olim Confeſſarii Ordinum Mendicantium virtute privilegiorum, ipſis à Summis Pontificibus conceſſorum, poſſent diſpenſare in illis votis ſimplicibus, quæ jure ordinario diſpenſare poſſunt Epiſcopi: nunc per *Conſtitutionem Clem. XII.*, quæ incipit: *Romanus Pontifex ann.* 1732. *die tertio Calendas Aprilis*, talia privilegia ſunt revocata, ſicuti etiam illa relaxandi quæcumque juramenta, licèt ſint ſinè ullo alieno damno, vel præjudicio; & etiam celebrandi Miſſam extrà tempus ab Eccleſiâ determinatum.

Uſucapio *eſt acquiſitio dominii rerum mobilium per continuatam poſſeſſionem temporis, à lege definiti*: Ut licitè fieri poſſit; requiruntur illæ quinque conditiones, quæ ſunt poſitæ ſub verbo ly *Præſcriptio*.

Uſura *eſt lucrum rei, pecuniâ æſtimabilis, ratione mutui propriè, principaliter, & immediatè proveniens*: ità in re communiter.

Ad conſtituendam uſuram quatuor eſſentialiter concurrere debent: 1. mutuum formale, vel virtuale; 2. lucrum mutuantis ultrà ſortem; 3. quod tale lucrum, ſit rei pretio æſtimabilis; 4. quod tale lucrum proveniat propriè, & principaliter ex mutuo, & non aliundè: *Lucrum* poſteà non dicitur, *niſi deductis expenſis*, & eſt illud, quod quis habet, vel acquirit, quod aliàs ſuum non erat.

Uſura triplex eſt; nempè: *Mentalis*; *Exterior explicita*; & *exterior implicita*, ideſt, *mentalis*; *realis*; & *palliata*.

Ad conſtituendam uſuram mentalem: duo requiruntur; nempè: mutuum formale, vel virtuale; & lucrum propriè, & principaliter ex mutuo intentum.

Ad conſtituendam uſuram realem: tria requiruntur; nempè: prædicta duo, & pactum.

Uſura

V

Uſura exterior implicita dupliciter palliari poteſt: 1. ratione *mutui*, occultando verum mutuum ſub titulo alterius contractus, qui appareat, non eſſe mutuum; 2. ratione pacti, quando, ſcilicet, pactum non eſt explicitum, ſed ſolummodo implicitum; puta, conſuetudine, ſigna, nutu, vel aliâ viâ.

Uſura non ſolùm eſt prohibita Jure humano Canonico, & Civ., ſed etiam Jure Divino, & naturali, ut eſt uniformis DD. Catholicorum conſenſus.

Tres ſunt pœnæ contrà Uſurarios ſtatutæ: 1. Uſurarius notorius, eſt ipſo Jure infamis, ut clarè conſtat ex *cap. Infamis* 3. *q*.2. ſecundo: Non eſt admittendus ad Sacram Communionem; ejus oblationes non ſunt recipiendæ; & remanet privus Eccleſiaſticâ ſepulturâ; 3. ejus Teſtamentum, & quævis ultima voluntas, eſt ipſo Jure irrita, & nulla, niſi antè mortem reſtituerit, quæ per uſuras acquiſivit, vel ſaltem de eorumdem reſtitutione, idoneam cautionem dederit, prout habetur ex *cap. In omnibus de Uſuris juncto cap. 2. eodem in 6.*; & ex *D. Th. 2. 2. q. 86. a. 2. de lucro uſurario*; & ex Leſſio *l. 2. cap. 20. dubit. 12., & ſeqq.*, & ex Layman, & aliis communiter.

In novem caſibus aliquid in mutuo accipi poteſt ultrà ſortem ſinè uſurâ: 1. ratione lucri ceſſantis; 2. damni emergentis; 3. periculi amittendi ſortem, vel recuperandi cum expenſis; 4. oneris: 5. pœnæ conventionalis; 6. moræ; 7. intereſſe; 8. gratitudinis; 9. donationis, ſervatis tamen conditionibus communiter à DD. approbatis, & ſunt ſequentes.

1 Ratione *lucri ceſſantis*, ſervatis quatuor conditionibus: 1. quod mutuatio reverà ſit cauſa ceſſationis lucri, quod aliàs habeatur in ſpe certâ, vel ſaltem probabili; 2. quod non exigatur totum lucrum, quod ſperatur, ſed ſolùm deductis expenſis, laboribus, & periculis pretio æſtimabilibus; 3. quod tale lucrum non exigatur ſtatim poſt mutuationem, ſed ſolùm poſt conveniens temporis intervallum; aliter non præſumeretur mutuata tota pecunia; 4. quod mutuator moneat mutuatarium de lucro, quod accipit, quod, ſcilicet, ſit ratione lucri ceſſantis.

Illud autem dicitur *lucrum ceſſans*, quando mutuator non recipit lucrum, ſeù fructus ex ſuâ pecuniâ, eo quod illam mutuavit, ut accidere poſſet, ſi quis haberet pecuniam, jam in negotiatione expoſitam, vel paratam pro negotiatione faciendâ; vel pro emendo aliquo prædio, quod annuatim reddat fructus; ſed quia illam mutuavit,

tuavit, neque negotiari potuit, neque prædium emere, & conſequenter neque ex negotiatione lucrum habere potuit, neque fructus percipere ex prædio, quos certò, vel ſaltem probabiliter ex mutuatâ ſuâ pecuniâ habere ſperabat.

2 Ratione *damni emergentis*, ſervatis quatuor conditionibus: 1. quod damnum deducatur in pactum tempore contractus; 2. quod non deducatur in pactum quidquam aliud præter damnum, aliter non eſſet ratione damni, ſed ratione mutui, & conſequenter eſſet uſura; 3. quod damnum ſequatur ratione mutui, & non aliundè; 4. quod mutuator, non cogat mutuatarium paciſci potiùs de *periculo damni*, quàm de *damno*, ſed illum relinquat in ſuâ libertate: & ſi paciſcitur de *damno*; ſolvet ſi damnum ſequetur; & ſi non ſequetur, non ſolvet: ſi poſteà paciſcitur de *periculo damni*; ſolvet, licèt damnum non ſequatur, dummodo tamen duo ſimul concurrant: 1. quod habeatur ratio qualitatis periculi, & ejuſdem probabilitas; 2. quod mutuator non plùs exigat ratione periculi, niſi quantum ipſe alteri daret, ut ſe redimeret de tali periculo.

Illud autem dicitur *damnum emergens*, quando mutuator patitur in re ſuâ ob factam mutuationem: quâpropter pro neceſſariâ reparatione ſui damni, cogitur, vel accipere pecuniam ad uſuram, vel aliquid vendere minori pretio, quam ſit juſtum; vel corruit illi domus, quæ non corruiſſet, ſi habuiſſet ſuam pecuniam, quam mutuavit, cum quâ ſuam domum reparare potuiſſet, ne corrueret, & hujuſmodi.

3 Ratione *periculi amittendi ſortem, vel illam recuperandi cum expenſis*: dummodo prædicta duo concurrant.

4 Ratione *oneris*, dummodo tamen lucrum ſit proportionatum oneri; puta, pro labore in numerando, ponderando, menſurando, traſportando, & hujuſmodi: & quando mutuator ſe obligat civiliter ad mutuandum toties, quoties mutuatarius indiguerit, cum talis obligatio ſit pretio æſtimabilis, dummodo tamen adſit ſincera intentio, ideſt, quod tale pactum non ſit factum ad palliandam uſuram.

5 Ratione *pœnæ conventionalis*, ſervatis quinque conditionibus: 1. quod pœna non ſit appoſita ad palliandam uſuram; 2. quod mutuator non ſciat impotentiam mutuatarii ad ſolvendum eo tempore, pro quo impoſita eſt pœna; 3. quod mora ſit culpabilis; 4. quod ſit notabilis; 5. quod pœna ſit moderata ad menſuram culpæ.

6 Ratione *moræ*, ſi tamen poſt moram, quæ debet eſſe culpabi-

lis(& quod aliàs non fuerit factum aliquod pactum in contrarium) mutuator paſſus eſt aliquod damnum, quod mutuatarius in tali caſu reſarcire tenetur.

Adv. eſt, quod ſi mutuator, vult poſt moram (ad reparandum damnum, quod illi imminet) accipere pecuniam ad uſuram; vel aliquid vendere minori pretio, quàm valeat; tenetur priùs monere mutuatarium de neceſſitate, quam habet vendendi, vel accipiendi pecuniam ad uſuram, quod etiam facere omninò illicitum eſt, niſi ob veras neceſſitates, ideſt, propter uſus neceſſarios, vel utiles, non verò propter voluptuarios: & etiam ſolummodo ab illis, qui ſunt parati dare ad uſuram.

7 Ratione *intereſſe*, quod duplex eſt; nempè: *lucri ceſſantis*, & *damni emergentis*: in tribus caſibus: 1. ratione pacti ab initio initi (ſervatis tamen conditionibus ſuprà poſitis in caſibus lucri ceſſantis, & damni emergentis); 2. ratione moræ, eo modo tamen, quo dixi in §. 6.; 3. quando mutuator mutuavit per vim, vel metum gravem, cadentem in conſtantem Virum.

8 Ratione *gratitudinis*, ſervatis tribus conditionibus: 1. quod nullum ſit factum pactum, neque explicitum, neque implicitum de dando, vel recipiendo; 2. quod mutuator non mutuet propter ſpem recipiendi aliquid ab eo, cui mutuat, ità quod ſi talem ſpem non haberet, non mutuaret juxtà illud Salvatoris in *Luc. cap. 6. Mutuum date, nihil indè ſperantes*; 3. quod mutuatarius det *ſpontè*, *gratis*, & *liberè*, & non tamquam debitum ex motivo *gratitudinis*, & multò minùs *juſtitiæ*; & mutuator eôdem modo recipiat: idem omninò dic. eſt de *dono*, ideſt, ratione *donationis*.

Ad reſtitutionem uſurarum tenentur: 1. uſurarii; 2. hæredes; 3. Judices, qui damnant, vel juſtitiam miniſtrare nolunt in Judicio repetentibus uſuras; 4. Advocati, omneſque alii, qui ſcienter defendunt uſurarios circà uſuras; 5. Notarii ſcienter ſimulantes, & palliantes uſuras in Inſtrumentis; 6. Teſtes ſcienter fidem adhibentes contractibus uſurariis; 7. Proxenetæ, Mediatores, Curſores, & hujuſmodi *efficienter conſulentes*, quando tamen ad hoc concurrunt, ut uſurarii *uſuras exigant*: prædicti omnes tenentur ipſi reſtituere in ſolidum, ſi uſurarius non reſtituit: ità communiter.

Alex. VII. Propoſ. dam. 42. in ordine: ***Licitum eſt mutuanti aliquid exigere ultrà ſortem, ſi ſe obligat ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.***

Digitized by Google

V

Innoc. XI. Propoſ. damn. 41. *in ordine: Cum numerata pecunia ſit pretioſior numeranda; & nullus ſit, qui non faciat majoris pecuniam præſentem, quàm futuram; poteſt Creditor aliquid ultrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſurâ excuſari; & Propoſ.* 42.

42 *Uſura non eſt, dum ultrà ſortem aliquid exigitur tamquam debitum ex benevolentiâ, & gratitudine, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam debitum ex juſtitiâ.*

Uſus *eſt Jus, quod quis habet utendi re alienâ, ſalvâ ejus ſubſtantiâ*: duplex eſt; nempè: *Juris*, & *Facti*; & iſte etiam duplex eſt; nempè: *licitus*, & *illicitus*.

Uſusfructus eſt Jus, quod quis habet utendi re alienâ, & percipiendi ejus fructus, ſalvâ ejus ſubſtantiâ.

Jus utendi eſt facultas utendi re alienâ, non tamen percipiendi ejus fructus, & ſalvâ ejus ſubſtantiâ.

Uſus *facti* importat nudum uſum rei abſque *Jure*, aut *dominio* utentis: differt ab *Uſuario*, quia iſte habet Jus utendi, ita ut, ſi ab uſu impediatur, poteſt illum exigere ex juſtitiâ, quod facere non poteſt, qui ſimplicem uſum facti habet.

Uſufructuarius ad tria præſertim tenetur: 1. ſolvere impenſas, quæ ratione fructuum percipiendorum fieri debent; 2. præſtare collectas, tributa, & ſimiles præſtationes reales, quæ pro re fructuariâ debentur; 3. rectè colere illam rem, cujus fructum habet, & illa uti tamquam bonus Pater familias.

Uſufructuarius licèt poſſit vendere, donare &c. fructus perceptos ex re fructuariâ, non poteſt tamen alienare uſum fructum ſinè conſenſu Proprietarii, ut habetur ex *l. Si uſufructu*; ℣. *Et ſi extraneo ff. de Jure dotium*.

Fructus tàm *naturales*, quàm *induſtriales*, & *Civiles* pendentes, & non recolecti ab Uſufructuario in ejus vitâ, ſpectant ad Proprietarium, ut conſtat ex *l. Si Uſufructuarius* 13. *ff. Quibus modis uſufruct. amitt.*, an idem ſit dic. de *fructibus maturatis*, & *nondum exactis*? Reſp. quod ſi ſunt *naturales*, & *percepti*; ſpectant ad Uſufructuarium, & ejus Hæredes, ut dicit *Bartol. in l. Divortio num.* 22., & alii: idem dic. ſi ſunt *Civiles*, qui de die in diem percipiuntur: ità *Bald. cap.* 1. *in fine, de pace ten. in uſibus Feud.*, & plures alii.

Uxor in tribus tenetur ſub mortali obedire Marito: 1. in iis, quæ pertinent ad bonos mores; 2. in iis, quæ pertinent ad rec-

 tam

tam Familiæ gubernationem; 3. ſequi Maritum ad cohabitandum, ſecluſo tamen periculo peccati mortalis, vel vitæ; & dummodo non ſit factus vagabundus poſt contractum Matrimonium.

Uxor non poteſt communicare cum ſuo Marito, nominatim excommunicato vitando in tribus: 1. in crimine criminoſo; 2. in Divinis; 3. quando petiit divortium à Marito quo ad thorum, & habitationem ſimul.

CON-

Digitized by Google

CONSCIENTIÆ MORALIS ANATOME,

SIVE

Modus facilis Conſcientiam examinandi

PRO

PÆNITENTIÆ SACRAMENTO SUSCIPIENDO,

Vel

MINISTRANDO.

AN omiſerit Confeſſionem ſemel in anno præceptam, ſi tamen habebat materiam neceſſariam; quoties; & quoties poſteà habuit commoditatem adimplendi præceptum, & non adimplevit; & an confeſſus fuerit tales omiſſiones.

An fecerit Confeſſiones malitiosè nullas ex quâcumque causâ; à quo tempore; & ſi ex poſt fecit alias Confeſſiones, & Communiones intermedias.

An malitiosè confeſſus fuerit Confeſſario ſemiſurdo, vel imperito.

An ſcienter confeſſus fuerit Sacerdoti non approbato, licèt bonâ fide, ſi tamen habebat materiam neceſſariam.

An ſi ex aliquâ juſtâ causâ fecerit Confeſſiones formaliter tantùm integras; in ſequenti Confeſſione, confeſſus fuerit peccata in præcedenti Confeſſione omiſſa.

An dato, quod inculpabiliter in Confeſſione omiſerit aliquod peccatum mortale, & antè Communionem cognovit; an illud antè Communionem confeſſus fuerit, ſi ſinè ſui infamiâ, vel aliorum ſcandalo, confiteri poterat.

An ſinè prævio dolore non ſolùm culpabiliter, ſed etiam inculpabiliter (ſi de hoc rationabiliter dubitare poteſt) fecerit Confeſſiones, & præſertim de peccatis mortalibus.

An exiſtens in peccato mortali; receperit quodcumque Sacramentum.

An ſcienter, & abſque neceſſitate petierit, & receperit aliquo Sacramentum ab aliquo Miniſtro, qui ſinè peccato mortali conferre non poterat.
An per malitiam, vel negligentiam, omiſerit pænitentiam, ſibi impoſitam pro peccatis mortalibus confeſſis.
An malitiosè tacuerit aliquod peccatum mortale in dubio æquali, an eſſet mortale, nec ne.
An malitiosè confeſſus fuerit peccatum mortale certum tamquam dubium, vel e contrà; aut dixerit numerum minorem peccatorum mortalium, vel e contrà.
An ſi ad inhoneſta provocatus aliquo ex quinque modis in Bullâ Greg. contrà ſollicitantes in Confeſſione; malitiosè non denunciaverit Confeſſarium intrà tempus ab Inquiſitore præſcriptum: & ſi pluries fuit ſollicitatus; an ab uno ſolùm Confeſſario, vel à pluribus.
An exiſtens in peccato mortali, omiſerit elicere actum contritionis ſaltem putatum in articulo, vel probabili periculo mortis, ſi aliàs non habebat copiam Confeſſarii.
An voluntariè omiſerit ſumere Sanctiſſimam Euchariſtiam, Jure Divino præceptam in articulo mortis (ſi in tali caſu ſe invenit), & ſemel in anno; & quoties habuit commoditatem ſatisfaciendi huic præcepto, & non ſatisfecit; & an omiſerit ſumere tempore Paſchali ad ſatiſfaciendum præcepto Eccleſiaſtico; & an confeſſus fuerit tales omiſſiones.
An conſcius de peccato mortali ſumpſerit Sanctiſſimam Euchariſtiam, & quoties: idem dic. ſi excommunicatus, vel non jejunus.
An habuerit conſuetudinem blaſphemandi, perjurandi, & hujuſmodi; ex quo tempore; quoties per diem, vel hebdomadam, aut menſem; an nullam adhibuerit diligentiam pro emendatione; & quoties blaſphemavit, vel perjuravit cum plenâ advertentiâ.
An cum plenâ advertentiâ habuerit delectationes moroſas de quâcumque re mortaliter peccaminoſâ, & præſertim circà venerea, vindictas, gaudium in adverſis, diſplicentiam in proſperis proximi, & quoties; vel ſi aſſuetus reſiſtere, vel conſenſum præbere, aut in illis poſt advertentiam immorari.
An cum plenâ deliberatione deſideraverit quamcumque rem, quam ſinè peccato mortali, deſiderare non poterat, vel etiam modo mortaliter peccaminoſo.

An

An commiſerit fornicationes; virgines ſtupraverit; & in caſu, quo pro ſtupratione adfuerit vis, vel quodcumque genus injuſtitiæ; an ſatisfecerit ſuæ obligationi nubendo ſi ſtupravit ſub datâ fide de matrimonio; vel dotando, niſi tamen ſtuprata æquè alteri nupſerit: an commiſerit adulteria, & ſi eſt conjugatus cum conjugatâ: & an ſi certò ſcit, ſe habuiſſe filios ex adulterio, compenſaverit damna, ad quæ tenetur ex juſtitiâ, ſi aliàs commodè compenſare potuit, præſertim ſinè periculo infamiæ adulteræ: An commiſerit inceſtus; & ſi eſt conjugatus cognovit ex poſt propriam Uxorem: An cum violentiâ rapuerit aliquam fæminam, & an ex poſt ſatisfecerit ſuæ obligationi dotando, & damna compenſando, ſi quæ ex causâ raptus fæminæ ſubſecuta ſunt: An commiſerit ſacrilegia ſivè ex parte voti caſtitatis in ſe, vel cum quo carnaliter peccavit: ſivè injurioſè percutiendo quemcumque Clericum, vel Monacum, aut Monialem: ſivè reſpectu loci Sacri, in quo commiſerit quodcumque peccatum carnale conſummatum; vel in illo effuderit injurioſè ſanguinem humanum; vel illum profanaverit; vel de illo quodcumque Sacrum, vel etiam non Sacrum ſurripuerit, ſi aliàs aliquo titulo pertinebat ad ipſum locum Sacrum; vel reſpectu rei, furando Sacrum, licèt de loco non Sacro; vel utendo ad profana vaſibus Sacris, vel veſtibus, aut etiam vertendo cum advertentiâ Sacram Scripturam in materiam ludi, qui ſapiat inhoneſta: An ſi habet votum caſtitatis alios conſulerit ad peccandum contrà caſtitatem; vel auxilio proprii corporis alios polluerit, maximè ſi perſona polluta habet & ipſa votum caſtitatis; vel ſi non habet votum caſtitatis ſi polluerit auxilio corporis in habente votum caſtitatis: An alios votum caſtitatis habentes quôcumque modo induxerit ad peccandum contrà caſtitatem: An in peccando ſivè contrà caſtitatem, ſivè quôcumque alio modo fuerit inductio alterius perſonæ, quæ aliàs parata non erat ad peccandum: An ſcienter peccaverit carnaliter cum perſonâ habente votum caſtitatis, licèt ipſe non ſit adſtrictus voto caſtitatis: An habuerit pollutiones voluntarias cum deſiderio, vel delectatione moroſâ peccandi cum quâcumque perſonâ ſivè liberâ, ſivè nuptâ, ſivè habente votum caſtitatis, ſivè Conſanguineâ, vel Affine; ſivè naturaliter, ſivè contrà naturam; & an ſi in uno ſolo actu peccaminoſo plures perſonas, ſivè ſpetie, ſivè numero diſtinctas ſucceſſivè deſideraverit, vel de illis delectationem moroſam habuerit: An ſodomiticè peccaverit, ſivè ſodomiâ

miâ perfectâ, ſivè imperfectâ, ſivè propriè, ſivè impropriè dictâ: An cojerit cum beſtiis, ſivè perfectè, ſivè imperfectè: An ſcienter copulam habuerit cum Dæmone, & in tali caſu, an intervenerit invocatio, vel quodcumque pactum, & etiam an fuerit error in intellectu cum pertinaciâ; vel ſi in concubitu habuit quaſcumque delectationes moroſas, vel deſideria.

An ſinè neceſſitate legerit, audiverit, vel locutus fuerit inhoneſta cum actuali delectatione, aut periculo peccati mortalis, ſivè in ſe, ſivè in aliis: quot, & quales erant perſonæ, cum quibus talia inhoneſta locutus fuit: ſi poſteà ex neceſſitate; an adfuerit delectatio cum conſenſu.

An habuerit oſcula, tactus cùm quâcumque perſonâ non ſolùm ad malum finem, vel cum periculo ulterioris conſenſus, vel pollutionis, ſed etiam ob ſolam delectationem ſenſibilem, quæ oritur ex ipſo oſculo, vel tactu: idem dic. de aſpectibus factis ad indè captandam delectationem carnalem, licèt ſinè ullo periculo ulterioris conſenſus, vel pollutionis.

An ſollicitaverit quamcumque perſonam ad inhoneſta, vel ad quodcumque aliud peccatum mortale, ſivè ſit ſecutus effectus, ſivè non.

An ſcripſerit litteras amatorias, vel inhoneſtas ad quemcumque inhoneſtum finem; vel ſi receperit, & legerit cum delectatione carnali, & conſenſu in delectatione.

De cantionibus inhoneſtis, & impudicis: an eas cantaverit cum delectatione carnali; ſi aliis audientibus, & ſi pravo fine.

An conſulerit quamcumque perſonam ad quodcumque peccatum mortale, ſivè explicitè, ſivè implicitè, aut virtualiter tantùm; puta, laudando de peccato mortali commiſſo, vel vituperando de non commiſſo, & cujus ſpeciei eſt tale peccatum conſultum; & ſi contrà juſtitiam, & ſit ſecutus effectus, an compenſaverit damna in defectu principalis, ſi tamen conſilium verè fuit cauſa.

An quôcumque modo polluerit, vel profanaverit Eccleſiam, ſivè publicè, ſivè in occulto.

An indebito modo cojerit cum quâcumque muliere cum periculo abortus, vel quod impediri poſſet generatio, & multò magis ſi ſit ſecutus effectus.

An procuraverit abortum fœtus, ſivè animati, ſivè inanimati, ſivè ſit ſecutus effectus, ſivè non; ſivè ſtudioſè impediendo ne fœtus conciperetur, & hoc ſivè in copula matrimoniali, ſivè fornicariâ.

An

An retinuerit in lectulo infantem anno minorem ſinè licentiâ, & ſinè repargulo.

An ſi eſt conjugatus, mortaliter peccaverit in contractu matrimonii, ſivè quia contraxit in peccato mortali; ſivè in finem mortaliter peccaminoſum; ſivè ſinè intentione contrahendi; ſivè clandeſtinè; ſivè contrà rationabilem Parentum voluntatem; ſivè cum impedimento cognito; ſivè tempore ab Eccleſiâ prohibito.

An in uſu matrimonii peccaverit mortaliter ex cauſâ ſivè voti; ſivè impedimenti cogniti; ſivè loci publici; ſivè temporis inſaniæ; ſivè intentionis; ſivè finis intenti; ſivè modi.

An poſt bimeſtre ſinè juſtâ cauſâ negaverit debitum, vel etiam non petiverit ſi petitio erat neceſſaria ad evitandam propriam, vel alterius conjugis incontinentiam.

An poſt ſeminationem Uxoris deſiſterit à copulâ ſinè ſeminatione intrà vas, ſi aliàs ſeminare poterat ſinè impedimento intrinſeco, vel extrinſeco.

An poſt incæptam copulam deſiſterit antè ſeminationem contrà alterius conjugis voluntatem etiam ſolùm tacitam; vel ſi cum illius conſenſu, cum periculo tamen pollutionis ſivè in ſe, ſivè in altero, ſivè in utrôque.

An ſe polluerit extrà vas poſt incæptam copulam.

An incæperit copulam in vaſe indebito, licèt cum intentione perficiendi in naturali.

An ſinè juſtâ causâ habuerit oſculâ, tactus, amplexus cum Conjuge cum periculo prævifo pollutionis extrà vas.

An voluntariè ſe reddiderit impotentem ad moderatam debiti redditionem.

An ſi ſunt Sponſi per verba de futuro, habuerint tactus impudicos, oſcula, amplexus, ad indè captandam veneream delectationem, vel habuerint deſideria, illis pro tunc prohibita, vel venereas delectationes moroſas cum advertentiâ, & conſenſu: idem dic. de perſonis viduis.

An tranſgreſſus fuerit aliquod votum, vel juramentum, vel votum juramento firmatum, vel quodcumque aliud præceptum obligans ſub mortali.

An cum plenâ deliberatione gaviſus fuerit de cujuſcumque perſonæ morte, aut de gravi malo; vel vice verſa triſtitiam habuerit de vitâ, vel de bono, & præſertim ſi ſunt Parentes, Filii, Conjuges, Fratres, Sorores, Conſanguinei, Affines, Perſonæ Sa-

Digitized by Google

cræ, inſignes Benefactores, & hujuſmodi.

An ſe jactaverit de quâcumque re malâ mortaliter peccaminosâ.

An ſi eſt Pater familias aliquid omiſerit pertinens ad bonam filiorum educationem, vel prodigaliter conſumpſerit in eorum grave damnum; vel ſi partialitatibus (ſinè juſtâ causâ) fuit causâ rixarum, & odiorum inter filios ſuos; vel illos directè, aut indirectè coegerit eligere ſtatum Religioſum, vel Sacris Ordinibus initiari; vel illos retraxerit ab electione ſtatus perfectioris; an eis deſideraverit mortem, vel odio illos habuerit: idem proportionaliter dic. eſt de Matre.

An ſi eſt Filius oderit Parentes; aliquod grave malum, vel mortem eis deſideraverit; aut triſtitiam de illorum vitâ; gaudium de illorum morte habuerit; an illos percuſſerit; vel elevatis manibus, vel pede percutere minatus fuerit; vel illis inobediens fuerit in rebus gravibus, & etiam levibus, ſi tamen propter talem inobedientiam Parentes valdè, & rationabiliter contriſtati ſunt; an eis auxilium negaverit in neceſſitatibus.

An ſi eſt Maritus ſinè juſtâ causâ retraxerit Uxorem ab impletione præceptorum ſub mortali obligantium; aut à ſumptione Sacramentorum, ſi illi neceſſaria erant ad ſe conſervandam in gratiâ; an illi permiſerit mortaliter peccare, cum commodè illi prohibere potuiſſet; an ſinè juſtâ causâ multo tempore cum illâ non cohabitaverit; an graviter illam percuſſerit; an illam affecerit verbis injurioſis non animo corrigendi, ſed animo injuriandi; an diſſipaverit in ejus præjudicium, vel non laboraverit, ſi laborare poterat, & aliàs ejus labor erat neceſſarius ad ejus congruam ſuſtentationem, atque familiæ.

An ſi eſt Uxor; inobediens fuerit Marito circà bonos mores; circà prudentem Domus gubernationem; circà redditionem debiti matrimonialis; & circà cohabitationem, ſi tamen cohabitare poterat ſinè animæ, vel corporis periculo; & dummodo poſt contractum matrimonium, non fuerit factus vagabundus.

An ſi eſt Dominus non ſolverit ſalarium ſervis; vel illis permiſerit peccare mortaliter, ſi commodè impedire poterat, vel illos quôcumque modo induxerit ad peccandum mortaliter; vel illos defenderit in quôcumque caſu injuſto mortaliter peccaminoſo, aut defenſionem promiſerit; vel aliquem in domo tolleravit, qui ſuis malis moribus ſivè familiam, ſivè alios conſervos ſcandalizabat.

An ſi eſt ſervus, & ſalariatus aliquid à Domino ſuo ſurripuerit ultrà ſala-

ſalarium ſtatutum; an illi infidelis fuerit in re gravi, vel inobediens etiam in re levi, ſi tamen ex tali inobedientiâ illi ſubſecutum fuit quodcumque malum, vel damnum grave; an illum oderit, vel ei malum deſideraverit.

An in loco Sacro aliquem percuſſerit; ſanguinem ſuderit; vel homicidium fecerit.

An commiſerit homicidium injuſtum; vel illud præceperit; vel auxilium dederit; vel conſulerit; vel permiſerit, ſi commodè impedire poterat, & præſertim ſi in officio ſuo impedire tenebatur; ſi ratum illud habuit ſuo nomine factum; ſi probavit, ut fieret; vel laudavit, ut fieret; ſi homicidam deffendit, vel defenſionem promiſit; ſi illud non prohibuit cum commodè prohibere poſſet, & præſertim ſi ex officio ſuo proprio prohibere tenebatur; ſi ſuo ſilentio fuit cauſa, ut homicidium injuſtum fieret: & in prædictis caſibus, an damna compenſaverit, quando ex juſtitiâ compenſare tenebatur.

An ſi commiſit homicidium juſtum ſivè mediatè tantùm, ſivè immediatè; an illud commiſerit ex odio perſonæ, & non ex zelo juſtitiæ.

An efficaciter voluerit alterius malum, ſivè damnum grave, licèt non ſit ſecutus effectus, & cujus ſpeciei erat tale malum, vel damnum; vel cuicumque deſideraverit malum, vel damnum grave.

An commiſerit peccata venialia,in quibus poſuerit ultimum finem; vel illa ordinaverit ad mortalia; aut ſi ſciebat, quod ex illis ſequi debebant mortalia, licèt ad ipſa non eſſent ordinata; aut ſi fuit cum ſcandalo, vel contemptu, aut cum conſcientiâ erroneâ.

An ſurripuerit. vel retinuerit rem alienam (invito Domino rationabiliter) in materiâ gravi, vel etiam levi; ſi tamen habebat intentionem etiam de gravi ſi potuiſſet; vel finis fuit mortaliter peccaminoſus; vel ſi levis in ſe, gravis tamen ratione Domini, quia vel miſer; vel quia ex re ablatâ, vel retentâ magnam ſolebat reportare utilitatem; vel ſi eſt res Sacra, vel etiam non Sacra, ſed de Sacro; vel ſi adfuit notabilis violentia; vel ad illam rem, licèt levem, ſciebat quod Dominus magnum, & rationabilem, affectum habebat; vel ſi fuit cum periculo peccati mortalis in Domino à fure prævifi, an reſtituerit, & damna compenſaverit in iis caſibus, in quibus ex juſtitiâ reſtituere, & compenſare tenebatur.

An res minutas ſurripuerit, vel retinuerit, quæ conjunctim ſumptæ notabilem quantitatem attingunt, & an reſtituerit, & damna compenſaverit.

An injuſtè aliquem damnificaverit ſivè in animâ; ſivè in corpore; ſivè in famâ, & honore; ſivè in bonis fortunæ; vel ſi viâ injuſtâ, & etiam ſolùm malâ aliquem impediverit ne aliquod bonum conſequeretur, quod aliàs erat juſtè conſecuturus ſivè ex juſtitiâ, ſivè ex alterius liberalitate.

An ſi eſt Judex judicaverit juxtà opinionem minùs probabilem; vel aliquid acceperit pro illis rebus, quas gratis facere tenebatur; vel aliquid acceperit pro ferendâ ſententiâ in favorem unius præ alio, quando litigantes habebant opiniones æquè probabiles; an ſcienter uſus fuerit falſis Teſtibus ad probandam falſitatem, vel etiam veritatem in judicio; & an reſtituerit, & damna compenſaverit in iis caſibus, in quibus ex juſtitiâ reſtituere, & compenſare tenebatur.

An ſi eſt perſona authoritativè deputata, vel ſpecialiter ducta pro evitando publico, vel privato damno, vel malo, neglexerit munus ſuum, & ex causâ negligentiæ ſecutum fuit malum, vel damnum grave publicum, vel privatum, quod commodè impedire poterat; & an damna compenſaverit.

An ſi eſt Advocatus patrocinatus fuerit cauſam cognitam injuſtam; vel ex inſufficientiâ ſuâ, aut negligentiâ culpabili, cauſam ſui Clientis amiſerit; vel ab illo extorſerit majus pretium ſivè legale, ſivè naturale, quàm ſibi debebatur juxtà meritum cauſæ; vel cum ſuo Cliente fecit pactum de quotâ parte litis; & an in prædictis caſibus reſtituerit, & damna compenſaverit: Idem reſpectivè, & proportionaliter dic. eſt de Notariis, Procuratoribus, Sollicitatoribus, ac de illis omnibus, qui in quâcumque Curiâ, vel Officio publico, vel privato exiſtunt.

An ſi eſt Medicus in medendo uſus fuerit medicamentis incertis, & dubiis relictis certis; aut inexploratis experiendi tantùm gratiâ; aut ſi ex inſufficientiâ, vel negligentiâ ſuâ infirmus objerit, vel diutiùs in infirmitate remanſerit; & in his caſibus, an damna compenſaverit, ſi quæ exindè ſubſecuta ſunt.

An ſi eſt Superior Eccleſiaſticus aliquid ſui muneris omiſerit, ex cujus omiſſione ortæ fuerint, vel oriri potuerint culpæ graves, abuſus, relaxationes, inobſervantiæ, corruptelæ, vel alia mala mortaliter peccaminoſa: & ſi habet juriſdictionem in utrôque foro, an malè uſus fuerit poteſtate, quàm dedit illi Deus ad ædificatio-

Digitized by Google

ficationem animarum, illâ utendo ad earumdem deſtructionem, ſivè per exceſſum per odium inimicitiæ, ſivè per defectum ob amorem inordinatum.

An ſi eſt ſubditus contempſerit ſuos Superiores ſivè Eccleſiaſticos, ſivè ſæculares; vel illis inobediens fuerit in rebus gravibus, immò etiam levibus præceptis tamen ſub pænis graviſſimis.

An voluntariè ſe expoſuerit periculo peccandi mortalitèr, licèt non ſit ſecutum peccatum; & ſi fuit ſecutum, an interfuerit notabilis diſtantia temporis inter periculum, & peccatum.

An diebus feſtivis de præcepto, culpabiliter omiſerit audire Miſſam; vel ſinè verâ neceſſitate notabiliter laboraverit, vel laborare præceperit, aut quidquam aliud, ab Eccleſiâ prohibitum fecerit.

An ex contemptu, vel cum aliorum ſcandalo, profanaverit dies feſtos, vel ferias ſextas; puta, ducendo publicas choræas, baccanalia faciendo, & ſimilia.

An choræas ducendo, voluntariè ſe expoſuit periculo peccandi mortaliter, vel habuit pravam intentionem, prava deſideria, delectationes carnales, tactus malitioſos; vel ſi modus fuit inhoneſtus.

An violaverit Clauſuram Monialium, & præſertim ſi ad malum finem: an cum Monialibus habuerit pravam, & noxam amicitiam, prava eloquia &c.

An omiſerit elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis: 1. quando fuit ſufficienter inſtructus in rebus Fidei; 2. ſaltem ſemel infrà quinquennium; 3. in articulo, vel probabili periculo mortis, ex hypoteſi, quod in tali caſu ſe invenerit; 4. quando uſus talium virtutum (proportionaliter, & diſtributivè loquendo) erat illi neceſſarius, ad ſe conſervandum in gratiâ.

An Deum oderit ſivè propter ſe, ſivè ratione alicujus effectus.

An Deum amaverit non propter ſe; ſed ſolùm propter aliquod creatum.

An formaliter oderit proximum; vel non dilexerit actu interno, & formali, & ſi dilexit; an talem amorem internum ei oſtenderit per actus externos nec ne; an illi denegaverit eleemoſynam, quando tenebatur non ſolùm ex juſtitiâ, ſed etiam ex charitate.

An juxtà ſtatum ſuum erogaverit eleemoſynam pauperibus.

De hæreſi internâ ſolùm; de externâ ſolùm; de internâ, & externâ ſimul; de dubietate circà fidem ſivè in toto, ſivè in parte ſolùm: De triplici apoſtaſiâ, & præſertim à fide: an quâcumque

 que

que modo defenderit Hæreticos, quatenùs Hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos: an malitioſè omiſerit denunciare SS. Inquiſitioni Hæreticos, vel de Hæreſi ſuſpectos, aut illos, qui quocumque modo denunciari præcipiuntur in Ædictis Inquiſitorum: an ſi eſt rudis, & indoctus temerè diſputaverit cum Hæreticis de rebus Fidei: an ſinè licentiâ legerit quoſcumque libros prohibitos, & præſertim Hæreticorum, & continentes hæreſes, vel de Fide, aut Religione tractantes, vel diſputantes.

An actu deliberato deſperaverit de Divinâ Providentiâ, aut de æternâ Beatitudine; vel ſalvari præſumpſerit ſinè gratiâ Dei; aut cum ſolâ Dei gratiâ ſinè ſuâ cooperatione, & an in utrôque caſu fuerit error in intellectu cum pertinaciâ.

De blaſphemia tàm ſimplici, quàm hæreticali ſivè contrà Deum, ſivè contrà SS. Virginem Dei Genetricem Mariam, ſivè contrà alios Sanctos.

An fecerit opera injurioſa contrà Deum, vel SS. Virginem, aut alios Sanctos; an Sanctorum Reliquias ſpreverit, vel illorum Imagines conculcaverit; an falsò aſſeruerit alicujus Sancti, vel Imaginis miracula ad extorquendas eleemoſynas; vel Sanctorum falſas Reliquias pro veris ſuppoſuerit.

An noſtro, & vero Deo, vanum cultum exhibuerit; vel Deo falſo quemcùmque cultum exhibuerit; & in utrôque caſu: an fuerit error in intellectu cum pertinaciâ.

An fecerit aliquid ſuperſtitioſum ſivè quo ad rem; ſivè quo ad verba; ſivè quò ad modum, ſivè ſcienter deliberatè, ſivè in dubio; & in hoc caſu licèt fecerit proteſtationem, ſi aliàs cauſa nullam habebat connexionem cum ſuo effectu.

De Magiâ diabolicâ; Maleficio; Divinatione; & vanâ obſervantiâ; & præſertim ſi in Magiâ; & Maleficio ſuit error in intellectu cum pertinaciâ.

An ad quemcumque malum finem uſus fuerit Sacramentis, Sacramentalibus, rebus Sacris, vel benedictis.

De duplici ſimoniâ mentali; de triplici conventionali; de confidentiali per acceſſum, ingreſſum, regreſſum, fructuum conceſſionem, penſionis ſolutionem; de reali: de ſimoniâ in Ordine; Beneficio Eccleſiaſtico; profeſſione Religioſâ: de ſimoniâ in primo, in ſecundo, in tertio genere ſpiritualium: de quâcumque ſimoniâ ſivè à manu, ſivè à linguâ, ſivè ab obſequio, tàm activè, quàm paſſivè, tàm immediatè, quàm mediatè tantùm.

An juraverit falſum ſivè in judicio, ſivè extrà; vel juraverit ſinè inten-

intentione jurandi; vel juraverit ſinè intentione exequendi juramentum; aut ſi juravit verum putatum falſum, vel falſum putatum verum ſinè anteriori debitâ diligentiâ de veritate ſciendâ: an juraverit ſivè verum, ſivè falſum, ſed contrà juſtitiam: an ſi eſt perſona privata petierit ab aliis juramentum, quod ſciebat eſſe juraturos per falſos Deos; vel quos probabiliter eſſe perjuraturos, ſivè culpabiliter, ſivè etiam inculpabiliter: an culpabiliter tranſgreſſus fuerit aliquod juramentum ex intentione factum, & præſertim in damnum tertii: an ſi ex causâ juramenti falſi, & etiam veri, ſed contrà juſtitiam, tertia perſona aliquod damnum paſſa eſt, reſtituerit, & damna compenſaverit.

An adjuraverit, & in adjuratione aliquid mortaliter peccaminoſum petiverit.

An duellum commiſerit; vel Patrinus fuerit; vel illud conſulerit ſivè expreſsè, ſivè tacitè; vel illud non prohibuerit, cum prohibere teneretur, & aliàs commodè prohibere poſſit; vel ſcienter ad illud videndum adfuerit.

An dederit ſcandala factis, verbis, nutibus, ſignis.

An omiſerit denuntiare, vel accuſare, quando accuſare, vel denunciare tenebatur.

An omiſerit teſtificari verum, quando tenebatur ſivè ex juſtitiâ, ſivè ex charitate.

An receperit pretium pro veritate dicenda, & an reſtituerit.

An ſi falſum teſtificatus eſt; ſe retractaverit, vel damna compenſaverit.

An ſinè ullâ authoritate, vel legitimâ causâ, alienas epiſtolas aperuerit, vel malitioſè retardaverit; & ſi ex aperitione, vel retentione aliquis aliquod malum, vel damnum paſſus eſt, an compenſaverit.

An ſinè juſtâ causâ, alterius ſecretum violaverit, & ſi ex tali violatione damna paſſus eſt, an compenſaverit.

An ſinè aliquâ juſtâ causâ, ſe ipſum cum advertentiâ infamaverit, & præſertim ſi fuerit cum aliorum ſcandalo; aut ſi ex infamiâ ſui ipſius ſubſecuta eſt infamia alterius; & in hoc caſu: an alterius famam reſtituerit.

An alterius famam detraxerit quocumque modo ex octo modis, traditis ſub verbo ly *Detractio*; & an alterius famam reſtituerit, & damna compenſaverit, ſi quæ ex detractione cuicumque perſonæ ſubſecuta ſunt.

An alios ad detrahendum induxerit ſivè directè, ſivè indirectè,

& an

Digitized by Google

& an reſtituerit, & damna compenſaverit, ſi quæ ſubſecuta ſunt.

An cum plenâ advertentiâ detractiones audiverit, & non obſtiterit, ſi commodè obſtare poterat.

An malè de proximo ſuſpicatus fuerit in re gravi ex odio perſonæ; & ſi non eſt odio, ſed ex errore intellectûs, an ſit venerabilis, & bonæ famæ apud omnes.

An aliquem contumeliaverit; & ſi ex contumeliis illi quodcumque malum, vel damnum obvenit, an compenſaverit.

An aliquem deriſerit ſivè manifeſtando aliquod illius grave vitium occultum; ſivè ex intentione illum graviter confundendi; ſivè prævidendo, quod deriſus ex tali deriſione graviter contriſtatus eſſet.

An ſuſſurationes fecerit, quas prævidit ſufficientes ad tollendam bonam amicitiam inter aliquos, & præſertim inter conjugatos, parentes, & filios, alioſque propinquos; inter Superiores, & ſubditos; & ſi ex talibus ſuſſurationibus quodcumque malum, vel damnum ortum fuit, an reſtituerit, vel damna compenſaverit.

An tranſgreſſus fuerit jejunium Eccleſiaſticum; & ſi tranſgreſſio fuit facta cum cibis prohibitis, quoties in die comedit.

An fuerit cauſa, quod alii idem fecerint.

An fecerit contractus illicitos, & injuſtos, & præſertim monopolia, & contractus uſurarios ſivè mentales, ſivè reales; ſivè palliatos, & an reſtituerit, & damna compenſaverit.

An ſinè neceſſitate acceperit ad uſuram; & ſi ex neceſſitate, an acceperit ab aliquo, qui non erat paratus dare ad uſuram.

An ſi eſt alius ab uſurario (ut hæres & quilibet alius, qui ex juſtitiâ reſtituere tenetur) ex hypoteſi, quod uſurarius non reſtituerit, reſtitutionem fecerit, & damna compenſaverit.

An in aliquo contractu adhibuerit fraudem, vel dolum annullantem contractum; vel ſi adfuit error irritans contractum; & ſi reſtituit, & damna compenſavit.

An aliquid emerit citrà infimum pretium juſtum; vel vendiderit ultrà ſummum pretium; & an reſtituerit, & damna compenſaverit.

An fecerit ſcommeſſas injuſtas; & an reſtituerit.

An in ludo lucratus fuerit per fraudem; vel ab illis, qui alienare non poſſunt; & an reſtituerit, & damna compenſaverit.

An ſi eſt Clericus in Sacris poſitus fecerit per ſe ipſum negotiationes

nes lucrativas in materiâ gravi; & etiam levi, ſi tamen publicè.

De Cambio quo ad ejus quatuor ſpecies: an injuſtè pluris exigerit; an fecerit cambia ſicca; an fecerit cambia contrà conditiones à S. Pio V. præſcriptas; & an reſtituerit, & damna compenſaverit.

An fecerit ſecretam compenſationem ſinè conditionibus ad ejus juſtitiam requiſitis.

An peccaverit contrà fidelitatem, & damna compenſaverit, ſi exindè ſubſecuta ſunt.

An ſcienter communicaverit cum excommunicato nominatim vitando, & præſertim in crimine criminoſo.

An excommunicatione ligatus receperit, vel miniſtraverit aliquod Sacramentum.

An ſuſpenſus exercuerit id, in quo erat ſuſpenſus; vel ſuſpenſum ad id faciendum induxerit, vel illi inſerviverit.

An interdictum violaverit, & præſertim ſi eſt in Sacris poſitus. & ſolemniter.

An habeat Legata ſolvenda; ex quo tempore non ſolvit; an damna compenſaverit: idem dic. de quôcumque alio debito reſpectu Creditorum.

An voluntariè, & ſinè juſtâ causâ ſe inebriaverit, vel periculo ſe inebriandi expoſuerit, vel idem cum aliis ſinè juſtâ causâ fecerit.

An ex causâ cibi, vel potus tàm quo ad quantitatem, quàm quo ad qualitatem prævidit ſecuturum fuiſſe quodcumque peccatum mortale; vel notabile damnum paſſus fuerit in corpore, vel bonis fortunæ cum notabili damno proprio, vel aliorum præjudicio.

An quôcumque modo alios adjuverit ad peccandum mortaliter.

De reſtrictione mentali, vel amphibologiâ cum juramento, vel etiam ſinè juramento, ſed cum alterius gravi damno, & an fecerit compenſationem.

An induxerit, vel moverit alios ad inferendum grave damnum tertio; & an reſtituerit, & damna compenſaverit.

De furto rei levis, quod replicatum attingit materiam gravem; & an reſtituerit, & damna compenſaverit: vel ſi à principio intentionem habuerit replicandi talia modica furta, licèt non replicaverit.

De peccatis cordis numerò multiplicatis, vel per actus, qui ſucceſſivè fiunt contrà plura objecta, ſpecie diverſa; vel quando poſt

unum

unum actum elicitum cum advertentiâ, de illo elicitur dolor, aut contraria voluntas, & ex poſt advertenter alter actus ejuſdem ſpeciei; vel ex tempore interpoſito inter unum, & alium actum; aut ex ſomno, vel interruptione materiali.

An ſi eſt Sacerdos in peccato mortali exiſtens miniſtraverit aliquod Sacramentum; vel adminiſtrationem alicujus Sacramenti ſimulaverit; aut aliquod Sacramentum confecerit cum materiâ, vel formâ dubiâ ſinè neceſſitate, & non adhibitâ conditione; vel ſinè dubio validitatis alicujus Sacramenti formam ſuper eandem numerò materiam reiteraverit; an confecerit aliquod Sacramentum ſinè ullâ prævia intentione ſaltem virtuali; aut etiam cum perversâ intentione, & in hoc caſu ſi fuit Sacramentum neceſſarium neceſſitate medii, vel Ordinis, an ex poſt adimpleverit ſuam obligationem; an ſi ex neceſſitate celebravit in peccato mortali; adimpleverit poſteà præceptum Trid.: an miniſtraverit Sacramentum Pænitentiæ ſinè ullâ juriſdictione: an geſtando SS. Euchariſtiam fecerit actus inhoneſtos, vel cum plenâ advertentiâ habuerit inhoneſta deſideria, vel inhoneſtas delectationes moroſas: an indutus Sacris Veſtibus commiſerit quodcumque peccatum carnale conſummatum; vel idem fecerit poſt ſumptam SS. Euchariſtiam antè quartam partem horæ: an ſuſceperit onus Miſſarum celebrandarum, quas juxtà Conſtit. Urb. VIII. celebrare non poterat; vel ſi eas non celebravit; vel ſi eas recepit cum obligatione eas celebrandi aliquo tempore determinato, vel in aliquâ determinatâ Eccleſiâ, vel Altari præſertim Privilegiato, & non adimplevit mentem Fundatoris, vel Benefactoris: an ſi per alios celebravit; partem ſtipendii retinuerit, & an reſtitutionem fecerit: an omiſerit recitare Horas Canonicas; & ſi eſt Beneficiarius, an fecerit reſtitutionem ad ratam Officii omiſſi: an Ordines ſuſceperit in peccato mortali: an ſi eſt Confeſſarius ſtuduerit, & ſtudeat pro rectè, & tutâ conſcientiâ miniſtrando Sacroſancto Pænitentiæ Sacramento, ne de illo dici poſſit illud: *Invalidè abſolvo te: & juſtè condemno me*; & præſertim ſi ſcit ſaltem ſubſtantialiter propoſitiones damnatas, ut ſinè ullâ ſui, & Pænitentis offenſione, abſolvere poſſit quando abſolvendus eſt; & ligare, quando ligandus eſt: an miniſtraverit hoc Sacramentum in peccato mortali, & quoties: an in Confeſſione ſollicitaverit aliquem Pænitentem ad quodcumque peccatum mortale: an fecerit interrogationes impertinentes, præſertim pro habendâ cognitione complicis in peccato, & ſimi-

ſimilia; vel ad quemcumque malum finem: an uſus fuerit ſcientiâ confeſſionis ad quodcumque peccatum: an fregerit ſigillum Confeſſionis ſivè directè, ſivè indirectè: an fuerit cauſa ſivè poſitiva, ſivè negativa, & culpabiliter, quod Pænitens non fecerit reſtitutionem ſi reſtituere tenebatur, vel e contra; vel quod non fecerit Confeſſionem materialiter integram, quam facere tenebatur, & poterat; & an utrôque modo ſatisfecerit poſteà ſuæ obligationi: an ſi habet curam Animarum, quidquam ſui muneris neglexerit, & præſertim circà Sacramentorum adminiſtrationem, Doctrinæ Chriſtianæ eruditionem, dignam Sacramentorum receptionem pro uniuſcujuſque neceſſitate: an neglexerit prædicationem à Trid. præceptam diebus Dominicis, & in principalibus Solemnitatibus: an diebus feſtivis, & præſertim diebus Dominicis applicuerit Sacrificia pro Populo ſuo: an ſinè juſtâ cauſâ, & debitâ licentiâ non reſederit perſonaliter in ſuâ Parochiâ; & ſi abſentia integravit duos menſes, an fecerit reſtitutionem ad ratam abſentiæ: & denique an morum probitate, & vitæ honeſtate dederit ſuis ſubditis illud bonum exemplum, quod quilibet Paſtor Animarum ſuis ovibus dare tenetur juxtà illud: *Cæpit Jeſus* FACERE, *& poſteà docere*.

F I N I S.

Sit laus DEO, à quo bona cuncta procedunt; SS. Virgini Dei Genetrici MARIÆ; Seraphico Patri S. FRANCISCO; & omnibus Sanctis cum Chriſto in Cælo fæliciter conregnantibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.

A

Abortus pag. 1
Abrogatio pag. 2
Abſolutio duplex pag. 2., & ſeq.
Abſtinentia pag. 4
Acceptilatio pag. 4
Accidia pag. 5
Actio judicialis pag. 6
Actus humanus pag. 6., & ſeq.
Actus voluntatis, quando interrumpantur pag. 8
Adjuratio pag. 8
Admiratio pag. 8
Adoratio pag. 8., & ſeq.
Adulatio pag. 24
Adulterium pag. 24
Advocati munus pag. 24, & ſeq.
Affinitas pag. 26
Afflictio in proſperis proximi pag. 26
Aliena res tripliciter poſſideri poteſt pag. 27
Altare privilegiatum pag. 27., & ſeq.
Ambitio pag. 29
Amicitia pag. 29
Amor Dei pag. 29
Apoſtaſia triplex pag. 30
Appellatio pag. 30., & ſeq.
Ars notoria pag. 32
Articulus fidei pag. 32
Articulus mortis pag. 32
Aſſecuratio pag. 32
Aſtrologia pag. 32
Aſtutia pag. 33
Attritio pag. 33., & ſeq.
Avaritia pag. 35

B

Baptiſmus pag. 35., & ſeq.
Bellum pag. 41
Beneficentia pag. 42
Beneficium Eccleſiaſticum p. 42. & ſeq.
Beſtialitas, ut ſpecies luxuriæ pag. 45
Bigamia pag. 45
Blaſphemia pag. 46
Bona fides pag. 47
Bona Clericorum pag. 47., & ſeq.
Bona Caſtrenſia; quaſi Caſtrenſia; adventitia; profectitia; paraphernalia pag. 49
Bulla Cruciata pag. 50., & ſeq.

C

Calumnia pag. 52
Cambium pag. 52., & ſeq.
Canonizatio, & Beatificatio. pag. 52
Caſtitas pag. 55., & ſeq.

Caſus fortuitus pag. 59
Cenſura Eccleſiaſtica pag. 59., & ſeq.
Cenſus pag. 62., & ſeq.
Certitudo duplex pag. 63
Ceſſatio à Divinis pag. 64
Character pag. 64
Charitas pag. 64., & ſeq.
Chorea pag. 66
Circumſtantia pag. 66., & ſeq.
Clavis Eccleſiæ pag. 70
Clauſura Monialium pag. 70., & ſeq.
Clericorum nomine pag. 77., & ſeq.
Coactio duplex pag. 81
Codicillus pag. 81
Commodatum pag. 82
Compenſatio ſecreta pag. 82
Concubinatus pag. 83
Concupiſcentia pag. 83
Conditio pag. 83
Conductio pag. 83
Confeſſio Sacramentalis p. 83., & ſeq.
Confeſſarius ſollicitans p. 95., & ſeq.
Confirmatio pag. 101
Conſcientia pag. 102., & ſeq.
Conſcientiæ Moralis Anatome pag. 437., & ſeq.
Conſenſus pag. 109
Conſuetudo pag. 109
Contractus pag. 110., & ſeq.
Contritio pag. 114
Contumacia pag. 115
Convitium pag. 115
Correctio duplex pag. 115., & ſeq.
Crimen læſæ Majeſtatis p. 116
Culpa duplex pag. 117

D

Damnum temporale p. 118., & ſeq.
Decimæ pag. 120
Defenſio occiſiva pag. 121
Defloratio Virginis pag. 122
Degradatio pag. 122
Delectatio moroſa pag. 123., & ſeq.
Delictum privatum pag. 124
Dæmonritas pag. 124
Denunciatio pag. 125., & ſeq.
Depopulatores Agrorum p. 127
Depoſitum pag. 127
Deriſio pag. 127
Deſperatio pag. 127
Detractio pag. 128., & ſeq.
Devotio pag. 131
Diſpenſatio pag. 131., & ſeq.
Divinatio pag. 132
Divortium pag. 133
Dolus pag. 134
Dominium pag. 135., & ſeq.
Dominus reſpectu ſervorum pag. 137
Donatio pag. 137
Dotis proprietas pag. 138

Duel-

Duellum pag.138., & ſeq.
Dulia pag.140

E

EBrietas pag.140
Eccleſia pag.141., & ſeq.
Eccleſiaſtica Immunitas p.150., & ſeq.
Eleemoſina pag.157., & ſeq.
Emphitheuſis pag.158
Emptio pag.158., & ſeq.
Epicheja pag.160
Equivocatio pag.160
Error quatuor modis reddit contractum invalidum p.160
Eucharistia pag.161., & ſeq.
Excommunicatio pag.170., & ſeq.
Expenſæ pag.175
Extrema Unctio pag.175., & ſeq.

F

FAlcidia pag.178
Fallacia pag.178
Fama pag.178, & ſeq.
Feſta ſanctificandi præceptum pag.180., & ſeq.
Feudum pag.182
Fictio duplex pag.182
Fidejuſſio pag.183
Fideicommiſſum pag.183
Fides pag.183., & ſeq.
Filii erga Parentes pag.185
Fornicatio pag.186
Fraus pag.187
Fructus pag.187
Furtum pag.187., & ſeq.

G

GAbella pag.189
Gratia pag.190
Gratitudo pag 191
Gula pag.191

H

HÆreſis pag.191., & ſeq.
Hyperdulia pag.219
Homicidium pag.219., & ſeq.
Honeſtas, ut impedimentum dirimens pag.221
Horæ Canonicæ pag.221., & ſeq.

I

JActantia pag.223
Idololatria pag.224
Jejunium pag.224, & ſeq.
Impietas pag.234
Impedimentum dirimens p.234
Impotentia, ut impedimentum dirimens pag.235
Impubes, ſeù Pubes pag.235
Impudicitia pag.235
Inceſtus pag.236

Indulgentia pag.236., & ſeq.
Infamia pag.240
Infidelitas pag.240
Injuſtitia pag.241
Inobedientia pag.241
Inſtructio pro recurſu ad Sacram Pœnitentiariam. p.241
Integritas Confeſſionis Sacramentalis pag.242
Intentio pag.242
Interdictum pag.243., & ſeq.
Invaſor rerum temporalium pag. 246
Invidia pag.246
Involuntarium pag.246
Ira pag.246
Irregularitas pag.247., & ſeq.
Irreligioſitas pag.250
Jubilæum pag.250., & ſeq.
Judex pag.253
Judicium temerarium pag.254
Juramentum pag.254., & ſeq.
Jus pag.256., & ſeq.
Jus Patronatus pag.258., & ſeq.
Juſtificatio pag.260., & ſeq.
Juſtitia pag.265

L

Latria pag.265
Laus pag.265
Legatum pag.265., & ſeq.
Lex pag.266., & ſeq.
Libellus famoſus pag.272
Liberum arbitrium pag.273
Locatio pag.273
Ludus pag.273
Luxuria pag.274., & ſeq.

M

Magia pag.276
Maledictio pag.276
Maleficium pag.276
Mandatum pag.277
Martyrium pag.277., & ſeq.
Matrimonium pag.279., & ſeq.
Medicus pag.298
Mendacium pag.298
Meretrix pag.299
Metus pag.299
Miſericordia pag.299
Miſſa pag.300., & ſeq.
Moderamen inculpatæ tutelæ pag.310
Modeſtia pag.310
Molities pag.310
Monopolium pag.311
Mons Pietatis pag.311., & ſeq.
Motus volantatis duplex p.312
Murmuratio pag.312
Mutilatio pag.312
Mutuum pag.313

Digitized by Google

N

Negotiatio pag.314
Neophitus pag.314
Notarius pag.314
Notorium pag.315

O

Obedientia pag.316
Obligatio pag.316
Occaſio in genere; proxima; remota pag.316
Odium pag.318
Officium Divinum. Vide Horas Canonicas.
Oratio pag.318
Oratoriorum genera pag.319
Ordo Sacramentum pag.320., *& ſeq.*

P

Papa pag.323., *& ſeq.*
Parentes reſpectu filiorum pag. 332
Parochus pag.332., *& ſeq.*
Parvitas materiæ reſpectu fori interni pag.335
Peccatum pag.335., *& ſeq.*
Pœna generatim ſumpta p.338
Pœnitentia ut Sacramentum pag. 340., *& ſeq.*
Penſio pag.349
Percuſſio pag.350
Perjurium pag.350
Pietas pag.350
Pignus pag.350
Poſſeſſio triplex pag.350
Poſſeſſor malæ fidei pag.351
Poſtliminium pag.351
Poteſtas duplex pag.351
Precarium pag.351
Præcepta Decalogi pag.351
Præcepta Eccleſiæ pag.352
Prælatura pag.352., *& ſeq.*
Præſcriptio pag.354., *& ſeq.*
Proceſſus pag.356
Procurator pag.357
Promiſſio pag.358
Propoſitum non peccandi de cætero pag.358
Prudentia pag.358
Purgatorium pag.359., *& ſeq.*

Q

Quaſi dominium, & quaſi delictum pag.364

R

Rapina pag.364
Raptus mulierum p.364
Ratihabitio pag.365
Regalia pag.365
Religio ut virtus moralis. p.366
Remiſſio Creditoris pag.367.
Reſervatio pag.367., *& ſeq.*
Reſtitutio pag.376., *& ſeq.*

S

Sacramentum pag.385., & ſeq.
Sacrilegium pag.388
Satisfactio pag.389
Scandalum pag.390
Schiſma pag.391
Sepultura Eccleſiaſtica p.392
Sigillum Confeſſionis Sacramentalis pag.392
Simonia pag.393., & ſeq.
Societas pag.401
Sodomia pag 402
Spes ut virtus Theologica p.402
Sponſalia pag.402., & ſeq.
Sponſio, ſeù Scommeſſa pag.405
Stuprum pag.406
Subreptio, & obreptio pag.406
Suffragium pag.406
Superbia pag 407
Superſtitio pag 407
Suſpenſio pag.407
Suſpitio pag.408
Suſſuratio pag.408

T

Temperantia pag.409
Tentatio Dei pag.409
Teſtamentum pag.409., & ſeq.
Teſtis conditiones pag.413., & ſeq.
Theſaurus Eccleſiæ, & temporalis pag.414
Tyrannus pag.415
Traditio pag.415., & ſeq.

V

Vana obſervantia pag.423
Venditio pag.423., & ſeq.
Vir circà Uxorem pag.426
Virginitas pag.426
Voluntarium pag.426., & ſeq.
Votum pag.428., & ſeq.
Uſucapio pag.431
Uſura pag.431., & ſeq.
Uſus pag.435
Uſusfructus pag 435
Uſus facti pag.435
Uſusfructuarius pag.435
Uxor pag.435

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6-1

Digitized by Google